Medicinae compendium, in usum exercitationis domesticae [Oratio de praxis medicae repurgatae certitudine--Oratio de animi et corporis consensione mirabili tam in secunda quam adversa valetudine] / [Johannes de Gorter].

Contributors

Gorter, Johannes de, 1689-1762.

Publication/Creation

Venice : L. Basilius, 1751.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/unv22axr

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org





F.^us Zucchi scolp.

MEDICINÆ COMPENDIUM,

IN USUM

EXERCITATIONIS DOMESTICÆ;

DIGESTUM A

JOANNE DE GORTER,

A. L. M. MEDICINÆ DOCTORE ET PROFESSORE ORDINARIO.

PARS PRIMA.

VENETIIS. MDCCLI.
Apud Laurentium Basilium.
SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

D. Luigi Lanzardi

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

Quæ duæ res typographum impellere maxime poſſunt, ut præfationem aliquam libris a ſe ſe edendis præfigat, illæ in præſentia me ambæ deficiunt. Nam aut libros ipſos tanquam utilis eruditis commendare ſtudet; aut lectores monere, quæ in iis, quo ordine qua doctrina pertractentur. At præſentem hunc librum nomen ipſum Auctoris, pro ſingulari ejus in republica litteraria auctoritate ac fama, ſatis ſuperque commendat; argumenti vero atque inſtituti ſui rationem reddit Auctor idem duabus præfationibus luculentiſſimis. Quare niſi conſuetudini parendum ſit, nihil mihi dicendum ſupereſt. Nam de opera & diligentia noſtra judicare tuum eſto, Benigne Lector. Illud fortaſſe monere non inutile videatur, editionem hanc feſtinanter, Autore ipſo nos per litteras cohortante, fuiſſe elaboratam intermiſſumque idcirco volumen aliud Autoris ejuſdem, quod jamdiu ſub prælo erat, nunc exitum ſpectat propediem. Præmitti autem hoc placuit ob ſingularem utilitatem. Cum enim omnia Gorteri opera docta, utilia, egregia ſint, tum hoc longe utiliſſimum ac præſtantiſſimum habendum videtur. Nam ſi cetera partes modo quaſdam medicæ artis ſeorſim illuſtrant, hoc unum compendio quodam Medicinam complexum eſt univerſam. Primum enim peritiſſimus Auctor morborum multitudinem, quibus humanum corpus conflictari conſuevit, ordine proſequitur, deinde morbis detectis medicamenta omnium generum breviter ſed luculenter exponit. Morborum vero cogni-

tione ac remediorum totam fere artem medicam contineri quis non videt! ſed quid ego hæc oblitus & artis & propoſiti mei? Lege ſis, ac judica. Vale.

PRÆFATIO

OMnes Theoriæ Medicæ partes tanto ſtudio hoc tempore excultæ inveniuntur, ut vix aliquid videatur reſtare; Praxis autem, quod dolendum, omnium minime mihi agitata videtur: Botanicam enim, Anatomicam, & Chymicam qui ſcientiam exercent, omnibus viribus, manibus pedibuſqne obnixe ſingulas tentarunt expolire, omnemque vitam in excolendis iis tranſegerunt, nihil aliud agentes. Laudandi equidem eorum conatus & labores. Sed exercitatione practica detenti, quod ipſis vix detur conſcribendi obſervata otium, minorem in hac, quam in aliis partibus, fecerunt progreſſum: pauci vero, quibus raro viſendi ægros eſt data poteſtas, ſcientia practica delectantur, unde hæc minus, quam cæteræ, polita invenitur.

Finitis autem ſtudiis Academicis, quum vellem pervolvere practicos, promptus paratuſque ut eſſem vocatus ad ægrum, me ſtatim in multarum difficultatum labyrinthum conjectum intellexi: dubius inde hærens, quam vellem præ ceteris excolere partem. Terrorem mihi quaſi multitudo & differentia obſervationum in Praxi incutiebat, verenti tan-

tos aggredi labores, tenuitatis ingenii conſcio: allicie-bant contra in aliis pulcherrima novaque inventa. Exercitationis tamen practicæ neceſſitate hanc partem amplecti coactus, quædam, quæ vel legendo vel obſervando inveneram, in adverſaria conjicere cœpi, me facile inventurum ratus ea, ſi poſtularet uſus. Succeſſit negotium, quam diu curta erat ſupellex; creſcente autem opere ſenſim, alius inſuper modus, quo levarem memoriam, erat excogitandus, & quo ſparſim collecta vel in ordinem, vel in regulas generales, redigere poſſem. Multas hinc tentavi vias, donec in eam, quæ in oratione inaugurali expoſita eſt, inciderim.

Ita cum labore increvit deſiderium ulterius progrediendi, ut fatear, me poſtea magis ſcientia hac quam aliis delectatum fuiſſe.

Vocatus dein ad Stationem, qua nunc fruor, meum exiſtimavi, hos labores, qualeſcunque ſunt, conſecrare ſtudioſis, ipſiſque iis, quantum poſſem, certam brevemque ad curationes indicare viam, atque committere prælo, ut exſcribendi moleſtiam levarem, conſtitui. Cuncta ergo, quæ tot annis collegeram, in compendium redigere cœpi, cujus nunc Primam Partem publici juris facio, reliquas deinceps, ſi vita largiatur & otium, editurus.

Me receſſiſſe a diu recepta ſcribendi methodo, qua Theoria & Praxis pertractantur ſeorſim, non ignoro, ſed recte an ſecus fecerim aliorum eſto judicium, hæc mihi & commodior & certior viſa eſt. Inductus Mathematicis & Arithmeticis inſtitutionibus, in quibus primo ſimplicia & generalia, dein ſpecialia & compoſita magis explicantur, experiri volui, an non ſimili modo, iiſdemque legibus hæc noſtra ſcientia Medica poſſet tractari. Explicata ergo partium generalium ſtructura, a morbis ſimpliciſſimis & generalibus initium feci, atque pro modulo meo abſolvi, deinceps ad partes ſpeciales, & morbos magis compoſitos, progredi eſt animus.

Com-

Compendii volui apponere nomen, quia breviſſimos tantum continet canones aut aphoriſmos, & vix ulla invenitur rei explicatio; hanc ſi adjeciſſem, quod ſine multo labore fieri potuiſſet, & nimis increviſſet opus, & inſtitutionibus tradendis, quibus hoc deſtinaveram, minus fuiſſet idoneum.

Obſcurius videbitur quibuſdam propter brevitatem; at verſatis in Arte, & Tyronibus, qui me audiunt, nullam reſtare obſcuritatem confido.

Multas inveniet L. B. ſententias, quas ex aliis, non adjecto auctoris nomine, depromſi; item alias, quibus quoſdam oppugnare videor, hæc non ex invidia, aut contradicendi prurigine, a me fuiſſe facta cenſere velit, ſed brevitati ſtudens de induſtria me omiſiſſe nomina. Quid? quædam invenies, quæ ſcriptis olim a me editis contrarientur, ſic curæ poſteriores emendant priora: imo non inficior, & in his nonnulla reſtare vitia, quæ, ſi occurrent poſtea, corrigere non erubeſcam: eſt enim hominis errare, ſed turpe in iiſdem audacter perſiſtere, & contra rationem perfricta fronte defendere.

Nolui novis gloriari inventis, eaque multis extollere encomiis; quid enim intereſt ægrorum, quis rectum invenerit ſanandi modum? aut Medicorum, quis primus aliquid boni detexerit in arte? Solus utique auctor inani lactatur gloria; Medicinæ quidem peritus, qui opera pervolvit, ipſe inveniet, emendatum quid aut additum fuerit, quum magis ad uſum quam gloriam conſcribendi ſunt libri.

Rei magis intentus minorem in expoliendo ſtilo adhibui diligentiam, quam par erat: verum vitiis Typographicis aliiſque quæ inter ſcribendum irrepſerant, Amicus meus integerrimus, Doctiſſimus & Experientiſſimus Doctor Medicinæ *Gerardus van Svvieten* ſedulo proſpexit: hic & voluit, ob ſingularem, quam excoluimus, amicitiam, & ob incredibilem erga ſcientiam Medicam amorem, in ſe tædioſum

hunc

hunc laborem ultro recipere, & potuit, quod non mediocriter, ut multi, aut perfunctorie quaſdam Medicinæ partes exagitaverit, ſed indefeſſo labore ad penitiſſima penetraverit, feliciter & cum judicio abſolvere. Hujus Viri eruditiſſimi peritia majoribus encomiis eſſet celebranda, ſed ejus ingenii a laudibus abhorrentis conſcius, plura addere nolui. Publice tamen agnoſco, me ipſi multum debere, maxime devinctum eſſe, & ſemper animo grato hoc atque alia amicitiæ pignora recordari. Harderovici Calendis Decemb. 1730.

SE-

SERIES TRACTATUM.

1 PArtes corporis humani & Morbi generales distinguuntur in
Cognitionem structuræ & morborum solidorum, (2.)
Descriptionem liquorum & eorum vitia (15.)
2 Structura & Morbi solidorum (1.) referuntur ad
Simplicem cohærentiam, (3.)
Sensum, (10.)
Motum. (11.)
3 Simplex cohærentia (2.) complectitur
Anatomicam descriptionem & usum fabricæ, TRACT. I pag. 1
Morbos seu mutationes in his. (4.)
4 Morbi hi (3.) referuntur ad
Nexum, (5.)
Actionem Physicam, (8.)
Causas mutantes, (9.)
5 Nexus ille (4.) est
Firmior, (6.)
Debilior, (7.)
Solutus. II 6
6 Firmior nexus (5.) distinguendus,
Robore cohærentiæ majore, III 7
Rigiditate, IV *id.*
7 Debilior autem nexus (5.) continet,
Debilitatem & fragilitatem, V 8
Laxitatem. VI 9
8 Actio Physica (4.) complectitur,
Elasticitatem, VII 10
Inertiam, VIII 11
Robur contractilitatis majus, IX *id.*
Flaccidam fibram & Contractionem minorem X 12
9 Causæ mutantes (4.) reducuntur, ad
Extensionem seu Elongationem, XI *id.*
Adductionem seu Compactum, XII 13
Siccitatem, XIII 14
Humiditatem vel Uliginem. XIV *id.*
10 Sensus (2.) continet
Descriptionem Nervorum & Spirituum, XV 15
Explicationem Sensuum in genere, XVI 18

Ex-

Expoſitionem Doloris, XVII 23
11 Motus (2.) complectitur,
Deſcriptionem organi motus ſeu Myologiam, XVIII 30
Cordis Arteriarum & Venarum actionem & ſtructuram, XIX 35
Pulſus & eorum vitia, XX 44
Morbos ex motu. (12.)
12 Morbi ex motu eo (11.) dividuntur, in
Motum minorem ſeu languidiorem, (13.)
Motum majorem ſeu fortiorem. (14.)
13 Motus minor (12.) diſtinguitur, in
Motum ſolidorum Languidum, XXI 48
Tremorem, XXII 49
Debilitatem, XXIII 51
Paralyſin. XXIV 53
14 Motus autem major (12.) hos continet morbos,
Motum oſcillatorium majorem, XXV 56
Mobilitatem ſolidorum, XXVI *id.*
Singultum, XXVII 57
Palpitationem Cordis & aliarum partium XXVIII 59
Horrorem & Rigorem, XXIX 60
Convulſionem ſeu Spaſmum. XXX 62
15 Liquores (1.) exigunt,
Deſcriptionem eorum generalem, XXXI 66
Morborum eorum expoſitionem. (16.)
16 Morbi liquorum (15.) referuntur, ad
Quantitatem, (17.)
Qualitatem, (18.)
Motum, (21.)
17 Quantitas (16.) quæ ſimul evacuationes continebit, abſolvitur cognitione & curatione
Sanguinis fluxus, XXXII 70
Menſium purgationis, XXXIII 74
Menſium ſuppreſſionis, XXXIV 76
Hydropis, XXXV 79
Urinæ. XXXVI 87
18 Qualitatis (16.) vitia referuntur, ad
Totam Maſſam, (19.)
Unicam tantum Particulam. (20.)
19. In Tota Maſſa (18.) proponuntur
Putredo, XXXVII 95
Salia & Acrimonia ſalina, XXXVIII 97
Cruditas & Auſteritas, XXXIX 105
Viſciditas & Pituita, XL 106
Lentor ſeu Diatheſis Phlogiſtica, XLI 109

Coa-

	Coagulatio & Polypus,	XLII	111
	Craſſitudo,	XLIII	112
	Tenuitas,	XLIV	113
20	*In una Particula* (18.) *ſimul Acrimonia traditur.*	XLV	114
21	Motus (16.) vel eſt		
	Auctus, (22.)		
	Minutus, (23.)		
	Turbatus, (24.)		
22	In motu aucto (21.) explicantur,		
	Ipſe motus auctus,	XLVI	123
	Inflammatio,	XLVII	126
	Abſceſſus,	XLVIII	129
	Calor corporis.	XLIX	134
23	In motu minore (21.) traduntur,		
	Ipſe motus tardior & impeditus.	L	137
	Frigus corporis.	LI	138
24	Motus turbatus (21.) Intelligitur ex		
	Febris deſcriptione.	LII	140

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, e Approvazione del P. *F. Paolo Tommaſo Manuelli* Inquiſitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Medicinæ Compendium in uſum exercitationis domeſticæ digeſtum a Joanne de Gorter &c.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Lorenzo Baſegio Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 27. Febraro 1749.

(Gio: Emo Proc. Rifor.
(Gio: Alviſe Mocenigo II. Rifor.
(

Regiſtrato in lib. a carte 19. al num. 192.

Michiel Angelo Marino Segr.

Adi 14. Marzo 1750.
Regiſtrato nel Magiſtr. Eccellentiſſimo degli Eſecutori contro la Beſtemmia.

Alviſe Legrenzi Segr.

SE-

MEDICINÆ COMPENDIUM.

PARS PRIMA

Partes Corporis Humani & Morbos generales complectitur.

TRACTATUS PRIMUS.

De Firmarum Partium Nexu, Fabrica, Origine & Usu.

I. Corpus dicitur *solidum*, cujus partes tam valide cohærent, ut ad earum separationem magna requiratur vis. *Definitio.*

II. *Perfecte solidum* vero vel *firmum*, cujus partes nulla cognita vi separari queunt; qualia nusquam inveniuntur sensibilia corpora. *Quid perfecte solidum.*

III. Inter hoc & liquidum varii inveniuntur cohærentiæ gradus, quorum autem partes paulo magis quam liquoris cohærent, *mollia* appellantur corpora: firmiorem habentia particularum nexum, *firma* & *solida* omnes vocant Physici & Medici: adeo ut mollitudo medium gradum, qui sane multi sunt, videatur obtinere inter liquida & dura. *Quid molle.*

IV. Cum multa corpora, vel sponte sua, vel artificis industria, variam induant formam, nunquam vero in nihilum redigantur, partes horum primas elementares perpetuo manere, sed alium acquirere nexum, vel pristinam exuere naturam constat; ut nova inde corpora videantur provenire. Harum partium, omnem quum eludant sensum, figuram & magnitudinem determinare haud valemus; neque asserere, omnibus in corporibus num eædem sint; figuram autem aliquam & magnitudinem habere nemo dubitare poterit. *Partes elementares.*

V. Ex his in nobis corpusculum oblongum, teres, simplex, solidum, nulla cavitate donatum, factum, *fibra* vocatur; quæ vel ex unica serie harum particularum, vel ex multis sibi invicem incumbentibus, & unitis seriebus, in simile corpusculum compactis, nata, *simplicis fibræ* obtinet nomen. In his obscurissimis & absconditis distinguere non juvat a præcedenti eas, quæ non ex partibus *Fibræ simplicis origo.*

elementaribus, ſed ex aliis exiliſſimis, inviſibilibuſque moleculis congregatione elementarium factis, ſimili modo componuntur, quamvis prioribus ſemper craſſiores, quum eoſdem fere ſortiuntur effectus.

Cohærentia. VI. Quoniam hæ partes hujuſmodi fibram conſtituentes ſeparationi, divulſionique magis reſiſtunt, quam ſi inſtar arenæ, vel pulveris, in molem aliquam congeſtæ fuiſſent, quædam reſtat vis has partes junctas retinens, *cohærentia* dicenda.

Cohæſionis varii modi. VII. Variis, ſed non omnia corpora iiſdem modis firmitatem hanc acquirunt, quorum partes ſejunctæ fuere, & cohæreſcunt poſtea firmiſſime inter ſe. Cauſas cohærentiæ fibrarum ſolas perſcrutabimur, ceterorum vero corporum, Phyſicorum eſt. Quas ut indagemus, phænomena fibrarum generalia conſulenda ſunt.

Nexus partium qualis. VIII. Fibra quævis, excipiuntur forte oſſeæ, in omni puncto ſenſibili flecti poteſt & elongari ſine ruptione: *nexus* ergo partium perpendicularis ſolum eſſe nequit, ut ex fig. 1. 2. 11. patet: ſequeretur enim abſoluta ſeparatio. Verum & parallelus & perpendicularis ſimul eſſe debet, ut fig. 5. 6. 12. 13. evincunt: ita enim particulis junctis in fibram craſſiorem, fibra diſtractionem & incurvationem ſine ſolutione admittit.

Diſtentæ fibræphænomena & corollaria. IX. Diſtenta fibra attenuatur, indureſcit in omni puncto, renititur pro ratione cauſæ diſtendentis. Omnis ergo nexus perpendicularis (fig. 6. 12. 13.) deſtruitur; nexus obliquus (fig. 3. 4.) & parallelus (fig. 5. 6. 12. 13.) minuuntur: ſed applicatio particularum fibris parallela arctior, & proprior fit; ſpatia relicta inter partes elongantur, & forſan capaciora fiunt; renititur tamen magis fibra, diſtentionique validius reſiſtit tenſa, quam flaccida & pendula. Abſurdum ergo foret viribus attractricibus, quæ cum numero punctorum tangentium majorem acquirunt firmitatem, hanc adſcribere auctam firmitatem fibræ tenſæ. Cui ergo? num aeris vel ætheris incogniti preſſioni? quum æque in vacuo Boyleano, quam in aere aperto, imo ſub aqua undique premente, idem experimur. Num uligini? Quum humectata chorda, ex inteſtinis animalium aliiſque fibroſis partibus facta, diſtractioni faveat, & minori potentia diſrumpatur. Num figuræ particularum hamatæ, ſerratæ vel uncinatæ? Certe nec viſus eo uſque penetrat, nec figura quadrat phænomenis. Sed cauſa 1. requiritur, quæ augetur cum diſtenſione & flexura: 2. lævitas laterum in particulis, ut ire & redire poſſint ſupra ſe invicem; 3. impedimentum cuicumque liquori hæc ſpatia ingreſſuro.

Tres cohærentiæ cauſæ. 1. mutatio ſpatiolorum. X. Hæc tria formabunt conceptum cohærentiæ fibrarum. 1. Cum ſola mutatio ſpatiolorum, (fig. 5. 6. 12. 13.) inter partes immutabiles, mutetur, ei ergo omnis hæc actio adſcribenda. Duo fiunt in hac mutatione, vel augentur ſpatiola magnitudine, vel acquirunt longiorem & teretiorem figuram, vel utrumque ſimul fit. Verum augumentum ſolum idem faceret, quod facit locus omni aere craſſo privatus; reſiſtit quidem diſtractioni, ſed non ſuperat preſſionem aeris incumbentis: verum multo fortior cohærentia in fibris obſervatur, & perſiſtit etiam in vacuo. Sola ergo mutatio figuræ eſt cauſa, qua fibra diſtracta in vacuo retenta cohæreſcit. Sed vero figura fit oblonga, qua latera parallela partium fibrarum ſibi invicem propiora fiunt; augeretur inde vis attrahens inter oppoſita latera, ſed tranſverſe, & nunquam recederent partes laxatæ fibræ, ſi vis ea eſſet cauſa: neque receſſus a contactu perpendiculari cauſa reſilitionis ſtatuenda, acceſſus enim mutuus partium, ſive vis attractrix, validiſſime agit in contactu, qui hic ſublatus eſt. Nihil ergo reſtat in his, niſi aliquid innatum, quod *acceſſum mutuum* quoque appellari oportet, quo vidimus liquores citiſſime ingredi tubulos capillares, quo exiliores tubuli hi, eo majori velocitate implentur, & liquor altius elevatur, & quidem in principio celerrime, ſenſim vero tardius aſcendit liquor, donec ad ſummam altitudinem aſcenſus pervenerit. Idem quoque vidimus in guttula olei, aliorumque liquorum, aquæ innatante, ſi duabus acubus diſtrahatur; quo enim magis recedit a figura ſphærica, eo magis reſiſtit divulſioni: modum

vero

vero ſi aliquantum excedas, una gutta in duas minores veluti diſrumpitur, magna vi. Ita ſane mihi videtur in fibris noſtris fieri, quæ conſtant particulis mobilibus, cum ſuis ſpatiolis interceptis, niſi aliquis penetrantioris ingenii vero ſimiliora invenerit: fibræ enim in longum diſtractæ in priſtinam renituntur figuram, & quidem eo majori vi, quo magis a priſtina receſſerint, fecerintque ſpatiola canaliculis minutiſſimis ſimilia, qui canaliculi magna vi particulas in utraque extremitate horum diſtractas, quemadmodum aquam tubuli capillares in ſe rapiunt. Aut quod aliquid liquori ſimile latitet in his ſpatiolis, quod in hujuſmodi figuram oblongam redactum, ſphæricam induere tentat. Si vero diſtractio eo uſque proceſſerit, ut partes laterum oppoſitorum ſe mutuo fere tangant, a vi attractrice inter partes actio fibris tranſverſa naſcitur, qua diſſiliunt partes. Acceſſus ergo fibrarum, vel fit 1. eadem vi, qua liquores ingrediuntur capillares tubulos; vel 2. ea potentia, qua guttula liquoris renititur ſphæricam figuram induere, aut forſan utriſque ſimul agentibus.

XI. Alterum autem quod laterum lævitatem continet, diſtrahi & recedere poſſe partes indicat, ſed cohærentiæ cauſam non exponit, potius rigiditas & laxitas eo deducenda. *Particularum lævitas.*

XII. Tertium ſeu ultimum, liquorem alluentem continens, mirabilia quoque profert. Oleum enim quod poros minores ingreditur quam aqua, ideoque magis ingrederetur hæc ſpatiola, & ita cohærentiam fibrarum deſtrueret, fibras roborat, cum vero aqua eas laxat & debilitat: imo ſpiritus terebinthinæ & omnium ſubtiliſſimum alcohol vini, cohærentiam magis firmat & rigidas facit: lixivioſa vero ſolidorum compagem reſolvunt; quædam applicata corpori adſtringunt, alia vero laxant; tepor laxat, calor vehemens & frigus intenſum conſtringit; modica exſiccatio roborat, major vero rigidas facit & fragiles fibras. Et quæ tali modo operantur in noſtro corpore, id non exhibent in aliis. Oleum enim ſulphurea emollit; aqua funem & vegetabilia indureſcere facit; ol. terebinthinæ & alcohol vini reſolvunt reſinoſa; calore ingenti ipſa metalla liqueſcunt, pulveres eorum in unam congregantur molem, oſſa autem humana in cineres fatiſcunt. Quid ergo? fatendum mihi videtur, nos multa neſcire, multiſque in rebus hallucinari, veluti in hoc negotio, quædam poſſe vim colligentem conciliare partibus fibrarum, non vero aliorum corporum, experimentis tantum eruenda, quorum ope alii forſan veritatem & ſimplicitatem hujus detegent. *Humor alluens.*

XIII. Quum vero omnes fibræ, & eædem omni tempore vitæ, & morborum, non eadem firmitate cohæreſcunt, oportebit perſcrutari cauſas, quæ firmiorem & laxiorem faciunt cohærentiam. *Augentia & minuentia cohærentiam.*

XIV. Tubulos vitreos, omnes liquores non eadem vi allicere & ad eandem levare altitudinem; imo reſpuere ut argentum vivum; neque ſervare proportionem gravitatis inter liquores, cum urina ſani hominis altius alcohole vini aſcendit, quo tamen gravior; & liquidorum graviſſimum mercurium non in ſe recipere; alios liquores tarde & lente aſcendere, alios celerius & ociſſime implere tubulos; pinguedine intus illinitos liquorem non recipere, & aqua madentes non admittere oleum; ſed quandam obtinere convenientiam, inter ſolidum tubuli recipientis & liquoris recipiendi, omnia ſuffragantur phyſicorum experimenta. Quid ni idem in minimis cavitatulis fibrarum obtineret, ut inde majoris minoriſque cohærentiæ cauſa intelligatur? Sic ſentio, partibus fibrarum ſimili modo vim cohærentiæ majoris & minoris addi & detrahi poſſe: & inde variam cohæſionem, applicatione liquoris (XII), & multa alia, quæ in nobis contingunt, intelligi & explicari poſſe, autumo. Quis aridas omnino fibras, & ex meris partibus ſolidis conſtantes, judicaret, atque ex ſolo attactu harum partium derivaret cohærentiam, qui viderit exſiccatæ fibræ, omni expulſo liquore, particulas in pollinem redigi minimo motu? potius ſtatuendum liquoris præſentiam requiri, ejuſque convenientiam nectendis partibus fibrarum, qua demta, perit quoque particularum cohæſio; reſuſcitata vero, ſive hoc fiat in ipſis particulis ſolidis, ſive fluen- *Liquor applicatus.*

tibus, reviviſcit demum cohærentia. Hanc autem vim deſtrui & reſuſcitari poſſe coagulationis & reſolutionis hiſtoria evincit, & præ ceteris magnetis cum ferro tentamina.

Propior applicatio particularum. XV. Alter invenitur quoque modus, quo roboratur & laxatur fibrarum tonus: propior ſcilicet & remotior locatio particularum inter ſe, quam vidimus differentiam elegantiſſime inter tubulos majores & minores: quo enim exiliores, eo quoque altius elevantur humores; confirmatur ulterius vitris planis, vis attractrix maxime agit in mutuo contactu, debilitatur plus quam quadrata diſtantiarum inter corpora remotiora. Unde fibrarum nimis humidarum exſiccatio eas firmat; compactus redigit in firmum callum ſolida.

Congregatio multarum. XVI. Tertius denique his adjungendus; ſi nempe multæ fibræ in unum faſciculum compingantur, pluſquam augmentum fibrarum creſcit cohærentia, quod ex inſpectione figurarum 7. 8. 9. 10. depromi poteſt: cohæreſcunt enim fibræ, quod ſpatiola circumſepta ſint partibus, ut nullibi pateat aditus ingreſſuris liquoribus. Quum vero cum numero horum ſpatiolorum ſimul creſcat cohærendi potentia, & numerus horum augeatur compactu multarum fibrarum in unam maſſam, cohæſio hujus faſciculi ſuperabit cohæſionem omnium fibrarum, quæ in unicam hanc fibram, ſed craſſiorem, ſeu ligamentum congregantur: ſeu, quod idem eſt, ligamentum hoc ſuſtentare poterit pondus gravius ſine ruptione, quam omnes ſeparatæ fibræ ſimul.

Motus fibrarum. XVII. Duplicem obſervamus in omnibus fibris ſenſibilibus motum, alterum inſitum & in viventibus & in demortuis præſentem; alterum vero ſuperadditum in viventibus tantum agentem, qui in hoc loco explicari nequit, quum ſpirituum influxum ſupponat, de quo ergo motu vitali poſtea ſumus acturi.

Contractura. XVIII. Motum hunc inſitum in *contracturam* & *elaſticitatem* juvat diſtingui. Prior omnibus fibris ineſt: talis vero eſt naturæ, quod ſemper fibræ nitantur accurtari, ſeu breviores fieri, verum ſibi commiſſæ, protinus ad ſummam brevitatem non veniant: Si eo pervenerint, iterum reduci nequeant ad priorem longitudinem. Hoc intereſt Medici, ſciat in herniæ, procidentiæ, hydropis, aliorumque morborum, qui nimis diſtentas fecere fibras, curatione, diſtractas partes longo quandoque indigere tempore, antequam debitam brevitatem adipiſcantur; & ne nimis cito elongationem muſculorum, in luxatis & fractis, tentet. Non omnibus in fibris æqualis hæc eſt potentia, nec omnibus hominibus eadem; partibus pendulis, laxis, hominibuſque infirmis eſt debilior; robuſtis vero hominibus, vegetis viris, in flore ætatis, fortior. Suſtentatur hæc vis partibus rigidioribus, puta oſſibus, mobilibus, imo & liquoribus, ut latera vaſorum, quo ſublato ſuſtentaculo, curtantur omnes fibræ.

Elaſticitas. XIX. Aliud vero eſt *elaſticitas*, qua fibra tenſa ſubito in priſtinum redit, quales præ primis ſunt, quibus componitur cartilago in nobis. Sed de his propriis titulis amplius, hic ſufficit indicaſſe.

Origo Solidorum. XX. Quum fibræ hæ ſolidæ ab embryone, quando ſolidi vix merentur nomen, uſque ad conſiſtentem ætatem increſcant & augeantur, id augmentum prius liquidum fuiſſe nemo dubitare poterit, quod tandem aliis applicatum partibus in hujuſmodi fibras abiit. Quam tenue id & parvum in principio fuit, pervolventi Malpighium, Harvæum, & Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, de ovi incubatione manifeſtum erit.

Simplicium fabrica. XXI. Hæ fibræ faſciculatim congeſtæ, neſcio an contortæ inveniantur, in corpuſculum oblongum, teres, vaſculis deſtitutum, fibra craſſior, fortior, aut Ligamentum vocari poteſt. Verum in corpus latum planum congeſtæ, membranæ ſimplicis inſignitur nomine. Quæ iterum in corpus cylindricum intus cavum formata vas ſimplex exhibet. Quæ ex adjectis figuris 16. 14. 17. facile pervidentur.

Compoſitorū formatio. XXII. Sic nata vaſcula, ſi eodem modo jungantur, ut fibræ præcedentes (fig. 15. 18.) naſcitur membrana ſimplex vaſculoſa, ſimileque vas. Ex his demum

&

& ſimpliciſſimis congregatis membranæ ſenſibiles & vaſa fiunt, in quibus ſæpe curſus fibrarum & vaſculorum decuſſatim vel intertextu currentium obſervant Anatomici. (fig. 19. 20. 21.) ultimo ex his omnibus in molem ſpectabilem mirabili artificio congregatis & ordinatis, peculiari membrana cinctis, viſcera fiunt omnia humani corporis.

XXIII. Ex his paucis ad multas quæſtiones alias difficiles nunc facile reſpondetur. *Quæſtiones.*

1. Cur ligamentum factum ex vaſe concreto, omni liquore ex ſuo cavo amiſſo robuſtius ipſo vaſe?

2. Cur multa tundendo majorem acquirunt cohærentiam?

3. Cur corporis partes exercitatæ & ſæpius preſſæ firmantur?

4. Cur callus carne tenacior?

5. Cur fibræ uliginoſæ, laxiores, debiliores; modice ſiccæ robuſtiores; ſiccæ vero fragiles?

6. Quomodo adſtringentia ſiſtunt evacuationem; & vires roborant, aut ſuffocant?

7. Cur tepidis optime ſolvuntur concreta, & minuuntur dolores?

8. Num frigus coagulat immiſſis ſpiculis, vel augendo vim attractricem, vel ſiſtendo motum inter partes?

9. Num ignis partes ſolvat excitando motum tantum inter partes, qui earum vim attractricem ſuperat?

10. Cur tepida & humida rigida laxant, & ſana enervant?

11. Quæ corpora levi exſiccatione roborantur?

12. Cur humorum tenuitas in nobis jungitur debilitati, denſitas vero robori?

13. Cur oleoſa ſimul laxant & firmant: aquoſa vero laxant & debilitant?

14. Quibus in partibus & cui homini vulnera maxime hiant?

15. Cur vaſa ſubito evacuata collabuntur, ſenſim vero inanita rotunda manent?

16. Cur membra contracta lente extendenda?

17. Cur membra diu luxata vel fracta lentiſſime reponenda?

18. Cur ſponte ſua ſiſtitur ſanguinis fluxus remanente ſufficiente quantitate ſanguinis in corpore?

19. Cur e vulneribus primo ſanguis, dein liquor rubellus, denique lympha manat?

20. Cur profuſior ſubitanea evacuatio lipothymiam inducit, quæ quantitas lente educta non læſiſſet?

21. Cur herniæ ſubito obortæ magnæ a ruptione, lente vero natæ, a diſtenſione fibrarum factæ judicantur?

22. Cur herniæ in ventrem commiſſæ, relabuntur, diu vero retentę perſanantur?

23. Num cohærentia gravitati particularum proportionalis?

24. Num contactus immediatus ſufficit cohæſioni?

25. Num cohæſio a quiete partium juxta ſe invicem?

26. Num a compreſſione externa?

27. Num funis contortus debilior iiſdem filamentis in faſciculum collectis? quod omnia ſimul non trahantur filamenta; quod directio tractionis ſit obliqua; quod ipſa contorſio vim inferat filamentis; ita videtur.

28. Quænam partes atomi vocandæ?

29. Num partes elementares globoſæ, hamoſæ vel ſerratæ?

30. An certa magnitudo & figura harum particularum ſit cognita?

31. Cur in Hugenii experimento, Mercurius accurate omni aere privatus, in tubo ad altitudinem 75 pollicum pendulus hærens, ab admiſſa minima guttula aeris ad ſolitam altitudinem 28 pollicum deſcendat? & cur hoc idem non fiebat cum Mercurio, qui diu non fuerat retentus in vacuo Boyleano?

32. An vis attractrix inter partes fibras conſtituentes admittenda?

33. An gravitatis cauſa magis nota quam attractionis?

34. Num

34. Num ex numero majori punctorum contactus inter partes validior reactio & durities in fibra distenta est deducenda?

TRACTATUS SECUNDUS.

De Soluta Unitate.

Definitio. I. QUod solidum a liquore distinguit est nexus seu cohærentia inter partes major, quam ut eæ a tam parva vi, qua fieri solet in liquidis, separari possent. Quibus fit, quod omnes partes nostri corporis vero nexu cohæreant; qui si destruatur alicubi, statim morbus est *soluta unitas* a Medicis dicta.

Causæ. II. Duplici modo solvitur unitas: vel quod major vis externa vel interna solidis applicatur, quam potest eorum cohærentia ferre: vel quod nexus partium tantum minuta sit, ut solitum impetum ferre nequeat.

Impetus major. III. Vis Major impingens firmas partes solvens varia accipit nomina. 1. a causa destruente externa vulnus, punctura, laceratio, ruptio, contusio, combustio. 2. a parte in qua sit, nam in ossibus dicitur fractura, fissura, comminutio. 3. a causa interna ut plurimum rosio dicitur; quæ ut nominibus distincta, ita propriam exigunt sæpe curationem distinctis locis proponendam.

Debilitas solidorum. IV. Debilior nexus partium, quam qui sustentare valet motum internum humorum, impetumque tantum externum, quem ferre debuisset corpus sanum, periculosissimam valetudinem indicat, sanatuque difficilem. Qualis obtinet in fragilitate & debilitate cohærentiæ solidorum; ad hoc genus conferendum ruptio, quæ fit in quibusdam partibus sustentaculo suo orbatis.

Effectus. V. Fibræ a quocumque solutæ, insita vi (Tr. I. XVIII.) retrahuntur versus puncta fixa, plaga fit amplior, sensim magis hiscit: effluunt humores integritate coerciti, horumque functiones cessant, stagnantque in loco sæpe effuso & corrumpuntur, vel effluunt tanta copia, ut inde destruatur æquilibrium inter hos & solida: sustentaculum & æquabilem tractionem destruunt: fibræ integræ manentes majorem vim tendentem subeunt; si sint vascula, ea protensa anguſtantur, liber fluxus humorum per ea remoram patitur; si sint fibræ nervosæ cavæ, dolores inferunt: in parte, cui fibræ decussatim currentes sunt, ut in arteriis, aggregatis fibris transversis clauditur vas hians sponte.

Curatio. VI. De curatione vel nihil vel multum dicendum, verum quia, sine cognitione causarum hanc solutionem inducentium, curatio non succederet, satius duxi his supersedere.

Quæstiones. 1. Quomodo fiunt vibices, & stigmata livida sine læsione externa, & quid indicant?

2. Cur scorbutici sæpe patiuntur gingivarum hæmorrhagiam?

3. Cur scorbuticis & lue venerea infectis facile franguntur ossa?

4. Cur omnium frequentissime ex naribus & ex loco cicatrice recenti obducto fit hæmorrhagia?

5. An nunquam possunt in cavis internis collectiones fieri humorum ex ruptis vasis sine violento impetu externo?

6. Cur tandem sua sponte sistitur hæmorrhagia vulnerum?

7. An incrementum doloris in punctura nervorum tantum ab inæquali tensione fibrarum? an non etiam ab humore ibidem effuso, stagnanti, corrupto, rodente?

8. Cur labia vulnerum sensim magis hiant & retorquentur?

9. Cur in lateribus partis sauciatæ per vasa integra remoram patitur circulatio?

TRA-

TRACTATUS TERTIUS.

De cohærentiæ Solidorum Robore.

I. SI partes ſolida conſtituentes tanta vi cohærent, ut ferre poſſint validam vim, ſine earum partium ſolutione integra, vocatur robur fibrarum. *Definitio.*

II. Talis acquiritur ſtatus. *Cauſæ.*

1. Propiore contactu particularum;
2. Numero partium tangentium in eadem fibra majore;
3. Majore ſuperficiei contactu;
4. Aggregatione plurimarum in unam majorem;
5. Vaſculorum exſuccorum, vel cum ſuo liquore inſpiſſato, concretione;
6. Vi attractrice inter partes aucta;
7. Majori humoris nectentis tenacitate.

III. Exhibet corpus perfecte ſanum & robuſtum, quod multa ferre poteſt, & diu ſine læſione functionum. Omnia ergo in eo ſunt, quæ in perfecta ſanitate obſervantur. *Effectus.*

IV. Quia nihil indiget, non eſt opus curatio addatur, quamvis veteres judicarint corpora ſana ad ſummam perfectionem deducta, ſemper in deterius ruere: quod corpora nihil amplius in ſui emolumentum elaborandum habentia, noxia parerent: ſed hoc nullius eſt. *Curatio.*

V. Intelligimus inde. *Quæſtiones.*

1. Cur exercitationes corpora roborant?
2. Cur adductio externa vim addit ſolidis?
3. Quare cum ætate increſcit robur, tandem vero imbecillitas?
4. Cur adſtringentia roborant?
5. Cur duo corpora, polita, majora, juncta, firmius cohærent minoribus

TRACTATUS QUARTUS.

De rigiditate Solidorum.

I. SI partes tam firme cohærent, ut a motu ordinario in ſanitate earum contactus non poſſit mutari, adeo ut fibra non elongetur vel flectatur, quantum requiritur, rigiditas dicitur. *Definitio.*

II. Hæc diſpoſitio, ſi mutari tamen poſſit a cauſa majore agente ſine ruptura, exhibet ideam *roboris*: verum, ſi cum contactus mutatione, integra ſubſequatur ſolutio, tunc *fragilitas* eſſet dicenda: quæ diſtinctio ſemper in morbis obſervanda. *Definitio.*

III. Hæc Rigiditas ab omnibus cauſis, ſed ut plurimum majoribus, quibus *robur* acquiritur, generatur; præprimis autem retentione fibrarum diuturna in ſumma contractione; exſiccatione humoris glutinoſi partes nectentis, ſive hoc exhalatione tenuioris, ſive compactu fiat; (dum ulterius hæc cauſa pergit, in fragilitatem tranſit); aut ſi glutinoſitatem amittat humor. *Cauſæ.*

IV. Effectus Rigiditatis (nam fragilitatis in Debilitate proponuntur) multi ſunt: omnibus enim elongationibus reſiſtit, unde articulorum immobilitas; in ſtomacho difficilior deglutitio: in aorta vel corde ſuffocata circulatio, & palpitatio: in omnibus vaſis defectus coctionis, ſecretionis, cruditas: in utero menſium ſuppreſſio, præmatura ſenectus. *Effectus.*

V. Si rigeſcant partes ex retentione diuturniori in eodem ſitu, medicamentis Laxantibus pars illinienda & fovenda, ſenſim tendenda & movenda donec ſatis relaxata ſit: ex majori actione partes calloſæ factæ & rigidæ iiſdem leniuntur, intermittendo labores duriores: exſiccatione induratæ iiſdem quoque emolliuntur. Hæc omnia Medicamenta in Laxantibus proponentur. *Curatio.*

VI.

Quæstiones. VI. Intelligimus inde sequentia.

1. Cur scorbutici, aut lue venerea infecti, tandem rigescunt?
2. Quare senes rigidi?
3. Cur operarii primo robusti, demum rigidi fiunt & præmature?
4. Cur salis marini abusus, & longæ navigationes, membra rigida faciunt?
5. Quare diu flexa retenta membra postea non possunt extendi?
6. Cur diu quiescentes, aut in carcere occlusi, tandem omnem amittunt usum membrorum?
7. Quid indicat palpitatio cordis & anxietas tota vita perdurans?
8. Quid senectus? quid callus?
9. Cur menses tandem sponte subsistunt?
10. Cur viragines, corporaque strigosa, parcius purgantur?

TRACTATUS QUINTUS.

De debilitate & fragilitate Solidorum.

Definitio. I. PArtium solida constituentium tam parva cohærentia, ut a causa sanitatis aut paulo majore, quam tamen sustentare posset corpus sanum, superetur, vocatur *debilitas*; quæ juncta cum quadam duritie *fragilitas* dicitur.

Causæ. II. Talis status acquiritur, sive hoc ex naturali incremento, ut juvenibus; sive ex nativitate & conformatione corporis, sive a causis internis vel externis id producentibus proveniat:

1. Amissione sustentaculi; ut in cicatricibus subitaneaque evacuatione:
2. Minori attactu partium in elongatione:
3. Remotiori situ earum, vel quod minus compinguntur in tardiori motu, vel humidum sit copiosius inter partes:
4. Amissa tenacitate humidi nectentis; si tenuius aut lævius, debilitas; si exsiccatio fragilitas dicitur:
5. Minori vi attractrice inter partes:
6. Separatione junctarum fibrarum.

Effectus. III. Fibra quia ferre nequit impetum, ergo a minima causa facile rumpitur; unde reliquis adhuc integris fit major tractio, dolor: humorum claustra aperiuntur, via continuata destruitur, functiones inde dependentes cessant, vel turbantur, humores confluunt in cavitatibus, unde iterum multa alia, sugillationes, vibices, aneurismata, vomicæ, hydrops, phthisis, hæmoptoe, & similia.

Quæstiones. IV. Hinc intelligimus.

1. Cur hæmoptoe altos montes ascendentibus minus periculosa?
2. Cur eductio aquæ hydropicorum, & puris ex cavo, vel magno abscessu, subitanea, mortem creavit inopinatam?
3. Cur a vulnere magno, vas non attingente, fieri potest ejus ruptio?
4. Quare hydropicorum venter, & puerperarum statim a partu, cingendus?
5. Cur in naribus frequentior hæmorrhagia?
6. Quæ naturalis & hæreditaria dispositio in hæmoptoen, & phthisin?
7. Cur aquosa, & oleosa humectantia applicata, citius faciunt disrumpere abscessum?
8. Cur hyeme frequentius contingunt ossium fracturæ?
9. Qui homines a minimo motu in sanguinis eruptionem incidunt?

V. Curatio hujus mali obtinetur his.

1. Quæ plures fibras in unam majorem compingunt; ut validior circulatio, & exercitatio corporis.
2. Quæ tenacitatem adferunt glutini.
3. Si abundet humor, quæ exsiccant.
4. Si deficiat, ut in fragilitate, quæ humectant.

5. Quæ

5. Quæ novum ſuppedditant ſuſtentaculum.
6. Quæ vim contractilem partium augent.

De quibus medicamentis ipſi tituli horum inſpiciendi.

VI. Multa inde cognoſcimus.

1. Quare leniſſime debemus, in roborandis fibris, per medicamenta motum augentia, incipere, & ſenſim augere?
2. Cur phthiſici aere adverſo equitare debent, primo tantum ſtadium unum, poſtea ad multa?
3. Cur abluunt optimi chirurgi cicatrices ſpiritu vini?
4. Cur omnia ſalſa, acria, aromatica vitanda?
5. Quare cibus facilis digeſtionis parva copia ſimul ingerendus?

TRACTATUS SEXTUS.

De laxitate Solidorum.

Definitio.

I. SI partes firmæ noſtri corporis a cauſa tendente facilius flectuntur, aut elongantur, ſine ruptione, quam debet fieri in ſanitate, dum tamen utcunque redeant, *laxitas* appellatur.

Cauſæ.

II. Hæc oritur.

1. Contactu minore particularum fibram conſtituentium.
2. Particulis remotioribus, ob nimium interventum humorum, aut pinguedinis.
3. Minus valida applicatione, in morbis longioribus.
4. Diſtractione frequentiore, in herniis, aneuriſmatibus, varicibus, tumoribus quibuſcunque, doloribus diuturnioribus.
5. Conatu cohærentiæ inter partes debilitato.
6. Fluiditate glutinis nectentis.

Effectus.

III. Talis ſtatus in toto ſtamine ſolidorum, generat imbecillitatem, rachitidem, cruditatem humorum, in his regionibus ſcorbutum, acrimoniam præprimis acidam, motus tarditatem, pigritiam, citam defatigationem, viſciditatis cumulum, aquam inter cutem, vel maciem, atrophiam ſeu phthiſin nervoſam, varices, herniam, procidentias, hydatides, corruptionem, torporem, hebetudinem, ſomnolentiam, cachexiam & cacochymiam, morbos catarrhales, corporis frigus, mollitiem, pallorem, urinam in principio albam crudam, poſtea plerumque pellucidam rubram, febrem hecticam, hyſtericas & hypochondriacas paſſiones, coctionis tarditatem, evacuationum vel tarditatem vel abundantiam.

Effectus Speciales.

IV. Prout variæ partes relaxatæ ſunt, varia ſymptomata fiunt: ut in ventriculo inappetentia, gravitas, cruditas.

In inteſtinis lævitas inteſtinorum, diarrhœa.

In oculis caligo, lacrymatio involuntaria.

In renibus, urinæ profluvium.

In veſica, urinæ incontinentia.

Quæ omnia, & plura alia, melius poſt harum partium deſcriptionem intelligi poſſunt.

Quæſtiones.

V. Multa alias obſcura, nunc facile intelliguntur, & recta medendi methodus inſtituitur.

1. Cur pars diu dolorem paſſa, eo curato, languet?
2. Cur v. s. omneſque evacuationes, tam ſanguinis, quam aliorum humorum copioſiores, laxant & refrigerant?
3. Cur feminæ & pueri his morbis obnoxii?
4. Cur in quibuſdam regionibus, maxime ſeptentrionalibus, in ſolo depreſſo frequens, & in iis, qui cellulas inhabitant, carceribus incluſi, vel longis navigationibus detenti?

5. Cur humida ſæpe anodyna ſunt?
6. Quomodo effluvia metallica mercurii, antimonii &c. laxant?
7. Quid urina copioſior indicat?
8. An omnes luxationes ſemper a valida vi?
9. An laxitas non differat ab imbecillitate, & debilitate, & flaccida fibra?
10. Cur fibra laxa facilius flectitur?

VI. Curatio perficitur.

1. Iis quæ faciunt, ut partes ſe mutuo tangentes majorem acquirant contactum, quod fit adductione partium modica, ligaturis, & compreſſione blanda.

2. Expellendo liquidum inter partes, corporis exercitatione, primo moderata, denique majore, donec ſolida magis roborata ſint, quo etiam frictiones & vectiones pertinent.

3. Si vero fiat defectu virium, ea exhibenda, quæ vires *debilitatas* erigunt, de quibus poſtea.

4. Ex nimia elongatione nata, adductione & exhibitione atque applicatione eorum, quæ roborant, ſuperatur, imo ipſa *adſtringentia* applicata valent.

5. Si vero cohærendi conatus amiſſus fuit, ille reſtituitur etiam *roborantibus*. Medicamenta horum in propriis titulis quærenda.

TRACTATUS SEPTIMUS.

De Elaſticitate Solidorum.

Definitio. I. ELaſticitas in partibus firmis dicitur, quando figura mutata alicujus corporis a cauſa externa, propria inſita vi priſtinam figuram acquirit.

Ex contactus Mutatione. II. Nulla figuræ mutatio ſine contactus mutatione partium, iſtud corpus conſtituentium.

In quibus conſiſtit vis Elaſtica. III. Sed quia in chordis & fibris cauſa tendens requiritur primo, antequam vis elaſtica agit, ergo illa vis conſiſtit reditu partium (fig. 6. 12. 13.) ad ſe invicem.

IV. Corpora illa elaſtica perfecte redeunt ad eandem figuram, ergo in extenſione ea nil debet ingredi ſpatia, (fig. 6. 12. 13.) quod impleret.

Requiſita. V. Et quia in his facilis eſt diſtentio, quæ ſenſim pro ratione extenſionis majorem requirit vim, ut docent ſagittæ chordarum flexarum (fig. 22.) & laminæ elaſticæ (fig. 23), lævitas requiritur inter partes parallele tangentes; & ſpatia relicta inter partes continuo inaniora; & lubricitas materiæ glutinoſæ.

Cauſæ. VI. Talis ſtatus in nobis fit, exercitationibus noſtri corporis motuque frequentiore, compingendo partes, & magis glutinoſum ductile reddens gluten: aut quæ roborant fibras ſine ſubſequente fragilitate.

Effectus. VII. Talis ſtatus ſolidorum, quia impetum receptum eadem velocitate repellit, validiſſimam circulationem ſuſcitat, ſi non nimis, optime coctiones & præparationes humorum promovet; calorem corpori inducit: ſed ſi validior, omnia perturbat, & illa fiunt, quæ in nimia ſanguinis circulatione oriuntur.

Quæſtiones. VIII. Intelligimus inde.

1. Quare corpora robuſta morbis inflammatoriis obnoxia?
2. Quare a variolis juvenes magis quam pueri & feminæ periclitantur?
3. Cur in morbis acutis robuſti ſymptomata validiora habent?
4. Cur metalla contundendo elaſtica fiunt?
5. Cur chordæ humidæ minus elaſticæ?
6. Cur humida & calida applicata minuunt calorem?
7. Cur aqua egelida pota magis refrigerat aqua frigida?
8. Cur corpora hyemali tempore, & regionibus frigidis a majori pondere humorum non ita aggravantur, quam in calidis?

9. Cur

9. Cur aerem leviorem, cœnoſum, humidum, judicamus graviorem?

IX. Curatur illa major elaſticitas *Curatio.*

1. Quiete & otio, ſomnoque longiore.
2. Motu circulatorio minore.
3. Laxatione fibrarum *humectantibus*, & *laxantibus* inducta.
4. Evacuationibus quibuſcumque ſine ſtimulo.

TRACTATUS OCTAVUS.

De Inertia ſeu Elaſticitate minuta.

I. SI fibræ noſtri corporis tenſæ vix aut non redeunt ad priſtinum ſtatum, quod tamen in ſanitate requiritur, vel Elaſticitas minuta, aut inertia, aut flaccida fibra dicitur. *Definitio.*

II. Quomodo autem flaccere poteſt fibra, ex elaſticitate utcunque intelligitur: amittit enim vel *Cauſæ.*

1. Vim contractilem inter partes:
2. Aut ſpatiola patent ingreſſui alterius materiæ: &
3. Omnes cauſæ fere fibram laxantes huc pertinent.

III. Si ita flaccidum ſit corpus in partibus ſolidis, humores in motu ſuo ſiſtuntur, circulatio ſuffocatur, collectio fit ubique, & congregationes humorum, atque ſtagnatio; corporis frigus ex minori attritu; humorum inviſcatio & ſpontanea corruptio; in ſanguinem propellendo major moleſtia; pituitæ in pulmonibus, ventriculo, inteſtinis, collectio. *Effectus.*

IV. Curatur cauſis iſtis, quæ faciunt majorem elaſticitatem, præprimis, ſi ſimul aſſumuntur modica adſtringentia calida, & Chalybeata, quorum materies medica in *roborantibus* invenitur. *Curatio.*

TRACTATUS NONUS.

De Robore contractilitatis majore.

I. ALiud genus roboris eſt, quod conſiſtit in majori contractilitate; ſi nempe contractio naturalis omnibus fibris major ſit, quam in corpore ſano adeſſe debet. *Definitio.*

II. Hoc non modo a majore *robore cohæſionis*; ſed & a multis aliis cauſis excitatur, ut *Cauſæ.*

1. Exſiccatione; 2. Adſtringentibus applicatis; 3. Calore adurente; 4. Frigore glaciali; 5. Stimulantibus applicatis; 6. Spirituum influxu continuo: 7. Adductione fibræ in ſummam contractionem.

III. Exprimitur inde tenuiſſimum liquidum, reliquum denſatur; validiori applicatione & attritu calor ſuſcitatur; oſcula ſecretoria quandoque integre clauduntur, aut intercipitur circulatio; in partibus nervoſis dolores ſæpe intolerabiles, in muſculoſis miræ contorſiones; in locis vulneratis hiatus; ſuffocationes hyſtericæ, hypochondriacæ; & multa talia. *Effectus.*

IV. Curatur *humectantibus*, tepidis; ablatione ſtimuli; compeſcendo ſpirituum influxum *anodynis*, *narcoticis*. *Curatio.*

V. Intelligimus, unde in morbis inflammatoriis & acutis tanta cutis ſiccitas? *Quæſtiones.*

1. Quid indicat diaphana urina in morbis convulſivis & acutis?
2. Unde durities pulſus in inflammationibus & febribus?
3. Unde urinæ ſuppreſſio ſine calculo renum vel veſicæ?
4. Cur humida, mollia, tepida, oleoſa, leniunt dolorem combuſtionis, arcent futuram inflammationem & gangrænam, frigida vero & ſicca ea promovent?
5. Cur illa contuſionis tumorem, dolorem, ſugillationem, arcent, dum con-

traria adaugent?

6. An adſtringentia defenſiva dicta recte applicantur contuſis & ambuſtis?

7. An pars congelata actu calidis nimis eſt degelanda?

8. Quomodo ligaturæ roborant laxata, medentur herniis & procidentiis?

9. Cui ſpeciei luxationis, arida, ſicca, calida, ſpirituoſa, cui fomenta mollia, tepida, & oleoſa applicanda?

TRACTATUS DECIMUS.

De flaccida Fibra & Contractione minore.

Definitio. I. SI naturalis contractio, quæ in omnibus fibris ſolidis ſanis viget, minuitur, ita ut ſanitati obſit, vel fere integre perit, flaccidæ tales fibræ habentur.

Quid differt a laxitate? II. Diſtat enim in eo a laxitate, quod in hac fibra ſemel tenſa, etiam ſi fiat a naturali gravitate, non redit in debitam contractionem & brevitatem, dum vero in laxitate tamen redire poteſt, ablata cauſa tendente.

Cauſæ. III. Sunt autem cauſæ hujus fere eædem, quæ ſunt laxitatis, præprimis diſtenſio fibræ ultra donum.

Effectus. IV. Omnia quoque eadem fiunt ac in laxitate.

Curatio. V. Et curationem eandem poſtulat.

Quæſtiones. VI. reſpondetur ad hæc quæſita.

1. Cur herniæ ſponte ſua vinculo ablato excidunt?

2. Cur tandem varices, procidentiæ & herniæ, ſola ligatura curantur?

3. Qualia Medicamenta partibus luxatis ab hac cauſa, & qualis deligatio adhibenda?

4. Quomodo ſtimulantia & adſtringentia calida promovent ſtomachi digeſtionem?

5. Quare hydropici, eductis aquis, ſæpe recidivant?

6. Quid œdema partium infernarum abeuns, redeunſque?

TRACTATUS UNDECIMUS.

De Solidorum elongatione & extenſione.

Definitio. I. SI fibra ſolida ab aliqua cauſa majori, quam eſt ejus vis contractilis, longior fiat ſine ruptione, cum quodam renixu, *extenſio* vocatur; verum ſi parum reſiſtat, facileque ſubſequitur, *elongatio* dici poteſt.

Cauſæ. II. Longior fit, 1. punctis ejus extremis remotis; 2. ex recta in curvam lineam fibra ducta; 3. vi trahente ſpontanea plurimarum fibrarum a paucioribus ſuſtentata; 4. Suſtentaculi externi privatione; 5. impulſu humorum interno aucto: his ſi accedat laxitas, fibra elongatur; ſi vero robur contractionis adſit, extenditur ea.

Effectus. III. Tali extenſione fibræ validæ rigeſcunt, verum poſtea ſæpe amittunt tonum, canales anguſtantur, unde dolor; Si nimis fiat, ſemper laxantur; interſtitia fibrarum in membrana ampliora fiunt; unde ſæpe deſudat humor. Si ſimul fibra laxa, collectiones humorum, tumores molles, frigus & gravitas partium fiunt.

Quæſtiones. IV. Novimus inde

Cur ſemel hernia vel procidentia facta a cauſa violenta poſtea facile a parva cauſa redit?

Cur pars ſemel luxata poſtea iterum facilius prolabitur?

Cur tumores inflammatorii duri, œdematoſi vero Molles?

Cur pars renitens tenſa dolet, mollis vero ſine multa moleſtia facile ſubſequitur?

Cur

Cur pars diu dolorem passa, cessante dolore, debilis remanet?

V. Curatio absolvitur. 1. Adductione fibræ in summam contractionem, ut in herniis & procidentiis vel emplastris tenacibus & futuris inæquabili tractione subveniendo; sæpe etiam perscindendo, vel comburendo fibras nimis distentas ut in læsione nervorum. 2. Auferendo causam tendentem: si sit sanguinis impetus major, sola venæ sectio sæpe sufficit. 3. Si laxitas remanserit, ea, ut antea monitum est, tractanda. *Curatio.*

VI. Hinc intelligimus. *Quæstiones.*

1. Cur venæ sectio minuit dolorem inflammatorium?
2. Qui colicus dolor clysmate tollitur?
3. Quomodo partes infirmæ a podraga roborantur?
4. Cur tumoribus œdematosis stimulantia & roborantia, inflammatoriis vero laxantia & mollia adhibentur?

TRACTATUS DUODECIMUS.

De Solidorum Adductione & compactu.

I. *Adductio* dicitur, si extrema fibræ ad se invicem propius adducuntur; *Compressio*, seu compactus vero, si latera ad se mutuo pelluntur. *Definitio.*

II. Externe 1. Id fit ligaturis, pondere imposito, compressione manus vel alterius instrumenti, decubitu in aliquam partem: 2. Interne vero a corpore duro, osse fracto, luxato, excrescente, cranii intropressione, malaque ossium configuratione, calculis, fragmentis, corporibusque duris inter partes, tumoribus duris scirrhosis, cancrosis, fœcibus alvinis induratis: ut & 3. Tumore quocumque molliori, collectionibus humorum in quodam cavo, abundantia humorum, cacochymia replente: atque 4. Impetu humorum validiore in quandam partem: & 5. Impletione majorum vasorum, ratione minimorum in suis lateribus. *Causæ.*

III. Adductione Tonus fibrarum recuperatur: sed tandem rigidæ fiunt, a compressione uniuntur fibræ, canales exsucci redduntur, humor tenuis exprimitur, & partes fibras constituentes propius colliguntur, transitus per canales vel majores vel minores intercipitur. *Effectus.*

IV. 1. Cur membra flexa diu retenta postea extendi nequeunt? *Quæstiones.*

2. An in luxatis & fractis membra non movenda?
3. Cur callus ab attritu & pressione frequenti?
4. Quare vesica urinaria callosa fit in calculosis?
5. Cur membrum luxatum vel fractum non restitutum, primo immobile, postea tamen roboratur?
6. Quomodo curatur vesicæ paralysis ex nimia retentione urinæ nata?
7. Cur inedia ventriculi coctionem in helluonibus restituit.
8. Cur in plethoricis urinæ suppressio V. S. reseranda?
9. Cur hæmorrhagia arcet delirium futurum?
10. Cur ex phrenitide sopor?
11. Quomodo in plethoricis apoplexia?
12. Quomodo sanguinis crassior vasa distendit?
13. Cur aer compressione gravior animalia æque extinguit quam levior, sed minus cito?
14. Unde pars compressa calet?
15. Cur a decubitu gangræna partis, quæ evitatur sæpe mutato situ corporis?
16. Cur in phrenitide sæpe crurum stupor & frigus?
17. Quare gravidæ tumore & varicibus pedum laborant?
18. Quare a scirrho glandularum sub axillis, frigus, paralysis, aridura, tumor lividus brachii, tam mala?

V. Cu-

Curatio. V. Curatio consistit in ablatione prementis & extendentis, quod repositione, elevatione, evacuatione humoris, mutato situ corporis, efficitur.

TRACTATUS DECIMUS TERTIUS.

De Siccitate Solidorum.

Definitio. I. PArtes solidas minus irrigatas humore blando tenui denotat siccitas.

Causæ. II. Id fit 1. Omni exsiccatione, aere sicciore, vel a sole vel arte.

2. Defectu ingestionis humoris aquosi in siti diu tolerata, vel aquæ penuria.

3. Evacuatione humorum tenuium nimis per insensibilem perspirationem, sudorem, urinam, salivam.

4. Compactu humorum in phlogisticam dispositionem a febre, motu corporis, aromatum similiumve calidorum stimulantium, & spiritus vini, abusu.

5. Absorbentibus, exsiccantibus applicatis.

6. Oscillatione & constrictione solidorum vehementiori diu.

Effectus. III. Sic affecta solida contrahuntur, vehementer oscillant, quædam fibræ tensione dolent; constringunt sæpe oscula & vascula minima; partes sentientes tangi recusant; franguntur aridæ facilius; rigidæ fiunt; oculi squallent, & in angulis eorum lema colligitur; alvus non nisi dura & coacta dejicit; urina rubra, flammea, pauca, acris, vix retinenda; os siccum vel glabrum vel tenaci mucilagine obsitum, sudor nullus; applicata humida statim exarescunt; pulsus vel durus vel debilis.

Curatio. IV. Curatur *humectantibus*.

TRACTATUS DECIMUS QUARTUS.

De Uligine seu Humiditate Solidorum.

Definitio. I. SI plus humidi intime partibus solidis mistum sit, quam ad sanitatem requiritur, uligo dicitur.

Causæ. II. Generatur illa.

1. Ingestione humidorum copiosiore, vel applicatione omni modo:

2. Solutione humorum nostri corporis in tenuiorem liquorem, qui se inter fibræ partes insinuare potest:

3. Minore actione solidorum; sive ex defectu motus animalis vitalisve, liquidum alias exprimentis: humectant enim corpus labor minor quam ex consuetudine; frequens balneum; cibus plenior, multa potatio.

4. Minuta vi contractili inter partes solidam fibram constituentes, liquori ingressum præbentes in spatiola:

Effectus. III. Talis status solidorum facit nexum fibrarum laxiorem, debiliorem, minus elasticum; pars tumet, fit mollior, frigidior, iners; motus impotentia; faciles herniæ, procidentiæ, tumores œdematosi, rachitis & similia.

IV. Curatur exsiccantibus.

Quæstiones. V. Intelligimus, quid indicat corporis mollities, frigiditas?

Cur quies, otium, somnus longior corpora opplet & enervat?

Quomodo aquæ potatio minuit quandoque perspirationem?

Cur corpus movendum post aquæ potum, ut servetur robur.

TRA-

TRACTATUS DECIMUS QUINTUS.

De Nervis & Spiritibus.

I. CORpora teretia, cylindrica, ex medulla oblongata cerebri provenientia, & ſpinali medulla, per totum corpus multis propaginibus diſperſa, ad ſenſum & motum perficiendum deſtinata, *nervi* dicuntur. *Definitio.*

II. In his obſervandum: 1. Interna eorum ſubſtantia fibroſa, ex corticali ſubſtantia cerebri, cerebelli & medullæ ſpinalis proveniens: 2. Tunicæ ſeu involucra hanc ſubſtantiam cingentia, duræ piæque matris propagines: 3. Liquor fluens in cavis fibrillarum: 4. Humor inter fibrillas. *Diviſio.*

III. Fibræ in medulla cerebri & cerebelli & medulla ſpinali collectæ in medullam cerebri oblongatam magis compactæ, minime confuſæ, ad baſin cranii & interſtitia thecæ vertebrarum productæ egrediuntur, ſemper tunica vaginali munitæ, ita per totum diſtribuuntur corpus canaliculis diſtinctis ab origine uſque ad ſua deſtinata loca. *Fibrarum origo.*

IV. Harum exilitas quæ tomento vaſculorum arterioſorum cerebri a Ruyſchio demonſtrato eſt tenuior, comparata cum tota cerebri cerebellique medulloſa mole ingenti, quæ tota in has deſinit fibras, magnum numerum arguit: præprimis cum nullum in toto corpore aſſignari queat punctum, quod his non gaudet fibris. *Ingens numerus.*

V. Pulpoſæ, molles & exiliſſimæ fibræ, diſtinctæ tamen, & in origine, & in organo, ubi operantur; in itinere acquiſita tunica a dura & pia matre mutuata defenſæ, munitæ, firmatæ, organa dura, ramoſa, ſenſibilia, nervos dicta, conſtituunt; in membranam planam, vel pulpoſam molem organi iſtius, vel inſenſibiliter, evaneſcunt. *Tunicæ*

VI. Per fibras exiliſſimas has liquorem perpetuo fluere, qui ob tenuitatem ſpiritus vocandus, demonſtrat: 1. Cerebri cerebellique deſtructio, compreſſio, ablatio: 2. Totius vaſculoſæ ingentis molis horum in has exitus: 3. Nervi inflexi, laxi, nodoſi, prompta operatio: 4. Nervi compreſſi, ligati, functionum interceptio: 5. Difficilior reditus ſanguinis ex cerebro per ſinus, quam aliis in corporis partibus per venas: 6. Similitudo fabricæ cum aliis organis ſecretoriis, omni enim parte, ubi deſinit arteria, provenit fibrilla, uti tubuli excretorii in aliis viſceribus. *Spiritus fluxus perpetuus.*

VII. Ex cerebri magnitudine comparata ad alia ſecretionis organa; numero & magnitudine arteriarum cerebrum petentium; quantitate ſanguinis ſingulis ictibus cordis ad cerebrum pulſa; & ingenti numero harum fibrillarum; magna hujus ſpiritus copia conjicitur. *Copia magna.*

VIII. Hujus autem æquabilis eſt confectio: 1. Canalis oſſeus majorem arteriarum dilatationem inhibet, quod non fit in aliis organis ſecretoriis: 2. Frequens occurſus ſanguinis ob multiplices anaſtomoſes: 3. Amiſſio tunicæ muſculoſæ arteriarum ſanguinem propellentis. 4. Æqualis cranii compreſſio nec extenſilis nec compreſſilis. 5. Defectus muſculorum & pinguedinis, aliqua tamen eſt differentia ad ictum pulſus, uti obſervavit Malpighius; mane enim in crepuſculo videbat lucem jam majorem jam vero minorem: ſtatim etiam ac cor deſinit pulſare, omnis ſenſus abit, conqueruntur in principio lipothymiæ de tenebris oculorum, dum pulſus incipit minui, & cadunt. *Æqualis confectio.*

IX. Sed quia cranium firmum; æqualis quantitas effluit ſanguinis quæ impellitur: & quia fibrillæ anguſtiſſimæ, tardus admodum erit, quod liquor ſpirituoſus undique tangat latera fibrarum, (ut demonſtrant hydraulici) hujus humoris per fibrillas nervoſas fluxus: quibus accedit frequens ſanguinis occurſus, antequam ad hos pervenit canaliculos. *Tardus fluxus.*

X. Qui contemplatur: 1. Parvitatem extremitatum arteriarum cerebri evaneſcen- *Tenuitas.*

ſcentium lanuginis inſtar, fibris nerveis adhuc majorum : 2. Liquorem omnem ſenſum etiam armatum illudere : 3. Aperturas fibrarum microſcopia vel optima latere : 4. Fibras ligatas ab influxu hujus liquoris non intumeſcere : incredibilem huic liquori adſcribet tenuitatem, & exilitatem fibrillis.

Uſus. XI. Horum ſpirituum ope a cerebro & cerebello diſtinctis fibris fluentium, motus vitales, animales, & ſenſus peraguntur.

Liquor inter fibrillas. XII. Liquor vero inter fibrillas has invenitur involucro nervi coercitus, vel ex ipſo encephalo, vel ipſis vaſculis, quibus ſcatet nervi involucrum, depoſitus, glutinoſior & craſſior priori, viſibilis ſæpe & exſtillans e cauda ſecta, nervo tendineque ſauciato effluens, ligatum nervum junioris animalis ſupra ligaturam expandens, ad nutritionem, humectationemque deſtinatus, qui multa ſuppeditat præpoſtere ſpiritibus adſcripta.

Exitus liquorum. XIII. Spirituum, & hujus liquoris, quia continua ſecretio & circulatio, perpetua retentio in nervis nequit eſſe, ſed abſorbentur iterum, aut funduntur in vaſa lymphatica venoſa, vel in glandulas, vel eliminantur e corpore, aut quædam horum vel omnia fiunt: & quia inviſibilis conjectura tantum, vel quadam probabilitate rationis, horum exitus aſſequitur.

Quæſtiones. XIV. Ad multa obſcura ex hac deſcripta fabrica reſpondetur.

1. An ſpiritus hi comparandi ſpiritibus plantarum ; ſpiritibus fermentatis aut ſalibus ſolutis, quod a ſale volatili & ſpirituoſis refocillemur ; oleo attenuato, vel aquæ?

2. An ſenſus deferuntur, ab organo ad ſenſorium commune, motu tremulo fibrarum?

3. An ſenſus perceptio celeri motu ſpirituum ab organo verſus ſenſorium?

4. An ideo nullus liquor fluit per fibrillas, quod nervus abſciſſus tranſverſe nihil liquoris exprimit, neque aliquid liquoris neque aperturæ in fibris conſpiciuntur? contrarium patet abſciſſione pedunculi peponis, & pedis alicujus inſecti.

5. An nervus ligatus ſupra ligaturam non intumeſcens abſentiam liquoris circulantis comprobat, & intumeſcens in junioribus animalibus ſpirituum fluxum per fibrillas arguit?

6. Num liquor glutinoſus, ſtillans e tendine vel nervo ſauciato, ſint ſpiritus?

7. An non quædam portio ſpirituum vel liquoris nervorum per inſenſibilem perſpirationem eliminetur?

8. An ſtagnent ſpiritus in canalibus cæcis?

9. An omnes ſpiritus ſemel functo munere inutiles facti evacuantur? an vero circulantibus miſti iterum ſerviunt?

10. Circulatio ſpirituum num per alias fibras iterum ad cerebrum, vel per interſtitia fibrillarum, pro ſenſibus communicandis?

11. Cur cerebrum & cerebellum propugnaculo oſſeo munitum & omni pinguedine & muſculis deſtitutum?

12. Per quas vias cera injecta in arteriam carotidem tranſudat in ſinus cerebri?

13. An totum corpus conſtat quoad ſolida ex fibris nervoſis?

14. Cur nervus mollis in origine, durus in itinere, iterum mollis in organo?

15. An ubique toto corpore in extremitatibus arteriarum, ſimili modo ac in cerebro, ſecernuntur ſpiritus?

16. Cur venæ viis oppoſitis ſe evacuant in ſinus?

17. Cur cerebri figura hemiſphærica?

18. Quid facit plexus Choroides?

19. Unde & cui uſui ventriculi?

20. Quid boni a falciformi & ab altero proceſſu duræ matris?

21. Cur cerebellum cavitatibus deſtitutum, ſeorſim poſitum, tutius reconditum, quam cerebrum?

22. An omnium nervorum principia circa glandulam pinealem?

23. An

23. An ſpiritus fermentati ſua levitate cerebrum petentes ebrietatem & apoplexiam generant?

24. An homines in frigore glaciali verſantes, ſanguinis craſſitie, aut defectu motus ſanguinis, aut majori preſſione ſanguinis ad cerebrum, ſomnolenti primo, dein apoplectici fiunt?

25. An ex cerebri magnitudine majorem ſapientiam, & ex cerebelli majore mole vires fortiores arguere licet?

26. An per fibrillas nervoſas ſuccus nutrititius vehatur ad partes nutriendas, quia nervo deſtructo nutritio iſtius partis ceſſat?

27. An nervi omnem vim ſuam & actionem exerceant vibratione ex tenſa fibrilla pulſa pendente? obſtat 1. pulpoſa mollis flacciditas fibrarum 2. Accurata diſtinctio ſenſus & motus 3. Validior motus, quam ex concuſſione tali provenire poſſet. ita Baclivius, Galenus, Piſo, & Plato.

28. An ex motus ſpirituum celeritate, & oculis pellucidis in ſanis, languidis in valetudinariis & moribundis, igneis in delirantibus, ſpiritus de lucis eſſentia participare arguere licet? ita Willis.

29. An ſpiritus animales ſint de natura nitri aerei, quod in inſpiratione ſanguini permiſcetur & ad Cerebrum defertur? 1. Quod in motu majori reſpiratio intendatur: 2. quod motus muſculorum fiat a particulis nitro aereis, cum ſalino ſulphureis ſanguinis, per nervos in muſculum delatis: 3. quod ſint particulæ mobiliſſimæ, elaſticæ, motibus obeundis aptiſſimæ: 4. quod volatiliſſimæ nullum veſtigium relinquentes. 5. animalia in vacuo ſtatim perire. 6. Organa reſpiratoria affecta debilitatem generare. 7. Aerem peſtilentialem tam cito vires extinguere. 8. cerebrum carere ſalino ſulphureis particulis, utpote deſtitutum ſanguine rubro, ideoque aptiſſimum ad conſervandas particulas nitro ſulphureas: ita Majovv, quæ omnia hypotheſin ſapiunt.

30. An ſpiritus aliquid Æthereum libere vagans ſuis globulis rotundis per nervos, ſed in motum concitatum a voluntate tunc operatur?

31. Cur nervi exſiccati, indurati, in callum converſi, amittunt ſenſum & motum?

32. An nervi in ætate conſtanti non amplius increſcere poſſunt? docet caro luxurioſa, tubercula & ſimilia.

33. An pili & ungues non a nervis, quod ſenſibus deſtituti?

34. Num ſpiritus acidi ex aere recepti ad fermentationes omnes ſuſcitandas ex cerebro ad cunctas partes dimittuntur? ita Paſcal.

35. An ſuccus nervoſus nutrimentum ſuppeditat partibus, quod nervo deſtructo pars exareſcat?

36. An ſecretio glandularum ex ſucco nervoſo, an vero ad motum deſtinati ſunt nervi glandulas adeuntes?

Ganglia quid ſunt.

XV. Corpuſcula oblonga, olivaria, dura, capſula veluti tecta, in qua moveri poſſunt preſſione digitorum, carnei utcunque coloris, ſubſtantia nervoſa nodi inſtar multis in locis corporis quibuſdam nervis veluti circumnata, ubi multi nervoſi ſurculi coeunt, ganglia dicuntur; quamvis etiam quidam tumores morboſi duri, mobiles, præprimis ad tendines & nervos, eodem nomine appellantur.

Nervi ingredientes.

XVI. Nervi qui ingrediuntur ganglium, circa axin ejus internam fibroſam ſubſtantiam ex fibris parallelis conſtantem conſtituunt; alii ad latera ingredientes his fere omnes junguntur, fibris diſtinctis manentibus, nam quidam eorum in ganglii integumenta diſperguntur.

Nervi egredientes.

XVII. Ex Meditullio hujus ganglii fibroſo, tanquam a pinna coſtæ, multæ fibræ obliquæ deorſum a centro glandulæ ad ejus circumferentiam feruntur, ubi in involucra quaſi tendinem evaneſcunt.

Aliæ autem fibroſæ propagines involucra pertundunt, a quibus, vaginulis acceptis, per adjacentes corporis partes diſperguntur. Axis vero ganglii fibroſa,

poſtquam ab omni parte has promiſit propagines, per inferius centrum ganglii iterum exit. Hi ingredientes & egredientes nervi, magis, quam aliis in locis, craſſi, & colorati, magnitudine vaſorum ſanguiferorum.

Intima membrana.

XVIII. Obteguntur hæ fibræ nervoſæ ſeu meditullium ganglii membrana quadam, ex fibris arctiſſime complicatis conſtante, quæ piæ matris eſt productio.

XIX. Membrana huic incumbens extima, priore craſſior, fibris rubris muſcularibus velut conſtans, retis inſtar contextis, laxæ comprehendit tanquam nucleum, vel ut tunica vaginalis teſtem, ganglium ambit, quaſdam fibras in ganglii ſubſtantiam demittens; intus humore lubrico lævis ſuperficies hujus membranæ perfunditur.

Vaſa.

XX. Venas & arterias ab adjacentibus partibus copioſiſſimas habent.

Qui nervi gangliis donantur.

XXI. Nervi olfactorii, optici, acouſtici deſtituti ſunt his gangliis, ſed qui ad diſſitas corporis partes tendunt, his donati ſunt.

Nervi ibi craſſiores.

XXII. Nervi his gangliis appropinquantes & ab iis abeuntes craſſiores & coloratiores quam alibi, qui multi uniti in ganglio coagmentantur.

Concluſiones & interrogata.

XXIII. Patet inde, in itinere nova vaſa ſanguinea accipere ganglia, quæ nutrirent involucra nervorum, & ſuppeditarent humorem lubricum, motumque vitalem fibrarum motricium tunicarum nervi continuarent.

2. Cur nervi circa ganglia magis colorati?

3. Cur gangliis non opus in nervis, qui ad proximas feruntur partes?

4. An motus oſcillatorius tunicarum promovet ſpirituum fluxum per exiliſſimas fibrillas?

5. An non fibræ nervoſæ diſtinctæ maneant, etſi multæ uno ganglio congregantur?

6. Cur in iſtericis & hypochondriacis ganglia hydatidibus obſita & majora ſæpe inveniuntur, & nervi laxiores magiſque exſucci?

7. An ganglia in cerebri ſubſidium, an vero duræ & piæ matris, veniunt?

8. Num tanquam torcularia per corpus diſperſa motum circulatorium per nervos promovent?

9. An ganglia in ſomno otiantur, in vigilia vero prompte ſua munera exſequuntur?

10. Cur a contuſione, & infarctione ganglii paralyſis partium infernarum?

11. Cur tantus conſenſus inter partes, quæ ab eodem ganglio nervos habent?

12. An motus voluntarius a gangliis, dum omnes fibrillæ nervoſæ in iis contenæ a conſtrictione comprimantur?

13. An Motus languidus animalis, & vitalis, atque ſenſus hebetiores, laxatis involucris ganglii & nervi, ſine ullo vitio ſpirituum in fibris ipſis?

14. Cur morbi nervorum præprimis ludunt circa ganglia?

15. Unde meditullium & involucra ganglii formantur?

16. Num motus convulſivi a motu inordinato tunicæ nervi, vel ganglii, ſpiritus propellente per fibrillas?

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS.

De Senſibus in genere.

Senſus externus.

I. SEntire dicitur homo, qui mutationem alicubi in ſuo corpore factam percipit. Hæc cauſa mutans vel eſt extra nos, vel in nobiſmet ipſis.

Delirium quid.

II. Si ſimilis mutatio offeratur menti a cauſa interna incognita movente, mens tunc eodem modo ratiocinatur de eadem perceptione, ac ſi revera organum ſenſus fuiſſet affectum, quoniam vero talis affectio non fit in aliis hominibus, hic delirare præſumitur.

Sentire quid.

III. Sentire ergo eſt percipere ea, quæ extra nos fiunt, & in nobiſmet ipſis.

A mutatione organi.

IV. Illa perceptio demum fit, ſi quædam mutatio in organo fiat.

V. Quo-

V. Quoniam in rebus corporeis nulla fiat mutatio ſine motu, adeoque ſupponit ſemper aliquem motum in organo. *Supponit motum.*

VI. Ille motus ad mentem delatus in nobis excitat ideam, quam ſentire vocamus. *Idea ſentire dicitur.*

VII. Quo pauciores tales motus in noſtro corpore excitantur, eo vividior & clarior perceptio: quo autem plures, eo magis confuſa & minus diſtincta. *Numerus idearum.*

VIII. Senſus in organo excitatus cum attentione mentis multo clarior quam ſine ea. *Idea clarior.*

IX. Senſus (longo uſu exercitatus) ut & etiam plane inſolitus, accuratior, magiſque diſtinctus. Ita Tactus in cæcis, Auditus in muſicis, præcellit iiſdem in aliis hominibus non aſſuetis. *Perfectior.*

X. Quædam animalia omnibus ſenſibus deſtituta ſunt, excepto tactu uti vermes: alia vero longe accuratius ſentiunt quam homines; veluti canes venatici in olfactu; lepores aliaque animalia, quæ erectas gerunt aures, in auditu; feles & mures, ceteraque noctivaga, in viſu. *Senſus animalium magis minuſque perfectus.*

An hoc quoque verum in guſtu & tactu?

XI. An inde concludere licet, plures eſſe quam quinque ſenſus, quoniam quædam animalia tempeſtates augurio præſagiunt; appetunt ea, quæ ſibi ſana, quæ nos haud valemus diſtinguere? vel verum eſt hoc aſſertum, vel provenit ex perfectiori ſtructura organi. *An plures quam V. ſenſus.*

XII. Diverſa organa de eodem ſubjecto varias notiones proferunt menti: ita moſchus ad tactum duritiem; naribus admotus fragrantiſſimum odorem, linguæ applicatus inſignem amaritudinem, & viſui ſuum colorem exhibet. *Varia perceptio prout diverſis organis applicatur.*

XIII. Quoniam determinatæ qualitates alicujus rei exiſtentis certo organo tantum manifeſtantur, inde patet, plures eſſe poſſe qualitates, quam quarum cognitionem habemus, ſi modo deficiat organon ad eas qualitates detegendas. Adeoque non concludendum aliquid non exiſtere, quod non a nobis percipitur. Ita ſurdus negaret ſonum, cæcus lucem & colores. *Num omnes qualitates ſenſibus noſcuntur.*

XIV. Organon a duabus diverſis cauſis eodem modo commotum, producit eandem ideam menti, ac ſi eſſet res eadem, 1. Ita baculus fractus, & alius dimiſſus in aqua & oblique conſpectus, eandem effigiem pingunt in oculo, ac ſi utrique fracti eſſent. *Quomodo ſenſus fallantur.*

2. Viſus duplicia videt objecta, ſi unus oculus aliter movetur quam alter: quoniam imagines objecti, in diverſis punctis oculorum depictæ habentur.

3. Radii lucis a candela divergentes provenientes, in margines palpebrarum refracti, antequam ingrediuntur oculum, radios emanantes exhibebunt, qui ab alio non conſpiciuntur, atque ſuperiores videbuntur inferiores, & contra.

4. Corpus parvum propinquum, & corpus magnum & e longinquo, ſi eandem imaginem in fundo oculi pingant, mens non valebit ex ſola hac re judicare, an corpus ſit parvum vel magnum.

5. Fibra nervoſa in membro mutilato ſi afficiatur, quæ verbi gratia exporrecta fuerat in pollicem, mens judicabit mutationem fieri in pollice.

6. Organon auditus eodem modo a graviori ſono e longinquo, mitiori proximo, commotum eandem ideam excitat, & ita de cæteris.

XV. Longa conſuetudo facit, ut ſæpe, quæ ſentimus, ratione quadam emendemus, & nobis omnino aliquid aliud exhibent, quam revera fiunt in organo. Ita in ſenſu famis & ſitis, quia cibo & potu placatur, non attendimus ad ea quæ ſentimus, ſed animus eſt in patina ſeu poculo. Sic ſi quis e longinquo aliquid videt, juſtam ejus magnitudinem determinat ex cognitione diſtantiæ. *Ratiocinium quomodo corrigit ſenſus. Quomodo ſenſus tandem extinguuntur.*

XVI. Idem ſenſus ſæpe excitatus ab objecto tandem non amplius percipitur. Ut olfactus ab eodem odore, guſtus ab eodem ſapore, auditus ab eodem ſono.

XVII. Senſus externi ſi exercentur, ſopiunt ſenſus internos & motum voluntarium: atque unus ſi fiat cum attentione, reliqui etiam minus vividi erunt. Ita tristitiam ſolatur muſica; opera manuum perverſe fiunt, aut non attente ſi quis *Sopiunt alios ſenſus & motus.*

si quis auscultat; gaudent fures in scena & concursu hominum, si aliquid novi spectandum proponitur.

Calor & frigus. XVIII. Quum calor & frigus alium sensum producant in organo tactus, an ergo hi sensus fiunt a novo organo uti Sylvius & post eum Bohnius? uti tactus & gustus in eadem lingua. Tunc in sensu tactus aliud esset quoque organon, quod detegit duritiem & mollitiem, lævitatem & asperitatem, & sic de cæteris.

Fames, sitis. XIX. Sensus, quibus percipiuntur fames & sitis, an non peculiare habent organum? ita sane videtur, pertinent hi sensus ad tactum, uti etiam visus gustus & auditus, verum exercentur tantum in quodam definito loco, non vero alibi, & omnino aliquid aliud est sitire & esurire, quam sentire illarum partium aliam affectionem.

Duo sæpe nervi in eodem organo. XX. Si duo diversi sensus in eodem organo percipiuntur, unus communis cum alio organo, alter peculiaris, duplex quoque habetur structura nervi in ea parte: ita in Lingua papillæ conicæ & limacum cornibus similes; in auditu nervus acousticus durus & mollis.

Dolor in omnibus. XXI. Omnes nervi sensuum valide affecti dolorem exhibent, ergo dolor non tantum pertinet ad nervos tactus, sed & ad reliquos omnes sentientes. Ita oculus a majori luce afficitur; auris a sono acutiori dolet; lingua a sapore acriori vellicatur.

Gratus, ingratus, adiaphoria. XXII. Quidam sensus lætitiam, alii tristitiam, alii adiaphoriam simul afferunt, in diversis hominibus, imo sæpe inter se variant in eodem homine, varii enim homines sæpe contrariis delectantur; & eidem homini, quod prius erat gratissimum, postea abominabile est, & contra. An hoc a diversa structura organi; an vero a diversa animæ percipientis natura?

Sensus non in organo. XXIII. Via intercepta inter organum sentiens & cerebrum, nulla sensus perceptio adeoque sensus non in ipso organo, quod veteres crediderunt.

Propagatio per nervum. XXIV. Verum solo nervo ligato aut destructo, eodem modo perit sensus, non vero ab alia quacumque parte destructa; solus nervus mutationem, aut motum in organo sentiente excitatum, ad cerebrum defert.

Motus in objecto. XXV. Sed motus excitatus ab objecto in organo aliquid aliud est, quam id erat in objecto. Ita sapida movent nervos gustatorios, ita color movet opticos: sed nec motus in gustatorio erit sapidus, nec motus in oculo erit color; verum motus aliquis specialis ab objecto excitatus.

Idea sensus in mente quid. XXVI. Nec idea igitur sensuum in anima formata est idem id, quod organo fuit applicatum, sed simplex motus animæ communicatus, ex motu facto in organo sentiente excitatus.

XXVII. Quia idem motus in organo excitatus semper eandem ideam menti affert, ergo idem Motus in organo eundem effectum edit semper in altera extremitate nervi, ubi repræsentatur animæ: nec opus est, ut sit idem motus in organo excitatus.

Nervi distincti sunt. XXVIII. Et quoniam non modo sentimus, sed & distincte, in quanam parte excitatur sensus, adeoque nervi distincti, ex omnibus partibus solitarii, tendunt ad eam partem in qua fit sensatio: adeoque nervi non communicant inter se, quemadmodum vasa circulatoria.

Perceptio in parte alia quam ubi causa hæret. XXIX. Si ergo idem nervus afficeretur in itinere, inter sensorium commune & illam partem in qua olim solebat affici, perceptio sensus non dirigitur ad partem affectam, sed ad eam, ubi olim suam exercere solebat operationem ille nervus; nisi ratiocinio corrigatur.

Propagatio per nervum. Duo observanda. XXX. Quum motus in organo excitatus non nisi per nervum propagetur ad sensorium commune, antequam ejus fit perceptio, duo consideranda veniunt, antequam recte potest definiri, quomodo in nobis fiat sensus. 1. Qualis sit structura nervi ejusque succi, per quos propagatio fit: de his in structura nervorum actum. 2. Quomodo motus mechanicus in organo excitatus alium motum in altera parte hujus nervi possit excitare, qui ab anima percipitur.

Sensuum perceptio. XXXI. Motus mechanicus in organis sensuum excitatus (XXX) per nervos

ad

ad ſenſorium commune delatus, ut ibidem fiat perceptio, ſentire dicitur; eſt itaque motus localis mere mechanicus. *Effectus motus in organo excitati feruntur ad ſenſoriū.*

XXXII. Idem ille motus in omni qualitate, in organo excitatus, fertur ad ſenſorium commune per nervos, vel effectus ab illo motu producti eo perveniunt, ut fiat ſenſatio.

XXXIII. Sed hi effectus quum dependent a determinata cauſa, erunt ſemper iidem; ergo ſenſus fiunt ab eadem cauſa, ac ſi ipſa cauſa movens deduceretur ad ſenſorium commune. *Senſus idem ab eadem cauſa.*

XXXIV. Qualis autem motus in altera extremitate fiat, determinare haud poſſumus, ſufficit ſcire, modo ſit certus motus mechanicus in extremitate nervi, qui a mente percipitur, & quamvis definiretur, nihil promoveret ſcientiam medicam. *Qualis motus in alteranervi extremitate.*

XXXV. Si effectus motus in alio loco ſit producendus, 1. Vel corpus ipſum in motu exiſtens eo debet deferri: vel 2. Propagatio fieri per continuitatem partium ſolidarum vel 3. Per contiguitatem liquidorum inter cauſam moventem & effectum productum ex hoc motu. *Requiſita ad hunc motum.*

XXXVI. Omnia corpora mota continuant motum ſecundum lineam rectam, æquali celeritate per medium non reſiſtens: ſed nervi pleni ſunt, ergo motus excitatus non poteſt hoc modo ad ſenſorium commune deferri. *Motus ipſe non defertur ad cerebrum.*

XXXVII. Corpora autem mota per medium reſiſtens minuunt celeritatem & actionem, ut quadrata longitudinis viæ emenſæ, ergo motus in diverſis corporis partibus non eodem tempore poſſent venire per nervum plenum ad ſenſorium; atque nullus vel vix ullus reſtaret motus circa ſenſorium; & motus exigui nunquam perciperentur.

XXXVIII Corpora mota in obſtaculum molle irruentia, uti ſunt fibrillæ nerveæ, amittunt motum, ſi perpendiculariter in id feruntur, ergo omnis motus periret in nodoſis nervorum contorſionibus, & gangliis.

XXXIX. Ergo motus, in organo ſenſorio excitatus, non poteſt ad ſenſorium deferri, quod eſſet falſiſſimum.

XL. Si per continuitatem fiat motus propagatio, (XXXV.) huic debent inſervire fibræ medulloſæ nervi, aut ejus tunicæ duriores: de vaſis ſanguiferis & lymphaticis non eſt dubium. *An ſenſus a partibus ſolidis.*

XLI. Sed tunicæ duræ non poſſunt eſſe medium. 1. Quia communes, ergo nullus ſenſus diſtinctus. 2. Ipſum organum ſentiens non conſtituunt, ut patet in organo tactus, guſtus, viſus &c. *Non a tunicis.*

XLII. Si per fibrillas ipſas ſolidas nervorum ſenſuum propagatio fieret, hoc tunc fieri deberet, 1. Propulſione. 2. Tractione. 3. vel Continuatione motus tremuli ſuſcitati. *Nec a fibris ipſis.*

XLIII. In continuando motu propulſionis corporis firmi tanta requiritur rigiditas, ut cohærentia partium ſuperet omnes reſiſtentias & attritus corporum ambientium, quod ſane nemo admitteret in mollibus fibris nervoſis. *An a propulſione.*

XLIV. Corpora rigida inflexa, quamvis eorum una extremitas retro pellatur, nullos tamen motus in altera extremitate, excitarent: pro exemplo ſit chorda rigidiſſima ex cupro vel chalybe. ergo.

XLV. Chordæ illæ lateraliter preſſæ nullum motum excitant in altera extremitate. Ergo omnis preſſio lateralis ad fibrillas nerveas nullam faceret ſenſationem.

XLVI. Si fiat a tractione; (XLII. N. 2.) durities requiritur tanta, ut potius tota fibra ſequatur, quam ut ejus portio rumperetur, quin unquam tale quid ſtatuere poſſet in pulpoſo organo tactus, viſus aut auditus, & in pulpoſa cerebri medulla? *An a tractione.*

XLVII. Chordæ laxæ, pendulæ, tractæ, nullum motum excitant in altera extremitate: idem verum eſt, ſi per inflexas vias deductæ ſunt. Quoniam vero tali modo nervi facti ſunt, ergo ex hac cauſa nulla fieret ſenſatio.

XLVIII.

XLVIII. Ergo etiam nullus ſenſus, niſi attractione fibrarum, quod falſum eſt.

Nec motu tremulo.

XLIX. Maxime recepta ſententia eſt, perceptionem fieri motu tremulo in fibra nervoſa excitato, quam ut infringamus ſequentia obſervanda.

L. Ad continuandum motum tremulum requiri corpus elaſticum, rigidum, aut valide tenſum, verum fibræ ſunt molles flaccidæ.

LI. Tenſio chordæ non poteſt continuari in chorda, ſi flectatur cum quadam parte ſolidi, niſi tranſeat per centrum flexuræ; adeoque fibra nervea deberet eſſe in medio oſſium & ita ire per medium articuli.

LII. Si Corpus ſolidum non flectatur ſupra unum punctum exiguum, omnes lineæ longitudinis mutantur, adeoque, quia talis flexura non fit in articulis, nulla fibra nervoſa tenſa permanere poteſt. vid. fig. 31.

LIII. Pulſata chorda non amplius continuat motum tremulum, quam ad obicem, vel corpus molle appoſitum, ut conſtat in citharis, clavicordiis &c. quamvis corda ſit longior, adeoque fibræ nervoſæ per mollem carnem tranſeuntes, & arctiſſime membrana veſtitæ, nullum ferrent ſenſum ad cerebrum.

LIV. Duæ chordæ lateraliter junctæ ſi ſint, una alterius motum ſuffocabit, & exiguus, qui peragitur, ſonus, aut motus, erit perturbatus, adeoque nullus diſtinctus fieret ſenſus in ſingulis fibris.

Sed a liquore per contiguitatem.

LV. Reſtat vero tantum contiguitas fluidorum (XXXV. N. 3.) quod eſſet medium inter cauſam excitantem ſenſum & ipſam perceptionem ſenſus.

Liquor duplex.

LVI. Duplex hic occurit liquor. 1. Qui fluit inter fibrillas. 2. Qui in ipſis fibrillis, quorum præſentia antea comprobata eſt.

Non per ſuccum inter fibrillas.

LVII. Sed quia ſenſus eſt diſtinctus, hoc nequit fieri per liquorem in communi cavo contentum, uti eſt liquor inter fibrillas.

Sed a liquore in fibris.

LVIII. Nihil ergo reſtat pro motu propagando ad ſenſorium commune a parte mota in organo, quam ſuccus ille in fibris diſtinctis contentus, ſpiritus animales & vitales dictus.

LIX. Canales, liquore non compreſſili pleni, ſi premantur, ex utraque extremitate effluit liquor; quoniam in omni compreſſione capacitas canalis minuitur, ergo ex applicatione motus aut preſſionis ad nervum, effectus poteſt fieri ad principium nervi, ſi modo ſit plenus liquore.

LX. Si per aliquem canalem flexilem, continuo æquabili motu fluit liquor, a preſſione canalis motus ille æqualis intercipitur, & fit aliqua inde mutatio in principio iſtius canalis; ergo a compreſſione nervi, per quem ſuccus fluit a cerebro ad extrema, mutatio fit ad ejus principium.

LXI. Quoties autem motus aliquis in parte extrema nervi fit, per quem æquabili motu fluunt ſpiritus, totus effectus iſtius motus percipitur ad principium iſtius nervi, quæ mutatio a mente percepta dicitur ſenſus.

Senſus promptitudo.

LXII. Qui conſiderat, quod in canalibus plenis, quoties in una parte liquor moveatur antrorſum aut retrorſum, toties eodem temporis momento in altera extremitate idem fiat, facile intelligit, quare tam ſubito motus in organo excitatus percipitur; nec refert quocunque modo talis ſit inflexus talis canalis.

Uſus varius.

LXIII. Quia fibræ nerveæ uno faſciculo incluſæ maneant tamen canaliculi diſtincti, variis uſibus inſervire poteſt idem nervus, prout varia eſt fibrillarum origo, vel ad motum vitalem, naturalem, animalem, ſenſationem &c.

Quæſtiones.

LXIV. Ex antecedentibus multa obſcura & dubia poſſunt intelligi.

1. An requiratur fluxus & refluxus ſpirituum in nervo, ut fiat ſenſus & motus.

2. An motus fiat fluxu ſpirituum a cerebro ad partem movendam, & ſenſus refluxu ſpirituum.

3. Ubinam ſenſus perceptio? ubi principium omnium illarum fibrillarum.

4. Quomodo pars poteſt fieri paralytica, remanente ſenſu & calore?

5. Quomodo ſtupor remanente motu & calore?

6. Quomodo frigus remanente ſenſu & motu?

7. Qua-

7. Quare ligata arteria ſtupor & ſenſim paralyſis?

8. Quare ſæpe tres diverſi nervi in idem organum diſperguntur & forſan quatuor, ſi in tali organo fiat motus animalis, motus vitalis, ſenſus tactus & guſtus aut viſus.

9. Quomodo in uno organo fieri poſſunt hæ quatuor functiones, ſi modo unum nervum habeat?

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS.

De Dolore in genere.

Definitio.

I. VOcatur Dolor moleſta perceptio mentis, ex quadam parte ſentiente excitata, quam non modo nos, ſed & omnia animalia aufugere tentant.

Dolor in omnibus nervis ſenſuum. Non in vitalibus.

II. Valida affectio omnium organorum ſentientium æque dolorem infert, quam ipſum organum tactus; ut oculus a nimia luce; auditus a ſono validiore; guſtus a nimis ſapidis, olfactus ab odoriferis acrioribus.

III. Verum nervi ad motum animalem deſtinati, ſi afficiuntur, potius debilitatem adferunt quam dolorem, atquæ læſio nervi motus vitalis, aut naturalis, anxietatem exhibet.

A modo ſentiendi varius dolor.

IV. Antequam aliquid certi de cauſa proxima doloris poſſit afferri: 1. Examinandi varii dolores, uti *manifeſti*, *obſcuri*, *acuti*, *obtuſi*, *levantes*, *gravativi*, *ardentes*, *algentes*, *tenſivi*, *terebrantes*, *rodentes*, *mordentes*, *lancinantes*, *pulſatorii*, *oſteocopi*, qui diſtinguuntur vario perceptionis modo.

Manifeſtus, obſcurus.

V. *Manifeſtus* eſt dolor, ſi ejus perceptio eſt vivida præprimis in nervis tactus. *Obſcurus* vero in aliis nervis præprimis & partibus non admodum ſentientibus, uti in hepate, liene, pulmone, meditullio oſſis: aut ſi nervus affectus aliquo modo compreſſus ſit.

Obtuſus, acutus.

VI. *Obtuſus* eſt dolor, ſi magna pars afficiatur a corpore obtuſo, uti in collectione humoris in quadam parte, materia viſcida cum leni acrimonia, uti in ſcorbuticis, cachecticis, cacochymicis. *Acutus* autem ὀξὺς, pungens, Barbaris pungitivus dictus, fit, minima pars ſi afficiatur a corpore acuto: ita ex dolore obtuſo redditur acutus, ſi humor ſenſim redditur acrior, quemadmodum in mutatione ſcirrhi in cancrum. Et acutus obtuſus redditur, ruptis quibuſdam fibris liquore effuſo in majorem cavitatem; aut ipſa acrimonia ſi miteſcat.

Gravativus, Levans.

VII. *Gravativus* dolor præter tenſionem indicat majorem quantitatem humoris in ea parte collectam eſſe; vel amiſiſſe vigorem fibras motrices: hinc ob impeditam circulationem per pulmones pulmo cum corde in latus procidit, ut loquitur Hippocrates. Si per hepar, hypocondria tenduntur, aggravantur, & obtuſe dolent. Aut ſi magna quantitas humorum ſit collecta in capite, thorace, ventre ejuſque ſtomacho, veſica, utero, ovario, omento. His ſi accedat tonus debilitatus, major gravitas percipitur; uti in fœtu mortuo. Sed *levans* raro niſi propter ſtimulum, quo validius moventur partes, uti hoc quandoque obſervatur in capite.

Ardens.

VIII. *Ardens*, ſi a ſtimulo dolorifico ſimul ſuſcitatur in ea parte motus major, veluti omnibus fere cauſticis applicatis, inflammatione, eryſipelate, reſolutione partis congelatæ.

Algens.

IX. Huic contrarius eſt *Algens* frequentiſſimus in hypochondriacis, hyſtericis, ſcorbuticis, catarrhoſis, cacochymicis, principio febris intermittentis, acrimonia acida, cruditate humorum. Non ergo ab omni ſtimulo dolorifico citatur pulſus & circulatio.

Tenſivus.

X. *Tenſivus* τενώδης, eſt dolor, ſi pars extendatur cum renitentia fibrarum ſenſibilium; ita in valida impletione ſtomachi, obſtructione hepatis, a majore copia ſanguinis in capite, oculis &c. collecta, ex materia flatulenta diſtendente in tympanitide, colica flatulenta, atque viſcerum ſpaſmodica diſtentione.

Terebrans &c.

XI. *Terebrans* & *punctorius* νυγματώδης, huic convenit quoque acutus (VI): vix

vix differunt, nisi quod Terebrans continuam fere rosionem repræsentet, uti in omni inflammatione, podagra, &c. Punctorius autem, si per vices ex improviso redeat. An hoc ab acri acido (ut Etmullerus,) in pleuritide, colica, cephalalgia: aut a viscido plus minus acri ut alii?

Rodens. XII. *Rodens* est dolor, huc pertinet mordax ὁ μετὰ δήξεως, quo etiam pruriens posset ferri, si non pertinaciter eandem afficit partem, sed sensim etiam adjacentes invadit: uti vermes rodentes. An ab acri salso succo? si simul quædam percipitur compressio *mordens* dicitur.

Lancinans. XIII. *Lancinans* & *lacerans* dolor notat doloris causam successive alias afficere partes; est ergo causa mobilis, & per nervos aut membranas vagans in catarrhosis, scorbuticis, hystericis, rheumaticis, frequens.

Pulsatorius. XIV. *Pulsatorius* σφυγμώδης, ἢ σφυγματώδης si singulis arteriarum pulsibus adaugetur, semper indicat impeditum transitum per arteriam, sive fiat a ligatura, compressione, inflammatione, sive alia causa. Hic si percipitur in parte a podagra tentata, ut plurimum brevi finitura erit podagræ sævities, ut me docuit praxis.

Ostocopus. XV. *Ostocopus frangitivus* dictus convenit aliquo modo cum tensivo, observatur in ossibus, quasi malleis essent comminuta; in lue venerea, spina ventosa, scorbuto, malo hypocondriaco inveterato post diuturnos labores & ambulationes, frequens. An ergo ab acido periosteum vellicante, ut auctores multi præcipiunt?

A magnitudine doloris. XVI. 2. Quoniam omnes dolores non æque magni sunt, atque eodem tenore perseverant, distinguuntur in mites, vehementes, increscentes, & mitescentes, quibus adjungi potest doloris præsentis nulla perceptio.

Horum usus in curatione. XVII. Has autem differentias alias quoque curationes postulare, patet ex pectoris aliarumque partium dolore, quum vehemens, sensimque increscens, indicat venæ sectionem; mitis vero & decrescens eam vetat, sed aliam causam doloris, aut inflammationis resolutionem arguit.

Dolorem non sentire. XVIII. Malum valde est cujuscumque partis *dolorem non sentire*, his mens ægrotat, ut dicit Hippocrates: aut nervus est destructus, vel ipsa pars sphacelata est.

A perseveratione doloris. XIX. Non omnes dolores eodem tenore sæviunt, quare 3. possunt distingui in *continuos*, *intermittentes*, *periodicos*, aut *vagos*, & *certo tempore diei vel anni infestantes*, alii iterum semel si cessaverint, raro vel *nunquam redeunt*, alii vero frequenter.

Continui. XX. Dolores *continui* validam indicant causam & fixam, a vi vitæ haud superabilem. Morbi sunt multi, in quibus observatur, in cancro, spina ossium excrescente, & similibus morbis.

Intermittentes. XXI. Qui autem *intermittunt* dolores, per periodos redeunt, vel vage infestant; estque ergo causa dolorum mobilis. Præstantius est in omnibus visceribus ventris dolores intermittere, quam continuo manere, quod id nec ab inflammatione, nec erysipelate, aut vitio illarum partium proveniat, sed tantum in liquidis hæreat causa, nam colicus dolor fixus cum febre in abscessum solet terminari.

XXII. Si *intermittentes dolores* ordinem servant, semper videndum an non subsit febris intermittens, quæ eum producit. Verum si singulis noctibus exacerbescat, ab eadem febre quoque potest fieri, sed frequentissime luis venereæ suspicionem movet.

Vagi. XXIII. Dolores vage infestantes ex tenui cruda materia, post nimiam evacuationem nata, excitantur frequentissime, aut ex materia scorbutica. Dolores scorbutici autem sunt varii, vagi, per omnes externas internasque partes mira producunt tormina, sunt erodentes, lancinantes, cito trajicientes, noctu ingravescentes, vix ulla pars totius corporis immunis manet; sub mediam noctem invadere solent.

XXIV. Certo anni tempore solent redire dolores podagrici.

XXV.

XXV. Quidam dolores, uti fere omnes supra allegati, eandem continuo obsident partem, qui ideo *fixi*, (XX, XXI) possunt appellari; Alii vero jam hanc jam vero aliam invadunt partem, *vagi* (XXII, XXIII.) dicendi: aut denique amittunt priorem partem, quamvis sua natura essent continui, & aliam infestant, *transplantatio* & *metastasis* doloris vocanda. *A Mutatione loci.*

XXVI. Si dolor aliquamdiu partem fatigavit, demum in aliam partem transeat; adeo ut prior pars relinquatur sana, perfecta habetur *metastasis*; sin vero pars prius obsessa non omnino liberatur, imperfecta habetur. *Doloris metastasis.*

XXVII. Duo in metastasi doloris observanda; 1. Natura materiæ, quæ Metastasin facit; 2. Mutatio locorum; antequam quid certi possit de hac dici. *Duo observanda.*

XXVIII. Materia hæc varia est; 1. Inflammatoria; 2. Suppuratoria; 3. Sphacelata; 4. Putrida; 5. Ichorosa; 6. Erysipelatosa; 7. Biliosa; 8. Atrabilaria; 9. Pituitosa; 10. cruda, crassa, acris; 11. tenuis, acris, cruda; 12. Febrium continuarum; 13. Intermittentium; 14. A Morbis relicta; 15. Podagrica; 16. Scabiosa, Herpetica &c. 17. Scorbutica; 18. Hysterica; 19. Catarrhosa; 20. Cancrosa; & plures aliæ, quæ dolores excitare solent, quarum natura in dolorum causis exponetur. *Materia*

XXIX. Ratione loci in genere observandum. *Locus.*

1. Dolorum a partibus superioribus ad inferiores descensus salutares.

2. Ab internis ad externas bonum, contrarium malum.

3. Omnis metastasis *ad interiora* capitis, pulmones, hepar, mala.

XXX. A *capite ad pectus* sed præcipue *pedes* in phrenitide bonum: ab oculis ad brachia vel alvum materiæ translatio juvat. *A Capite.*

2. Alvus adstricta in morbis capitis frequens fit & mala est; liquida vero bona, hinc purgantia doloribus capitis medentur.

3. Omnia cerebri mala consentiunt stomacho, ut in vertigine & capitis dolore, nausea, vomitus, anorexia, dyspepsia, quod semper in stomachi morbis observandum.

4. Vesica fellea & hepar cum capite consentiunt, cerebrum enim & meninges vulneratæ bilis vomitum movent, & abscessus hepatis post capitis concussionem natus est.

5. In Delirantibus, si fortis dolor feratur ad crura & pedes, bonum. Hinc epispastica, & vesicatoria cruribus applicata, & pediluvia opitulantur capitis morbis.

6. In capitis dolore, ophthalmia, erysipelate faciei fonticuli in brachiis excitati sæpe curant morbum.

XXXI. A *faucibus ad pectus* malum: nam si anginæ occultæ superveniat dolor lateris cessante magna ex parte circa collum dolore, cum difficultate deglutiendi & spirandi, anginam conversam esse in peripneumoniam scito, qua cito moriuntur vel suppurantur. Et doloris acerbitas in jugulo fixa, si ad superiora vertatur, mortiferum adfert malum. *A faucibus.*

XXXII. *A pectore ad aures.* Pleuriticis 1. ad interiora auris dolor & exinde abscessus atque pus, servantur. 2. Verum phrenitis a peripneumonia lethalis. *A pectore.*

3. Pleuritici dolore levati, & tamen facie tristi; oculisque perturbatis, his Materia translata est ad cerebrum & ut plurimum moriuntur. 4. Raro a pectore ad alvum derivatur cum levamine. 5. Verum si dolor lateris transeat ad humerum, manum, dorsum cum stupore illarum partium, dolore & gravitate, ejus solutio fit: 6. Asthmaticis dysuria superveniens, bonum; cessante Dysuria asthma redit. 7. Dolore forti ad testes irruente tussis solvitur: & viciſſim. 8. Hydrocele discussa aut male sanata sæpe morbos pectoris generat. 9. Abscessus magni omnes boni sunt in cruribus erumpentes in peripneumonia & pleuritide. 10. Ulcera pedum suppressa sæpe pulmonis morbos generant. 11. Quæ juvant morbos pulmonum, conveniunt quoque renibus. 12. Inter uterum & Mammas mulierum maximus consensus.

Alumbis. XXXIII. A lumbis ad caput. Diuturni dolores circa lumbos & ilia, tum qui ad hypochondria feruntur cum febre & cibi faſtidio, ſi inde fortis dolor feratur ad caput, convulſifico more necat crudeliter: ſin vero non repat ad caput, ſed veluti aduncis unguibus viſcera circumplectitur, valde malum. 2. Qui morbi principia ducunt ex dolore lumborum difficilia ſunt. 3. Qui dolores lumborum cum febre fiunt, ſi attingunt præcordia, inferas relinquentes ſedes, exitiales admodum ſunt. 4. Dolores lumborum in Iſchiadem & Hæmorrhoides facile tranſeunt. 5. Dolores ſecundum ureterum ductus, a lumbis ad pubem plerumque translationem calculi indicant.

Ab Articulis. XXXIV. Ab articulis in viſcera abdominalia, pulmones, aut cerebrum delatus dolor, valde malum.

XXXV. Sæpe totum corpus conſentit, ita convulſiones a dentitione, punctura nervi vel tendinis. Potiſſime conſenſus fit in eo nodo, ex quo nervus provenit.

Ceſſatio Doloris. XXXVI. Si dolores continui inflammatorii ceſſant, cum frigiditate partium internarum, pulſu exili, deſipientia, facie Hippocratica, oculis concavis, inflammatio in ſphacelum abiit. Omnis dolor lateris abeuns, ſæviente febre & dyſpnœa, eryſipelatoſus eſt, & fere ſemper necat, & in Peripneumoniam convertitur. Omnes dolores, qui ſine ſignis levantur, lethales pronunciavit Hipp. ſi vero prius ceſſat febris, dein dolor, bonum.

Reditus doloris. XXXVII. Omnis dolor inflammatorius redeuns eſt timendus, ab aliis cauſis non item.

In alio loco quam cauſa. XXXVIII. Non ſemper dolor percipitur in ea parte, ubi hæret mali fomes: ita in Malo Hypochondriaco, Cacochymia, obſtructione lienis aut hepatis, dolor plerumque profertur ad pectus, mammas, claviculas, jugulum: *hinc Pleuritidi ſi ſuperveniat Diarrhœa, aut* ſi detur purgans, curatur, & v. ſ. nocet: a ventriculo affecto anterior capitis pars ſolet dolere; ſi vero uterus ſit cauſa, poſterior pars frequentius afficitur: hepatis affecti dolor ad ſternum & juxta ſpinam dorſi ad ſcapulas ut plurimum extenditur.

Cauſæ Doloris. XXXIX. Nunc variæ ſunt examinandæ doloris cauſæ, quæ doctrinæ ergo in 4 claſſes dividendæ ſunt. 1. quæ manifeſta operatione dolores inferunt: 2. in ſolidis præprimis agentes: 3. in humoribus mole tantum dolores excitantes: 4. hærent etiam in humoribus ſed ab eorum indole excitatæ.

1. Manifeſta cauſa. XL. Dolores excitantur ex cognita cauſa, in luxatione, fractura, vulnere, ligatura, hernia, partu, combuſtione, calculo, vermibus rodentibus, acribus quibuſcumque ingeſtis vel applicatis: quæ omnes nihil aliud agunt, quam fibram ſenſilem elongare, quamvis hoc in vulnere, combuſtione, & acribus ingeſtis vel applicatis paradoxum videatur.

2. In ſolidis. XLI. In firmas partes præprimis agunt, A. exſiccatio nimia, quia fibræ amiſſo liquore abbreviantur. B. Mobilitas ſolidorum a minima cauſa ſummum motum aut contractionem faciens, ut in multis valetudinariis, hyſtericis, hecticis, hypochondriacis. C. ſpaſmus & convulſio fibrillas trahentia, quo etiam pertinet Criſpatio ſolidorum. D. animi pathemata ſtamen nervoſum valide afficientia, ut eſt præprimis terror E. motus febrilis, quod cognoſcimus ex recidivatione, cum febris accenditur. F. Tandem etiam ex conſenſu & motu inordinato ſolidorum.

3. Ex Majori copia. XLII. Liquores majori mole in quadam parte ſenſibili collecti, ſi fibram ſenſilem tendunt, dolores excitant: hinc in tumoribus, obſtructione, abſceſſu, inflammatione, hydrope, plethora, menſtruationis tempore, obſtructione menſium, hæmorrhoidum, aliarumque evacuationum conſuetarum omiſſione aut emanſione, ut & cacochymia, morbo hypochondriaco, nimiaque ingeſtorum quantitate; humorum craſſitie quoque majore, quam ut poſſint per extremitates arteriarum facile trajici; denique etiam omnibus majori impetu humoribus in ſolida delatis; ut in violentioribus exercitiis, lienis dolor, & capitis: atque a Motu majori circulatorio, in acutis inflammatoriis morbis & in aliis febribus, in diverſis partibus dolores, præprimis ſi aliquomodo debilores ſint, vel obſtructæ, generantur.

XLIII.

XLIII. Acrimonia in humoribus nata varios pro ſua indole excitat dolores: quarum quoniam non omnes requirunt eandem Medelam, quædam addemus ſignа, quibus poſſunt a ſe invicem diſtingui, ut eo commodius poſtea Medicamentum appropriatum poſſet inveniri. Generalis cura autem conſiſtit. 1. In auferendo ſeu educendo. 2. Corrigendo ſeu immutando. 3. Obvolvendo. 4. Obtundendo. 5. Diluendo. *4. Acre multiplex. Curatio.*

XLIV. Si a bilis acrimonia ſuſcitetur, præter generalia ſigna icteri in colore urinæ & cutis, vox ut plurimum rauca, cibum averſatur æger, ſublime Hypocondrium habet, dolores tenuiter (hoc eſt vage infeſtantes) conſiſtentes in latere vel Hypocondrio fiunt: his ſi alvus multa aquoſa bilioſa egerit, allevantur. v. ſ. nihil valet, purgante ut plurimum ſanantur. *a Bile acri.*

XLV. Si vero, poſt diu toleratam gravitatem & pondus circa Hypochondria, nigricantiorem reddat urinam, caput dolore tentetur, color vividus corporis in liveſcentem commutetur, inflationes & murmura ventris adveniant, aut inferior venter ſpaſmodice intra trahatur, cum intolerabili cruciatu, & ſæpe vomitu, atque feceſſu materiæ nigræ, ab atra bili corrupta excitatur hic dolor, qui dolor minuetur exhibito aromatico ſtomachico laxante. *Ab atra bile.*

XLVI. Feminæ ut plurimum, atque etiam viri valetudinarii debiles, poſt diu toleratam corporis gravitatem, laſſitudinem, tandem ſoluta materia cruda in corruptelam, doloribus vagis jam aſſurgentibus, alio tempore miteſcentibus tentantur, aeris mutationem perſentiunt, gingivæ luridæ, ſemieroſæ, ut urina clara tenuis, quadam rubedine tincta obſervatur; ab omni evacuatione exarcebatur: curatur vero Medicamentis his humoribus dicatis, & leni alvi ductione per gummi. *Tenui lympha.*

XLVII. Dolores, qui ex Materia ſcorbutica veniunt, varii, vagi ſunt, mira inducunt tormina, ſubitanea, ingraveſcunt ut plurimum noctu, nulla pars ab ea immunis: ſæpe in oppoſitum latus tranſeunt præcipue ſi topica frigida applicantur aut repellentia, recurrunt quandoque improviſo, plerumque cum levi Paralyſi, quæ cum dolore abit & redit: hoc autem præcipue in colico dolore obſervatur, relinquit ut plurimum maculas lividas, aut ſtigmata pulicum morſibus ſimilia. Si pectus afficiat, tuſſim inducit diuturnam ſine memorabili exſcreatu; gingivæ ut plurimum luridæ ſunt, & dentes vacillant, halitus fœtet, ex quibus etiam reliquarum partium dolores ſcorbutici dignoſcuntur atque curantur, quia nihil peculiare requiritur, quod non eſſet exhibendum in ſcorbuto. Intelligimus vero quæ Paralyſis ſcorbuticis curatur. *A Scorbuto.*

XLVIII. Admodum differt a præcedenti Dolor Rheumaticus verus, in corpore vegeto; præprimis poſt exercitia majora, excitatus, dum corpus frigori expoſitum erat: Dolor eſt fere intolerabilis, ſimul & diuturnus valde, Venæ ſectione iterata bis aut ter altero die ſuperatur, ſi ſit in juvene & adhuc recens; alias purgante antiphlogiſtico, & veſperi dato Narcotico, non vero a Narcoticis incipiendum. Fotus externus ſit mollis, & ſi hæreat ad renes, decoctum ſcabioſæ cum aqua & lacte ſeu ſero lactis & aliquantulo ſalis polychreſti, maxime juvat. *A Rheumatiſmo.*

XLIX. Venerea infectio ſuos quoque infert dolores obtuſos profundos, omni veſpere exacerbantes, medios artus occupantes: examinandum ſemper, ſi dolor talis adſit, an non appareant reliqua ſigna Luis venereæ; Dolor hic miteſcit quidem aliquantulum Anodynis, verum integre non curatur, niſi prius curata Lue, Mercurialibus, decoctis ſudoriferis, ſalivatione, aut in leviori malo per alvi ductionem ſuperatur. *A Lue Venerea.*

L. Hæc erant præcipua, quæ dicenda erant de Procatarcticis Doloris cauſis: reliqua vero uti, de Acrimonia Ichoroſa, Cancroſa, Purulenta, Scabioſa, Herpetica, Podagrica, Arthritica, retropulſa; & de Materia febrili in febribus continuis, intermittentibus, Varioloſis, Morbilloſis, Scarlatinis, Eryſipelatoſis, & aliis morbis, ſi vellem cum propriis ſuis ſignis proponere, atque curationem his addere, numquam fere finem invenirem. *Ingenere.*

LI. Qui omnes examinat cauſas, inveniet in omnibus, tranſitum per fibram ner- *Cauſa proxima.*

nervoſam ab iis impediri. Sic canalis redditur anguſtior compreſſione, elongatione, exſiccatione, ſpontanea contractione, aeri aut viſcido in eo hærente; qui motus fere interceptus nobis ideam doloris præbet; integre vero interceptus inſenſilitatem inducit.

Quæſtiones. LII. Ad quas claſſes omnes commode quum referantur doloris cauſæ, an ergo alias quoque incognitas aſſumere ratio ſuaderet? 2. an ſolutio continui dum fit, non dum facta eſt? 3. aut diſpoſitio particularum in fibra ſenſibili rupturæ proxima, doloris cauſæ? Sane nemo poterit admittere, qui ſequentia conſiderat. 1. Nervum exſiccatum, ſtamine ſolido manente integro, amittere ſenſum & dolorem. 2. Nervum a compreſſione, in qua nulla tentatur ſolutio fibrillarum, tamen Dolorem inferre. 3. Nervum cum ſuo humore, vel abſque eo in callum converſum, non ſentire dolorem, quamvis fibræ maneant integræ. 4. Senſum & Dolorem non propagari per partes ſolidas fibrarum, ſed ope Spirituum eo deferri. Ideoque licet fieret dolor ex mutata diſpoſitione partium, illa ipſa mutatio mediantibus Spiritibus ferenda eſſet ad ſenſorium commune, ut fieret perceptio doloris.

LIII. Qui examinat diverſas cauſas, quæ producunt dolorem. 2. Partes in quibus fiunt, prout varias exerceant functiones. 3. Aut conſentiant cum partibus aliis corporis (XXIX ad XXXIV) ille mirabiles certaſque Diagnoſes & Prognoſes inſtituere, atque Curationem abſolvere ex arte, poterit.

Curatio in manifeſtis cauſis. LIV. Quæ fit juxta enumeratarum cauſarum varietatem, nam ſi luxatum vel fractum ſit os; aut hernia dolorem excitet, nihil valet niſi ipſa repoſitio aut ſolutio ligaturæ. Si propter inæqualem tractionem fiat dolor, applicetur oleum Terebinthinæ, Balſamus copaivæ, Terebinthina. Combuſtio, ſi non ſit valde profunda, fotu molli humido tepido lenitur. Calculi aſperitas obducitur oleo Amygdalarum dulcium, decocto Althææ, parietariæ, violarum, dato ſimul Anodyno. Vermes necandi, vel vomitorio aut purgante expellendi, deſtruendo viſcidum inſuper alcalicis ſalibus, Mercurio legitime præparato. Acria quæcunque ingeſta copioſa dilutione atque vomitorio dato evacuanda. Applicata detrahenda, & pars abluenda & fovenda liquore molli ſubpingui; &, ſi dolor urgeat, Anodyno.

In ſolidis exſiccatis LV. In nimia exſiccatione, ut ſi aeri ſicco pars nuda expoſita fuerit, ſtatim foveatur humore tepido, molli, humectante, qua methodo ſæpiſſime rediit vita in ea parte, quæ alias nunquam rediiſſet.

Mobilitate ſolidorum. LVI. A Mobilitate ſolidorum illa, quæ validiſſimas contractiones facit, miteſcit Opio, Papavere, Theriaca, ſale volatili ſuccini, ſale volatili oleoſo, ſale volatili Cornu cervi, ſpiritu Roriſmarini, oleo fœniculi: ſed omnia in parca doſi, alias enim magnus tumultus excitatur. His etiam reliqui dolores miteſcunt, niſi qui fiunt a febre, ſed hi cortice Peruviano tempore apyrexiæ ſunt præveniendi, quum alias pars ita affecta ſæpius depravatur.

Ab abundantia humorum. LVII. A nimia copia ſi ſit, evacuatio indicatur. hinc v. ſ. in plethoricis & motu majori, vomitorium in cacochymia ſtomachi; reſolventia in craſſitie humorum; purgantia clyſmata in oppletione excrementorum in inteſtino colo, & inde colica paſſione, anodyna ſunt.

Curatio Generalis. LVIII. In Generali curatione ut ſciamus, quando ſolita auxilia, uti Venæ ſectio, purgans, vomitorium, ſudoriferum, diureticum, anodynum, &c. debeant adhiberi; quaſdam dabimus regulas, juxta quas poſſunt dicta auxilia præſcribi.

Venæ Sectio. LIX. Si dolor maxime urgeat rogamur ſtatim, an vena ſit ſecanda nec ne. 1. Neceſſario & ſtatim largiſſime inſtituenda eſt Venæ ſectio, atque repeti poteſt pro neceſſitate, ſi dolor oriatur ex inflammatione; febre ardente dolorem excitante; majori impetu Sanguinis in aliquam partem.

LX. Semel autem inſtituenda Venæ ſectio, & non magna quantitas Sanguinis educenda, ſi dolor excitetur a febre intermittente, aut continua ex intermittente

te facta ; dolore Eryſipelatoſo ; aut ſi cruſta inflammatoria in ſanguine educto non appareat ; in vehementi ſpaſmodica contractione ; in humore tenui acri valde rodente cautiſſime ; quum magis adaugeatur doloris cauſa , quamvis præſentaneum levamen videatur afferre .

LXI. Nocet vero in doloribus , qui excitantur a cacochymia & cruditate humorum ; in obſtructionibus a materia viſcida ; aut poſtquam cruda materies corrupta fuerit ; item in bile flava , aut atra bile dolorem excitante poſt ſuam corruptionem ; in doloribus vagis ab humore tenui acri ſcorbutico , hyſterico , hypocondriaco , catarrhoſo , productis ; & quando dolor inflammatorius adaugetur , dum ille tranſit in ſuppurationem ; item in acrimonia purulenta , cancroſa &c.

Purgans.

LXII. Purgantia generaliter in omnibus capitis doloribus conveniunt ratione derivationis ; nam alvus laxa prodeſt morbis capitis ; verum in pectoris doloribus nocent , niſi pectus doleat ob conſenſum , uti in cacochymia , & obſtructione hypochondriorum , cruditatis congeſtione in ſtomacho inteſtinis & meſenterio , melancholia flatulenta a materia viſcida , non vero a ſpaſmodica contractione . In ventris autem doloribus magis conveniunt , ſi a dictis cauſis oriantur , dum ſc. adſit ſapor linguæ mutatus , gravitatis ſenſus per totum corpus , maxime in præcordiis , inappetentia , viſciditates circa dentes , lingua alba pellicula veſtita , urina cruda alba , calor fere nullus . Sed ſi oriatur dolor ab Inflammatione , Eryſipelate , ſpaſmodicis contractionibus violentioribus , purgantia malum augent : ſi autem putris cacochylia hanc contractionem & dolorem produxerit , purgantia miſcenda ſunt opiatis , ſed tunc doſis purgantium adaugenda præprimis ſi fiat in hypochodriacis , hyſtericis , hypercatharſi obnoxiis . Magni uſus ſunt purgantia in principio doloris Iſchiadici , non vero , ſi diu duraverit , aut ſi dolor ſit Podagricus , aut Catarrhoſus .

Vomitorium.

LXIII. Vomitorium raro convenit , niſi materies hæret in ventriculo . Sic ſi cibi ſit faſtidium , oris ventriculi morſus , & vertigo , & os amareſcens , medicamento ſurſum purgante opus eſt , Hipp. Aph. 17. Sect. 4. Hinc magni dolores præcordiorum uno vomitorio dato curantur . Sed maxime cavendum ab iis , ſi Dolor oriatur ab Inflammatione , ſcirrho &c. in ipſis lateribus ſtomachi , vel in partibus adjacentibus .

Sudoriferа.

LXIV. *Sudorifera* magnum levamen adferunt doloribus ex acri tenui materia , ſi excitentur decoctis ſudoriferis ; ſi vero materia inſenſibilis perſpirationis retenta ob frigus externe in viſceribus excitet dolorem , hic dolor optime curatur ſudorifero calido . Verum ſi ſit dolor in capite , & ſigna inflammationis adſint , tunc , ſi detur ſudoriferum , in delirium adigitur æger .

Diuretica.

LXV. *Diuretica* proſunt doloribus pectoris & lumborum , ſi ſint mollia humectantia ; ſed acriora maximos ſæpe excitant dolores .

Narcotica.

LXVI. De *Anodynis* ſeu potius *Narcoticis* , quæ ſtuporem inducendo dolorem mitigant , vix quidquam poſſum afferre generale in doloribus , quia multum differt doloris cauſa . Ut tamen quædam generalia habeamus , ſciendum eſt , omnes dolores inflammatorios in principio reſpuere Narcotica , ſed magni uſus ſunt poſt v. ſ. una cum diluentibus exhibita .

Egregia ſunt in omni criſpatione ſolidorum , mobilitate nimia , aut ex conſenſu dolentibus .

Nocent doloribus Podagricis , & nunquam exhibenda , niſi dolor ſit intolerabilis .

In Doloribus Rheumaticis morbum figunt ad annos aliquot . Sed de his amplius in horum titulis .

TRA-

TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS.

De fabrica & motu Muſculorum.

Definitio Myologiæ. I. DIcitur Medicinæ pars Myologia, quæ docet ſtructuram, operandi modum, uſum, principium ſeu punctum fixum, finem ſeu tendinem longiorem; atque ſitum muſculorum & figuram.

Quid muſculus. II. Muſculus dicitur pars ſolida mobilis corporis noſtri, cujus motus ſive ſit voluntarius, ſive ſpontaneus ſeu vitalis, conſiſtit in minuendo longitudinem, & augendo latitudinem.

III. Tales partes plurimæ unitæ ſi ſint, & colore rubro imbutæ, proprio vocabulo muſculus dicuntur.

Fibræ motrices quid ſint. IV. Sed magis ſolitariæ, colore diaphano vel albo, fibræ muſculares, fibræ motoriæ appellantur, quales fere ſunt omnes fibræ membranarum, viſcerum, vaſorum, inteſtinorum &c.

Motus harum quotuplex. V. Nonnullæ harum moveri poſſunt ab imperio mentis, uti omnium muſculorum motus animales. Aliæ vero continuo agunt, ut motus cordis, arteriarum, & viſcerum. Aliæ autem continuo agunt nobis non cogitantibus, ſed ex voluntate earum motus poteſt accelerari & retardari, & pro tempore, ceſſare, ut motus reſpiratorii. Denique quædam tantum poſſunt moveri ſtimulata parte aliqua; ut in ſingultu, ſternutatione, vomitu, tremore ex terrore, nixu partus &c. ut reliquos taceam motus. Horum quidam ab imperio mentis quandoque poſſunt temperari, quandoque volentibus aut nolentibus attamen fiunt. Omnes partes ſenſiles vellicatæ moventur.

Experimenta. VI. Exempto cerebro omnes motus voluntarii ceſſant ſubito.

VII. Idem ſi fiat in cerebello, omnes quoque motus involuntarii ceſſant.

VIII. Hoc quoque fit nervis ligatis ab hiſce partibus venientibus.

IX. Medulla ſpinali ligata vel abſciſſa, omnes motus infra hanc partem pereunt.

X. Nervo ligato ad peculiarem vadente muſculum, is omnino Paralyticus fit.

XI. Ligata Arteria, ſi nulla alia præterea ad iſtum muſculum vadit, hujus muſculi actio ſenſim aboletur.

XII. Soluto vinculo nervi motus ſubito redit; *ſed arteriarum* compreſſione ſublata, ſenſim roboratur muſculus.

XIII. Muſculi emortui motus reſuſcitatur injectione tepidæ per Arteriam atque vellicatione, licet animal aliquamdiu mortuum fuerit; imo in inſectis partes detruncatæ per aliquod tempus moveri continuant; quod forſan tamdiu durat, donec omnes ſpiritus in fibris nervorum contenti, elaſtica fibrillarum contractione propulſi, in muſculos harum partium depoſiti ſint.

Cauſa motus unde. XIV. Cauſa itaque motum ſuſcitans in muſculis, quorum motus ab imperio mentis dependet, per Arterias aut nervos vadere debet ad muſculum.

An per Arteriam? XV. Verum cor projicit Sanguinem omnem in Arteriam magnam, cujus rami vehunt Sanguinem ad omnes muſculos; impoſſibile ergo eſt ut unus tantum muſculus ab hujus Sanguinis accelerato vel mutato motu poſſit moveri, ab imperio mentis, imo nulla in pulſu reperitur differentia, eo tempore, quum muſculum movere volo: ejus tamen fluxus liber requiritur, ut permaneat motus muſculorum.

Quale organum requiritur. XVI. Sed requiritur tale organum, quod conſtat diverſis fibrillis, aut canaliculis, quæ ad ſingulos muſculos diſtinctos vadunt, & quæ ab illo loco veniunt, ubi animæ ſedes eſt.

Nervi tale præbent. XVII. Tale organum exhibent *Nervi*: hi enim infinitis conſtant fibrillis, ſeu tubulis, ortum a cerebro ducentibus, & per medullam ſpinalem pergentibus. Hujus nervi fibrilla, vel canaliculus ſingularis aliquid mutat in muſculo, unde muſculus contrahitur.

XVIII.

XVIII. Per tale quoque organum motus ſpontaneus fieri debet, ſed cum hac diſtinctione, quod cauſa mutans principium horum nervorum ſit continua. *Motus ſpontaneus.*

XIX. Illi ergo motus ſpontanei, qui ſimul a voluntate noſtra poſſunt temperari, duplicem agnoſcunt originem. *Motus miſtus.*

XX. Quum vero motus voluntarii ceſſent, dempto cerebro, & vitales ablato cerebello; ſed nervo ligato vel abſciſſo ad aliquam partem vadente, qui talem motum miſtum habet, omnis motus pereat, patet ergo in uno nervo inveniri fibras & a cerebro & cerebello ortas.

XXI. Sed præterea, quum omnes fibræ nervoſæ vellicatæ ſeſe inordinate & involuntarie moveant, patet minimam cauſam ſæpe ſufficere ad totam corporis œconomiam perturbandam, ſi modo hæc applicetur partibus nervoſis, quod maxime neceſſarium eſt ſcire in Medicina. *Motus a ſtimulo.*

XXII. Expoſitum huc uſque, quænam fuerit cauſa motus extra organum movens, nunc in ipſo organo vis illa valida, quæ a muſculis exercetur, explicanda venit. *Motus cauſa in muſculo qualis.*

XXIII. Omnis huc uſque muſculus cognitus conſtat duplici ſerie fibrarum, aliæ terminantur in ejus caput, ſeu principium muſculi, aliæ vero in ejus tendinem. *Structura muſculi.*

XXIV. Totus muſculus externe tegitur membrana tenui, multis vaſculis ſanguineis ornata, atque veſiculis pinguedinoſis. *Membrana extima.*

XXV. Hoc in fibras reſoluto, iterum fibræ eodem modo conſtitutæ ſunt, ut totus muſculus, duabus ſcilicet extremitatibus & ventre intermedio, tectæ eadem ſed tenuiori membrana: hæ fibræ ab una extremitate muſculi ad alteram continuæ ſunt, & per totam longitudinem tendinis, minus tamen craſſæ & minus coloratæ, continuantur. Verum præterea obſervantur aliæ fibrillæ tenuiſſimæ oblique currentes, fibras has longitudinales nectentes. Non amplius progreditur anatomica diſſectio, licet optimis Microſcopiis adjuta. Et quod mirabile eſt, fibram illam ultimam, ut putant, in alias adhuc minores diſſolvi poſſe. *Fibræ.*

XXVI. Nervus, qui muſculum ingreditur, exuit extimam ſuam membranam, & tum demum per totam muſculi ſubſtantiam ſic diſtribuitur, ut nullum poſſit aſſignari punctum, quin nervoſus adſit ſurculus. Quod ex doloris perceptione a minima punctura cujuſcumque partis muſculi comprobatur. *Nervus in muſculo qualis.*

XXVII. Arteriæ etiam omnes attingunt muſculi partes; diſperguntur per membranas reticulari plexu fibrillas convolventes, deſinunt in ſibi ſociam venam, vaſa Lymphatica, atque organa ſecernentia oleoſam materiem. *Arteriæ in muſculo.*

XXVIII. Quum vero ex hac deſcripta fabrica non pateat ſtructura fibræ ultimæ, neque modus operandi; quædam ſunt aſſumenda, tanquam veritates, donec anatomica ſectio clariora docuit. *Quæſita.*

XXIX. Judicamus fibras omnium primas intus eſſe concavas, ex ultimis arteriarum vel nervorum extremitatibus factas; alia enim non ingrediuntur vaſa, quæ cum reliquo corpore conſentiunt. Ultimas autem fibras iterum in infinitum eſſe diviſibiles vix quiſquam ſanæ mentis crederet. *Fibræ ultimæ fabrica.*

XXX. An vero longitudinales parallelæ fibræ ex arteriis, obliquæ vero ex nervis proveniunt, patebit ex muſculi contracti & relaxati phænomenis. *Fibræ ex quibus vaſis fiūt.*

XXXI. Muſculus dum contrahitur, accedunt duo extrema, ſeu tendines, ad ſe invicem, & appenſa corpora adducunt majori vi, quam eſt naturalis muſculi contractio. *Phœnomena muſculi contracti.*

XXXII. Dum hoc fit, muſculus fit craſſior, durior, magis tumet, atque protuberat in ſua parte carnoſa: ſed ejus tendines vix mutantur.

XXXIII. Moles tamen, ſi ſupputetur tota, vix major erit, ut demonſtrant experimenta phyſica.

XXXIV. Si muſculi contractio impediatur, omnia prædicta etiam fiunt, minus tamen tumet, & minus accurtatur muſculus.

XXXV. Muſculi abſciſſi fibræ quoque breviores fiunt, craſſior redditur caro, ſed

ſed fibræ undulatim quaſi contrahuntur: & quo fibræ magis contractæ, eo quoque hæ undulationes majores.

XXXVI. Muſculus ſemel contractus nunquam ſponte acquirit longitudinem priſtinam, ſi non accedat contractio contraria ipſius antagoniſtæ, impulſu liquidi extendente, aut cauſa externa tendente.

XXXVII. Talis ſtatus ſubito induci poteſt ex voluntate, & ſtatim ſiſti.

Concluſiones. XXXVIII. Ergo fibræ ultimæ omnes totius muſculi cylindricæ augeri debent latitudine, & imminui longitudine.

XXXIX. Hoc fit, ſi vas aliquod cylindricum flexile impleatur liquore, tunc enim ſub eadem ſuperficie plus humoris continetur.

XL. Si talis cylindrus ex plurimis aliis in longitudine poſitis conſtat cylindris inter ſe communicantibus, ab eadem quantitate liquidi validior fit accurtatio. fig. 24. 25.

XLI. Perinde eſt, an baſes cylindrorum ſint eorum axi perpendiculares, vel alium ſitum obtineant.

XLII. Fibra ex hujuſmodi veſiculis conflata brevior redditur, parum requirit ad ſuam extenſionem humoris, & validiſſime agit.

XLIII. Si ultimi fines arteriarum in tales abeant veſiculas ſive cylindros, qui ab imperio mentis poſſint ſpiritibus impleri, non opus eſſet affluxione alterius humoris, & fibra fieret brevior, craſſior, & corrugaretur.

XLIV. Verum requiritur præterea ſanguinis præſentia, ſive alterius liquoris: & adſunt aliæ quoque fibræ, fibras longitudinales nectentes, obliquo curſu perreptantes.

Fibrarum origo, & curſus. XLV. Sentio itaque fibras ultimas longitudinales provenire ex ultimis arteriarum; illas eſſe cylindricas ſanguine impletas, vel alio liquore, atque pectinatim, vel parallele locatas, dum muſculus eſt laxus: ſed fibras nervoſas hiſce intertextas eſſe, & flexas, atque ſemiplenas. vid. fig. 26. Has, cum impleantur, comprimere tubulos arterioſos, quibuſdam tantum locis, ſeu ex cylindro facere veſiculas plurimas.

XLVI. Ex hac deſcripta fabrica muſculi patebunt omnia, quæ in contractione muſculorum obſervantur, quæ quoque fabrica non repugnat anatomicis demonſtrationibus, verum ea confirmatur.

Impletio fibræ nervoſæ quid facit. XLVII. Nam impletæ fibrillæ nervoſæ oblique, & flexuoſa via per muſculum currentes, rectam lineam nituntur adipiſci, & loca compreſſa a fibris longitudinalibus extenduntur. Comprimuntur ergo cylindri longitudinales liquore pleni; vid. fig. 27. hic liquor quoniam tam ſubito cedere nequit, extendit latera ipſarum fibrarum in locis a fibris nervoſis non compreſſis. Mutantur itaque fibræ longitudinales in veſiculas, inter ſe per exigua foramina communicantes. Quoniam autem æqualis quantitas liquidi in hiſce veſiculis unius fibræ debeat contineri, quæ fuit contenta in toto tubulo cylindrico, latera hujus cylindri in locis non compreſſis extenduntur, & fines ad ſe mutuo accedere debent vid. fig. 28. fit ergo muſculus, ex hujuſmodi fibris conſtans, brevior & craſſior atque durior. Hoc experimentum in inteſtino impleto aliquo liquore inſtitutum talia producit.

Phænomenorum explicatio. XLVIII. Neque tunc multum augebitur muſculi moles in contractione: nam eadem liquidi quantitas manet in fibris longitudinalibus, ſolæ fibræ tranſverſales minimæ implentur.

XLIX. Et fibræ undulatim corrugantur a compreſſione tranſverſali vel obliqua fibrarum nervearum, diverſis in partibus longitudinales urgente.

L. Inde etiam ligata arteria, ſenſim perit muſculi motus: fibræ enim longitudinales non amplius impletæ manent: licet ergo agant fibræ nervoſæ, non ſubſequitur tumor neque accurtatio longitudinalium.

LI. Hinc quoque injectione aquæ reſuſcitatur muſculorum motus: implentur enim tunc fibræ longitudinales liquore, unde fibrarum nervoſarum actio iterum fit ſenſibilis.

LII.

LII. Musculus diu contractus tandem amittit robur. Sanguis enim a tergo interim urget, implet fibrillas longitudinales, adeo ut a fibris nervosis non possint comprimi.

LIII. Musculus diu validissime contractus sphaceleścit : impeditur enim transfluxus sanguinis per fibras longitudinales a fibris nervosis compressas.

LIV. Rubet musculus a collecto sanguine in vesiculis, qui antea magis dispersus fuit ; & si diu durat contractio ; sanguis interim a tergo urgens implet vascula minima, unde rubedinis augmentum.

Motus spontaneus, seu vitalis.

LV. Hinc patet quoque motus spontaneus, seu vitalis : si uno tempore enim impleantur fibræ nervosæ, alio tempore fibræ arteriosæ, vel, quod potius credendum, si fibræ motus vitalis ab intumescentia fibrarum ab arteriis provenientium iterum comprimantur, ita ut spiritus vitales non amplius influere possint, relaxabuntur iterum fibræ arteriarum, musculus flaccescit, & fit motus alternus vitalis, quamdiu fluxus in nervis: qualis observatur in corde, respiratione vitali, motu ventriculi, intestinorum, viscerum, vasorum & similium partium quæ omni tempore moventur, quamdiu vita. An ideo in cerebello nullus ventriculus ut in cerebro?

Motus voluntarius.

LVI. Et motus voluntarius, quia ab influxu spirituum animalium dependet, qui ab imperio mentis moventur, sed in hujusmodi musculis ab impletione fibrarum nervosarum comprimuntur quidem fibræ arteriarum, seu longitudinales, & contrahitur musculus; verum vicissim ab extensione fibrarum arteriosarum non comprimuntur fibræ nervosæ, ut in motu vitali; persistere enim contractus potest musculus diu ex voluntate; quod in vitalibus non obtinet.

Motus musculi est actio superaddita.

LVII. Majori vi agunt musculi, quam est naturalis contractio: quoniam placidissimo cursu spiritus perfluunt musculos, vix superantes extensionem fibrarum arteriosarum si musculi non operantur: sed si augeatur spirituum motus, statim hic influxus superat æquilibrium, & musculus valida vi contrahitur.

Quid fit abscisso tendine.

LVIII. Abscisso tendine sponte contrahitur musculus: fibræ enim longitudinales implentur continuo, &, quoniam sunt cylindricæ, in statu violento semper erunt, dum implens liquor conatur hanc figuram in sphæricam commutare. Accedit compressio antea æquilibrata nervosarum fibrarum, nunc vero, quoniam longitudinales fibræ in suis extremis non suffulciuntur, superantur fibris transversalibus, & fibræ longitudinales fiunt breviores. vid. fig. 29.

Pars vellicata cur oscillat.

LIX. Cur autem a vellicatione pars aliqua nervosa statim contrahitur, difficile explicatur, veritas autem ejus asserti ubique manifesta est, non modo in nervo isto vellicato, sed & in reliquis surculis nervosis, ab eadem origine venientibus; ut in sternutatione, tussi, vomitu &c. imo totum sæpe stamen nervosum consentit involuntarie. Sentio id esse adscribendum summi opificis placito, qui voluit, corpus nostrum ita concinnare, ut statim ac vellicetur nervosa pars, ibidem demandentur spiritus, hoc enim ab elasticitate partium derivare, vellicatione vel stimulo agitatarum, & oscillantium, frustra tentarunt multi.

LX. Etsi vero nescimus modum, quo tunc propelluntur spiritus, attamen ista actio cum sit verissima, a Medicis in cognoscendis & curandis morbis non est omittenda; multa enim possumus inde deducere in morbis. Veluti cur pueri in dentitione convelluntur? cur post durissima ventris tormina sæpe convulsiones? cur debilibus, cachecticis, mulieribus hystericis frequentes suffocationes: & borborygmi, & inflationes? cur nephritici sæpe vomunt & nauseant? cur ex titillatione faucium vomitus; & similia.

Quid anima facit ad motum.

LXI. Nec facilius est explicare, quid agat anima in principia nervorum, dum membrum volo movere, quoniam huc usque non sit explicatum, quomodo ab aliquo incorporeo, ut est anima, corpus possit agitari.

LXII. Possumus ex his omnibus facile judicare, quid sentiendum sit.

Quæstiones.

1. De contractione fibrillarum nervosarum, qua statuunt musculos moveri?
2. An fiat Musculorum inflatione?

3. An fiat explosione spirituosi salini cum nitro sulphureo, ut Willis.
4. An ex efferveſcentia ſpirituum cum ſanguine?
5. An propter calorem, ut fibræ ad ignem corrugantur?
6. An ex ſpirituum elaſticitate, qui, in muſculo libertatem nacti, ſeſe expandunt?
7. An ex efferveſcentia ſpiritus acidi cum ſanguinis alcali?
8. An particulæ aereæ elaſticæ, in fibris collectæ, tempore contractionis liberantur & ſeſe extendunt?
9. Num inflatio fibram reddit breviorem?
10. Num muſculus inflatur exploſione aeris cum ſpiritu.

Vires muſculorum. LXIII. Nunc explicanda venit vis, quam exercent muſculi dum contrahuntur: in hac parte ſe virum præſtitit Joah. Alphonſus Borellus in eleganti, doctiſſimoque libro de motu muſculorum. Hujus autem ideam dabimus.

LXIV. Conſiderandum erit 1. omnis muſculus trahens æque urget partem fixam quam mobilem, duplicatur ergo vis contractionis ſupra pondus quod elevat. 2. Superanda eſt vis contractilis muſculi antagoniſtæ. 3. Muſculi tendo raro ibidem infigitur, ubi a membro elevatur pondus; agit ergo muſculus trahens, ſi medio membri inter hypomochlion & pondus elevandum ponatur, quadruplo iterum majori vi: & illa vis eo debet eſſe validior, quo tendinis inſertio hypomochlio eſt propinquior. 4. Muſculi tendo raro perpendiculariter trahit membrum, ſed per angulum acutum, ideo major requiritur vis. 5. Simul cum pondere ipſius membri gravitas elevanda eſt. 6. Deinde omnes attritus organorum ſuperandi ſunt.

LXV. Tantam vim ab impulſu fluidi conciliari poſſe muſculis docent in hydraulicis & hydroſtaticis phyſici. Parva enim aquæ quantitas, ſeſe inſinuando inter funis alicujus interſtitia, funis latera dimovet, & ingens pondus ſic elevari poteſt.

LXVI. Vires muſculorum eadem directione trahentium ſunt inter ſe, ut eorum magnitudines, adeo ut, quo muſculus pluribus conſtet fibris, eo erit fortior.

LXVII. Quo fibræ alicujus muſculi ſunt longiores, eo major fieri poteſt accurtatio; hinc ad magnas flexuras longiſſimis utitur muſculis natura.

Muſculorum actio in humores. LXVIII. Videndum reſtat, quid agat muſculus in humores, dum alterne moveatur. Comprimuntur & relaxantur alterne fibræ longitudinales; minimæ arteriolæ, per membranas fibrarum extenduntur, & relaxantur iterum, interſtitia fibrarum elongantur, comprimuntur, relaxantur, & omnem fere induunt figuram. Humores ergo in iis contenti ſeparantur, commiſcentur, comprimuntur, atteruntur, globuloſam acquirunt figuram, figuræ vaſorum aſſimulantur, omne viſcidum diſſolvitur, & ſanguis magis compactus evadit, ſpirituſque in eo velùti in pulmonibus elaborantur, hinc exercitati craſſiorem, rubicundiorem, & denſiorem habent ſanguinem, ſpirituſque puriores magis elaboratos: interim ſolida magis compinguntur, robuſtiora & magis elaſtica fiunt: ſed interim abſumuntur ſpiritus, qui in exercitio tamen moderato facile hac elaboratione ſuppeditantur, vide noſtrum Tractatum, in capite de exercitiis corporis, *De inſenſibili perſpiratione*.

Exitus Sanguinis & Spirituũ. LXIX. Sed huc uſque nondum eſt explicatum, ubi manent hi influentes ſpiritus & ſanguis. Microſcopiis aſſequi non poſſumus eorum exitum, vel debent pelli in venas, aut per fibrarum extremitates in oſſa, an ideo tranſudant medullam, dum moventur oſſa?

TRA-

TRACTATUS DECIMUS NONUS.

De Cordis Fabrica.

I. COr hominis in ſuperiore parte corporis ſitum ad faciliorem ſanguinis pro- pulſionem ſurſum, quod animalibus prono capite veſcentibus non tam neceſſarium erat; ſex digitis tranſverſis longum, quatuor latum invenitur. *Magnitudo & ſitus.*

II. Exterius obvelatum *pericardio*; quod eſt membrana firma & robuſta a membrana pleura proveniens, in ſe continens liquorem lubricum, concreſcibilem ad ignem, e vaſculis pericardii glanduliſque ſecretum, ad facilitandum cordis motum, attritum præveniendum & incaleſcentiam. Hoc pericardium diaphragmati adnatum eſt in homine, non vero in quadrupedibus; arterias habet a diaphragmaticis, mammariis externis, & mediaſtini, quæ multis anaſtomoſibus uniuntur. *Pericardium.*

III. Pendulum hæret a quatuor vaſis ſanguiferis, in ſuperna media thoracis parte, intra mediaſtini duplicaturam; non niſi a mollibus pulmonum lobis preſſum. Mucro ſeu apex ejus ad ſiniſtrum latus vergit, & in fovea veluti quadam pulmonis reconditur. *Nexus cordis.*

IV. Arterias habet cor duas *coronarias* dictas quæ ſtatim ex aorta pone ejus valvulas naſcuntur duobus diſtinctis orificiis. Hæ cordis baſim ſtrophi inſtar ambiunt, in principio a ſe invicem recedunt, demum vero coeunt, atque coaleſcunt, ſeu ſibi invicem inoſculantur. Ex quo ſtropho plurimi ſurculi arterioſi enaſcuntur, qui etiam vario modo inter ſe iterum inoſculantur, atque per totum cordis parenchyma diſſeminantur adeo, ut, omnia ſenſibilia hujus puncta attingant. Ex eodem annulo arterioſo, ad auriculas utraſque, & ipſam ſubſtantiam arteriæ aortæ, plurimi mittuntur ſurculi arterioſi. Strophus hic arterioſus a multa pinguedine ſuffulcitur, qua etiam ejus ramificationes diriguntur. *Cordis arteriæ.*

V. Sanguis ab his arteriis delatus recipitur a *Venis coronariis*; quæ etiam multa inter ſe committunt oſcula, & eodem modo ſitæ ſunt ut arteriæ, ſed partim mittunt ſanguinem per patens oſculum in auriculæ dextræ cavitatem, partim vero per ſingulares venas in auriculam dextram. *Venæ.*

VI. Obſervandum, quod cum omnia vaſa corporis ſint in diaſtole, hæc vero debeant eſſe in ſyſtole & vice verſa. *Motus ſanguinis in his.*

VII. *Nervos* accipit cor a pari octavo, qui nervi extra calvariam in duos diviſi nervos, nervum intercoſtalem & par vagum conſtituunt, ex quibus multi emittuntur ſurculi plexum cardiacum ſupra cor conficientes, ex quo multi ſurculi nervoſi dimittuntur in cor, auriculas atque pericardium. Sed bruta etiam accipiunt nervos ab intercoſtalibus. *Nervi.*

VIII. Fibræ cordis exteriores ab ejus tendine valido, in baſi cordis locato, & quatuor oſtiis, ad introitum & exitum ſanguinis, perforato, proveniunt, ſeu dextrorſum inſeruntur. Interiores vero ſiniſtrorſum feruntur, & eidem tendini affiguntur. *Fibræ totum cor cingentes.*

1. Series fibrarum, ſupra dextrum ventriculum cordis ſitarum, recto itinere a cordis mucrone feruntur ſurſum, & terminantur in ejus baſin, ſed numero paucæ ſunt, atque exiles: firmant hunc ventriculum, ejuſque contractione adjuvant.

2. Series priori ſubjecta helicem conſtituit, numero ſunt plures, hæ fibræ a ſiniſtro cordis latere incipiunt circa conum cordis & circumquaque, & feruntur dextrorſum, & terminantur in cordis baſin.

3. Fibrarum ſeries his (N. 1. 2.) ſubjacens, ductu oppoſito currit, a dextro latere cordis incipit, & circa ejus conum ſurſum fertur, atque helicem in ſuo ductu conſcribit, inverſi ordinis. Hæ utrumque ventriculum ambiunt, quæ cum agant, conſtringunt totum cor validiſſime, & ejus mucronem verſus baſin ducunt.

4. Notandum eſt, non omnes fibras ſecundæ ſeriei ab ejus tendine uſque ad

mucronem cordis tendere, ſed medio itinere quaſi abſcondi, & cordis corpus intrare, ubi uniuntur cum principiis fibrarum tertiæ ſeriei, quæ tunc oppoſito curſu ſurſum feruntur. Hinc intelligitur, quare non omnes fibræ ſecundæ & tertiæ ſeriei a cordis cono incipiunt.

5. Ex hiſce enumeratis fibris tota cordis facies conficitur, & totus dextri ventriculi paries, tam quoad externam quam internam faciem.

Fibræ ſiniſtri ventriculi. 6. Verum ſiniſter cordis ventriculus alias inſuper habet fibras, ſibi peculiares, priori ſacco fibrarum quaſi incluſas, ex quibus quoque ſepimentum ventriculos diſtinguens conficitur.

7. Siniſter ventriculus duplicem, ut totum cor, habet fibrarum ſeriem, quarum exteriores a baſi cordis ſiniſtra deorſum feruntur dextrorſum, totumque ventriculum ſpirali curſu ambiunt; non omnes tamen ad cordis mucronem pertingunt, ſed medio itinere iterum in fibras internam ventriculi ſiniſtri faciem conſtituentes abeunt, quæ oppoſito curſu ſpirali ſiniſtrorſum aſcendentes in baſin ſiniſtram cordis deſinunt.

Quam mirabili modo itaque currant fibræ circa cordis mucronem, facile intelligitur.

Columnæ. IX. A fibris interioribus utriuſque ventriculi, ſed præcipue ſiniſtri, plurimæ emittuntur fibroſæ, carnoſæ propagines, *Columnæ* dictæ, in valvulas cordis deſinentes, & baſim cordis; ut in cordis diaſtole retrotraherentur valvulæ, & in cordis ſyſtole firmarentur; & ut cordis cava eo arctius poſſent contrahi: ex his fiunt etiam cordis *foveæ*.

Auriculæ. X. *Auriculæ* cordis eodem modo ex fibrarum duplici ſerie conſtant; ſed pauciores & exiliores habent, plurimaſque columnas, quæ fibræ & columnæ cordis baſi tanquam fulcro innituntur. Ramulum nervi octavi paris, antequam intrat cor, utraque auricula accipit; & arteriam & venam a coronariis cordis. Sed auricula præterea dextra circulo duriore & tendinoſo cingitur.

Cur dextra auricula cordis ſiniſtra major, cum ventriculi inter ſe æquales ſint, & æqualem ſanguinis recipiant quantitatem?

Valvulæ triangulares. XI. In dextro cordis ventriculo, ante oſtium venæ cavæ, tres reperiuntur *valvulæ*, a figura *triangulares*, *tricuſpides*, & *mitrales*, dictæ, quæ admittunt ſanguinem in ventriculum dextrum, in diaſtole cordis. Hæ firmantur loris ſeu columnis cordis in dextro ventriculo repertis. Sed in cordis ſyſtole, accedentibus columnis, & ab interne urgente ſanguine; clauduntur: verum tunc aperiuntur tres valvulæ *ſemilunares* in arteriam pulmonalem, & pellitur hac via ſanguis ex dextro ventriculo verſus pulmones.

Semilunares.

Valvulæ ovales. XII. In ſiniſtro vero ventriculo recipitur ſanguis per venam pulmonalem e pulmonibus ductus, apertis duabus valvulis figuræ quadantenus *ovalis*; interius etiam a columnis ſiniſtri ventriculi cordis validiſſime fultis, ne in cordis ſyſtole regurgitaret verſus pulmones; ſed tunc aperiuntur tres valvulæ *ſemilunares* introitum præbentes ſanguini in arteriam aortam, ſed reditum impedientes. Immediate pone has reperiuntur oſtiola duo arteriæ coronariæ cordis.

Semilunares.

Obex in ſacco venæ cavæ. XIII. Sanguis ex trunco *venæ cavæ* ſuperioris deſcendente; & inferioris aſcendente, non directe oppoſito curſu ſibi mutuo occurrit, ut olim putarunt, ſed *obicis* ope hic locati, ſive flexura ipſius venæ, dirigitur ex utriſque veniens ſanguis in auriculam dextram.

Aorta origo. XIV. Et *arteria aorta* ex corde non in duos dividitur truncos, verum e ſiniſtro cordis ventriculo exſurgit ſurſum, & dein circulari figura incurvatur, ex qua curvatura tria oriuntur orificia, ex quorum primo communi apertura oritur arteria cervicalis dextra & axillaris dextra, ex ſecundo cervicalis ſiniſtra, & ex tertio axillaris ſiniſtra. Dein deorſum vergit truncus aortæ, demandans ſanguinem ad inferiores corporis partes.

Structura in fœtu. XV. Præter explicatam jam ſtructuram cordis in homine adulto, duo alii inveniuntur canales in *fœtu*, quibus præcavetur, ne omnis ſanguis per pulmones

ferri

ferri debeat, ut in adulto, ſed exigua tantum pars. Quippe immediate ſub obice, qui venam cavam in duos dividit truncos, eſt *foramen ovale*, quod apertum & in proxime adjacentem venam pulmonalem, per quod ſanguinis pars ex vena cava ſtatim in venam pulmonalem delabitur, non ingrediens ventriculum dextrum cordis. Ex limbi ſuperiore præcipue parte hujus foraminis pendula hæret membrana in vena pulmonali, quæ impedit regurgitationem ſanguinis ex vena pulmonali in cavam; quod foramen ab hac membrana clauditur poſt nativitatem.

Reliqua vero ſanguinis pars per venam cavam delata, & in cordis dextrum ventriculum effuſa, dein per arteriam pulmonalem vecta ad pulmones, intercipitur fere omnis a *canali arterioſo*, qui hunc reliquum ſanguinem ex arteria pulmonali ſtatim in aortam ducit. Hic canalis etiam poſt nativitatem obliteratur, & in ligamentum commutatur.

XVI. Quamdiu a pulmonibus collapſis difficilis fiat per arteriam pulmonalem circulatio, urgebit ſanguis in vena cava contentus in foramen ovale magis, & valvulam apertam tenebit: & qui ex dextro pellitur cordis ventriculo dilatabit arteriam pulmonalem, ut aorta multo ſit amplior, aliter quam in homine nato, ducitque igitur ſanguinem in aortam tunc minus reſiſtentem. Verum inflatis pulmonibus, major ſanguinis portio in venam pulmonalem derivata claudit valvulam foraminis ovalis, a venæ cavæ ſanguine tunc minus, quam pulmonalis, preſſam, ſuffocatque per foramen ovale ſanguinis trajectum. Atque recedentibus arteriis pulmonali & aorta per pulmonum elevationem a ſe mutuo, canalis intermedius arterioſus cum elongatione anguſtatur; dum ſimul facilior fluxus ex arteria pulmonali per pulmones fiat, ea collabitur arteria, minori impetu in hujus canalis orificium urgetur ſanguis; & aorta majorem ex pulmonibus & ſiniſtro cordis ventriculo accipiens quantitatem, omnino ſanguinis ex arteria pulmonali per hunc arterioſum canalem intercipit fluxum, cogitque, ut in adulto ſanguis per ordinariam viam ducatur. *Mutatio cum nascitur Infans.*

Sanguinis via per Cor.

XVII. Sanguis contentus in vena cava, retrogredi a valvulis in venis impeditur, ante auriculam cordis dextram in ſinu venoſo ſtagnans, & preſſus a fibris muſcularibus, quibus contexitur: Hic ſinus pellit ſanguinem in auriculam cordis laxatam, eo tempore, quo eſt cordis ſyſtole. *Ingreſſus in auriculam.*

XVIII. Sed in cordis diaſtole, cum eſt evacuatum, &, retrotractis valvulis tribus tricuſpidalibus a columnis dextri ventriculi, aperta eſt via ex dextra auricula in cor dextrum. Contractis tunc fibris dextræ auriculæ urgetur per hanc viam in cordis laxatum dextrum ventriculum ſanguis. Eſt ergo cordis diaſtole, & auriculæ ſyſtole, eodem tempore. *In ventriculum dextrum.*

XIX. Sanguis nunc contentus in dextro ventriculo urgetur undique in cordis ſyſtole, laxantur columnæ, elevantur valvulæ tricuſpidales, donec claudatur oſtium, per quod introivit ſanguis, & firmantur valvulæ hiſce columnis, ne extra verſus truderentur: ſed tunc protendit tres valvulas ſemilunares in orificio arteriæ pulmonalis ſitas, eas lateribus arteriæ applicat, & viam pandit apertam ſanguini, ex ventriculo dextro, in arteriam pulmonalem. Harum valvularum figura, ſitus, nexuſque evidentiſſime demonſtrant, viam patere e corde in arteriam pulmonalem, ſed motum retrogradum impediri, eo arctius enim clauduntur, quo ſanguis in arteria pulmonali verſus cor fortius urget. *In arteriam pulmonalem.*

XX. Ducitur ergo omnis cruor in homine adulto, ex vena cava, per auriculam dextram, & cordis ventriculum dextrum, in arteriam pulmonalem. *Concluſio.*

XXI. Sanguis per pulmones actus redit per venam pulmonalem quatuor ramis *Reditus.*

con-

conſtantem ante ſiniſtram cordis auriculam in ſinum venoſum, ut ante dextram auriculam: laxata auricula contrahitur hic ſinus, & auricula impletur: (hæc auricula minor eſt quam auricula dextra) laxato corde, & apertis duabus valvulis mitralibus, impletur ſiniſter ventriculus cordis.

Qui dein valida vi contractus urget ſanguinem undique: ſed cum oſtium venæ pulmonalis hiſce dictis valvulis tunc exactiſſime claudatur, & valvulæ tres ſemilunares, in principio aortæ poſitæ, exitum ſanguinis non impediunt, aperiuntur, & ſanguis valida vi pellitur in aortam; ut ſic omnes partes corporis permeet ſanguis.

Obſervatio. XXII. Eodem tempore implentur auriculæ utræque: & viciſſim utrique contrahuntur ventriculi cordis, dum laxantur auriculæ.

Quid vita & mors. XXIII. Hæc actio quam diu durat, vivere dicitur animal, & omnes cauſæ, quæ hanc actionem omnino deſtruunt, ſunt cauſæ mortis.

Experimenta. XXIV. Ambo ſinus implentur, & turgent eodem tempore, & nulla diſtingui differentia poteſt, inter contractionem unius vel alterius.

Idem obſervatur in auriculis, ſed iis laxatis contrahuntur ſinus.

Ipſo hoc momento temporis contrahitur cor & evacuatur.

Eodem tempore urget aorta & arteria pulmonalis; exilitque cruor ſi aperiantur;

Hoc tempore abſciſſo cordis mucrone digitus immiſſus quaſi a pugno validiſſime premitur.

Momento poſt flacceſcunt ſinus, contrahuntur auriculæ, flacceſcit cor, elongatur, & ſanguine impletur.

Sic alterne continuo procedit hic motus, donec langueſcit animal, quando ſexies quandoque contrahuntur ſinus venoſi & auriculæ, antequam ſemel contrahitur cor.

Concluſio. XXV. Eſt ergo actio in corde, auriculis, & ſinubus, alterna, quamdiu vivit animal: & a contractione ſubſtantiæ cordis & reliquarum partium dependens.

De cauſa Sanguinem pellente e corde.

Contractione. XXVI. Eodem enim momento, quo ſanguis ſalit e corde, ejus mucro ad baſin accedit, fibræ tenduntur, indureſcunt, cor pallet & evacuatur, compreſſione ergo cordis ſanguis pellitur in arterias.

Nec extenſione humoris. XXVII. Qui ſerio perpendit hæc (XXVI) dein 2. obſervat, abſciſſo vel ligato nervo, cor ſtatim palpitare, & brevi poſt omnem amittere motum; 3. cor omnia requiſita muſculi habere, ſed & elegantiora; 4. curſum fibrarum, quæ, ſi abbreviantur, cavum minuunt: ille convincetur expanſione humoris contenti ſanguinem non evacuari.

Nec efferveſcentia. XXVIII. Qui efferveſcentiæ motum cordis adſcribunt, inter nitrum ſulphureum, ex lateribus cordis ſecretum, cum particulis ſanguinis heterogeneis, non attendunt, nullibi in cordis lateribus liquorem inveniri cum ſanguine efferveſcentem, etſi cor minutiſſime conſciſſum nudo ſanguini permiſceatur: 2. nullas glandulas in cordis lateribus inveniri; 3. nec aliunde eo derivari poſſe, nulla enim præter arterias coronarias ſanguinem arteriæ aortæ vehentes, vaſa in cordis ſubſtantiam ingrediuntur; quis etiam crederet acre hoc liquidum per nervos duci? 4. Sanguinem cum nullis humoribus efferveſcere: 5. Cor pulſare etſi aqua impleatur vel alio liquore; 6. & a ſtimulo ſolo moveri; 7. nec cor intumeſcere expulſionis tempore.

Nec fermento. XXIX. Nec majori pondere adſtruunt ſententiam fermenti. 1. Si ſtatuitur fermentum ſolidum eſſe, latens in lateribus cordis; ſane cordis ſuperficies, molem ſanguinis recepti tangens, haud valebit tam cito integram maſſam in fermentationem adigere. 2. Si ſumatur portio ſanguinis remanens a ſingulis pulſationibus, quis crederet hanc ſubitam mutationem? 3. Si adſcribatur ſanguini arteriæ coronariæ, qui

ſtatim

ſtatim venit ex ſanguine aortæ, certe per totum corpus fieret hæc fermentatio. 4. Quis unquam vidit tam brevi tempore fermentationem. 5. Ipſe ſanguis fermentationi ineptus; 6. Effectus fermentationis, ut ſpiritus ardens vel acetum, in ſanguine ſano nunquam inventi.

XXX. Magis recepta ſententia de magno cordis calore, quo ſanguis in cor dimiſſus expanderetur, nihil plus valet; piſcibus & inſectis frigidis enim circulatio conceſſa eſt; & cordis calor ad thermometrum non ſuperat calorem aliorum viſcerum: nec cordis phænomena hoc indicant, nullum etiam corpus ſolidum maneret calidum, quod toties humore frigido extinguitur; combureretque vicina. *Nec calore.*

XXXI. Statim ac hæc (XXVI) deſinit ſyſtole, cordis diaſtole incipit; fibræ flacceſcunt; redit color ruber; mollius fit; & elongatur, ſeu mucro recedit a baſi; columnæ recedentes trahunt valvulas intra cava cordis; aperiuntur oſtia venarum; eodem tempore ſtringuntur fibræ auricularum; cava cordis iterum ſanguine implentur; removentur latera ab influente ſanguine; poſt iterum contrahitur ut prius. *Diaſtole.*

De Cordis vi in Sanguine expellendo.

XXXII. Borellus demonſtrare tentat cor ſingulis pulſationibus ſuperare pondus majus 135000 librarum. Quæ ſupputatio minime convenit aliis muſculis agentibus. Nec tantum impetum vaſa ſine ruptione ferre poſſent; neque reſpondet experimentis cum ſaliente ſanguine inſtitutis, neque digitus in cor immiſſus tantam compreſſionem percipit. *Borelli Calculus.*

XXXIII. Jac. Keyl autem unciis quinque vel octo comparat, quod ex altitudine ſalientis ſanguinis, vel horizontaliter projecti, ex natura parabolæ demonſtrat; (cujus altitudo a terra ad aperturam eſt ad dimidium lateris recti, ut idem dimidium ad altitudinem ſupra aperturam, ex qua corpus cadendo velocitatem accipit, quæ altitudo duplo ſumpta, ſupra baſin æqualem aperturæ, pondus exhibet: & differentiam reſiſtentiæ determinat, ex differentia quantitatum ſanguinis ex arteria vel vena huic oppoſita fluentium, quæ erat ut $7\frac{1}{2}$ ad 3.) hæc vis etſi nimis parva videatur, quam ut ſanguinem pellere poſſet per totum corpus, proxime tamen accedit. *Keylii Calculus.*

XXXIV. Ex fontium ſalientium altitudine cognoſcimus pondus premens, quod circiter $\frac{1}{5}$ parte majus eſt, quam altitudo columnæ ſalientis, niſi nimis alti ſunt. Si ergo area orificii aortæ ſit æqualis $\frac{1}{4}$ pollicis quadrati, & proſiliat ad altitudinem 8 pedum, in tali columna 24 pollices quadrati ſanguinis continentur; quæ quantitas, ſi ſinguli pollices drachmas 5 continent, ponderabit 8 uncias. Cordis ergo vis, quam impendit, 10 unciis comparari poteſt; quod proxime accedit Keiliano calculo. *Ex fonte ſaliente Calculus.*

XXXV. Quoniam vero contorſione a mucrone incipiente ſurſum vergente, cor ſeſe conſtringit, haud facile tota vis, quam cor exercet, inveniri poteſt; quamvis habeatur vis cognita in ſaliente ſanguine, quia plus impendit, quam eſt effectus obſervatus in arteria aperta: nec ſupputatio valet inter aperturam & totam circumferentiam cavitatis cordis: velocius enim ſaliet liquor ex cavitate, quæ ita contorquendo agit, quam ſi æqualis vis undequaque toti ſuperficiei eſſet applicata. *Totam vim difficile inveniri.*

XXXVI. Hæc vis ſanguini in aorta communicata, ſola non valeret totam humoris maſſam circumducere, ſed iterato pulſu cordis, alterna contractione arteriarum, & minimorum vaſorum, quamdiu vita, atque valvulis venarum maxime adjuvatur. *Juvatur motu arteriarum.*

XXXVII. An ergo tota moles humorum quieſcens uno cordis ictu circumducenda? *Quæſtiones.*

2. An recte ſuppetatur ratio virium cordis, qui conſiderat molem quieſcentem ſolo motu cordis propelli?

3. An

3. An arteriarum incurvationes, & conica figura, tantum reſiſtunt motui cordis, ut nonnulli ſtatuunt?

4. An vis elaſtica laterum arteriarum magnam reſiſtentiam præbet, antequam ſuperatur, an non potius promovet fluxum?

5. An pondus & elater partium circumjacentium maxima impedimenta motui? dum exigua vi liquori conciliata, qui per exilia vaſa ducitur, magnum pondus incumbens attolli poſſit.

6. An non circulatio per minutiſſima motui arteriarum potius, quam viribus cordis, adſcribenda?

De Arteriarum fabrica.

Definitio. XXXVIII. Vas quodcumque in noſtro corpore, quod vehit liquorem a trunco ad ſuos ramos, vocatur *Arteria*. Eſt ergo Aorta e ſiniſtro cordis ventriculo veniens; & vena arterioſa veterum ex dextro thalamo cordis prodeuns; atque vaſa lymphatica hoc modo ſuos liquores vehentia; & denique venæ portarum pars, quæ intrat hepar, arteria vocanda.

Aorta. XXXIX. *Arteria Aorta* eſt vas ad ſenſum conicum, inflexum, multis ramis donatum, ex ſiniſtro ventriculo cordis prodeuns, interne levæ, mucilagine lubricatum, ſine valvulis, niſi in corde. Omnes rami ſimul ſumpti capaciores ſunt ipſo trunco, ut tardior in ramis, quam trunco, evincit fluxus. Rami ex trunco ſemper veniunt angulo acuto verſus extremum: excipiuntur arteriæ intercoſtales & renales ſeu emulgentes, quæ conſtituunt cum trunco angulum rectum: & mammariæ, epigaſtricæ, & umbilicales, quæ conſtituunt angulum acutum, cum ſuperiore trunci parte.

Extima membrana. XL. Prima extima tunica communis eſt membranæ pleuræ: hæc ſuſtentat arteriam, dirigitque vaſa, quæ ad ejus feruntur membranas: multa habet vaſa arterioſa a coronariis ſuppeditata & a circumjacentibus partibus; multaque lymphatica, atque nervos. Externa ejus ſuperficies membranoſa & nervoſa, ſed interna multis plexibus arterioſis ornata, qui in recente ſine diſpendio ſanguinis extincto clariſſime conſpiciuntur.

2. Celluloſa. XLI. Huic ſubjacet alia celluloſa, a Ruyſchio detecta, quæ flatu dilatatur.

3. Glanduloſa. XLII. Tertia membrana glanduloſa dicenda, aut nervoſa, quod nervi hic contexuntur, ut ſub cute, in quorum nervorum areis exiguæ reperiuntur glandulæ. Externa ſuperficie vaſculoſa, interna magis glanduloſa & nervoſa; quare ſæpe pro duplici ſumitur membrana, vaſculoſa, & glanduloſa aut nervoſa dicta.

4. Fibroſa. XLIII. Quarta tunica conſtat plurimis fibris annullaribus ſibi mutuo incumbentibus, & quæ in plurimas lamellas ſeparari queunt; tunicamque ſatis craſſam conſtituunt & elaſticam: hæ fibræ contrahendo propellunt ſanguinem, & impulſione ſanguinis a corde dilatantur, ut alii muſculi ab antagoniſta.

5. Intima. XLIV. Ultima ſive intima Tunica quinta fere membranacea eſt, fibris longitudinalibus tenuiſſimis conſtans, priore multo tenuior. In interna ſuperficie admodum glabra.

Pulſus. XLV. Hoc vas arterioſum, quam diu animal vivit, micat & ſalit, qui motus *pulſus* dicitur. Sed vero, ſi non ſufficiens copia a corde pulſa adſit, ſæpe palpitat.

Origo arteriarum. XLVI. Omnium arteriarum origo a corde: quippe arteria magna ab ejus ſiniſtro ventriculo; pulmonalis a dextro; vel ab ipſis arteriis, ut omnes arteriæ lymphaticæ: vel denique ab ipſis venis, ut a trunco venæ portarum.

Exitus. XLVII. Sed varios habet exitus. Primo in venam, ut docet injectio in arteriam meſentericam; & inſpectio per microſcopia, in ranis & veſpertilionibus. Ergo principia venarum & fines arteriarum æque ampla ſunt. Antequam vero deſinit arteria in venam, multos ſæpe conficit plexus, per quos vario modo currit ſanguis; tandem evacuatur in venam; nam ſemper vas adferens & defe-

rens

rens in tali plexu obſervatur; ulterius non venit ſanguis ruber, & non effunditur in parenchyma, ex quo per venas iterum recipitur; nulla fit ſanguinis extravaſatio.

In vas lymphaticum.

XLVIII. Secundo in vas pellucidum conicum, liquidum vehens a baſi ad ramos, derivatur ex arteria liquor diaphanus, qui per hanc arteriam lymphaticam circulatur, ut ſanguis in arteriis cruentis: horum orificia in arteria cruenta ſemper minora diametro globulorum ſanguinis, niſi vi quadam dilatentur.

Vel in Secretorium.

XLIX. Vel deſinit arteria in vas ſecretorium, vel excretorium, fundens liquidum extra corpus, vel in corporis quædam cava: unde iterum recipitur, vel extra corpus derivatur, per canales ſeu ductus: horum etiam orificia minora ſunt ſanguinis globulis.

An Anaſtomoſes?

L. Qui negant Anaſtomoſes, hæc adferunt argumenta, quæ ſimul examinabimus. 1. Quia tunc tantum per anaſtomoſes patentiores flueret ſanguis, non vero per vaſa minutiſſima: ſi ſc. tunicæ minimorum vaſculorum magis reſiſterent; imo omnis ſanguis in lymphatica derivaretur, ſi globulorum magnitudo id non impediret. 2. Non fieret ſanguinis tranſcolatio & ſecretio: hæc autem ſecretio & tranſcolatio haud neceſſaria. 3. Non redit tepida aqua in arteriam injecta per ſociam venam, niſi prius tota pars fuerit impleta. Sed hoc fit, quia omnis derivatur, propter tenuitatem particularum, in lymphatica, adeoque & hoc non demonſtrat parenchyma. 4. Ceræ diverſi coloris in arteriam & venam injectæ, ſeſe mutuo non attingunt, nec permiſcentur, ſed in ſubſtantia carnea quaſi obliterantur. Obſervatio hæc falſa eſt, hodie enim clariſſime demonſtratum ab anatomicis ceram ſibi invicem occurrere & attingere. 5. Vena cruralis prope inguen ligata, & arteria circa genu, attamen vena impletur ſanguine intra inguen & genu; hæc vero derivatio fit per ramos arterioſos laterales. 6. Ligato trunco arteriæ cruralis in cane & abſciſſo, (A) Vulnus ſanabatur, (B) Motu partis permanente; (C) Rami arterioſi infra ligaturam vacui; (D) Vena cruralis turgida, (E) Nec ſphacelo nec tabe pars affecta fuit. Ligato trunco inferiore aortæ omnis motus poſterioris partis crurum periit, & partes valde frigidæ, canis continuo ejulavit, intra 28 horas moriebatur. In priori alius fuit ramus, qui ſuppeditavit ſanguinem venis cruralibus. In poſteriore experimento, ligato trunco arteriæ omnis ſanguinis fluxus ad crura interceptus fuit. 7. Ulcere abſumtis omnibus vaſis, exceptis muſculis, in medio brachio, attamen manus retinebat ſenſum & nutritionem. Difficile probatu ab hoc ulcere omnia vaſa arterioſa abſumta fuiſſe, cum nulla mentio de magna hæmorrhagia: & cur non poſſet arteria intra muſculos decurrere ad manum; haud opus eſt arteria nuda jaceat, ſæpe a muſculis & aliis partibus arteriæ defenduntur.

Experimentum.

LI. Arteriæ omnes ſanguine, humoreve aliquo & flatu poſſunt extendi, ſed renituntur, ablata extenſionis cauſa anguſtantur, donec ad minimam ſuæ contractionis diametrum pervenerint: quæ vero ſenſim minuitur, ſi ſibi relinquantur arteriæ, non vero ſubito.

Digitum immiſſum valide premit arteria aperta: eſt ergo vis quædam contrahens in arteria, vitalis dicenda, quæ provenit contractione muſculari fibrarum circularium, ſupra vim contractilem elaſticitatis arteriarum, ſimilis illi, quæ in corde & inteſtinis animalium viventium invenitur, cum vita enim hæc quoque ceſſat.

Interrogata.

LII. In vivo animali cur plena, in cadavere, cum omni ſanguine extincto, ut plurimum vacua invenitur & valde contracta arteria?

2. An ſanguinis ſola propulſio a corde? an vero ſimul juvatur ab arteriis?

3. Arteriarum poteſtas præcipua contrahendi pendeatne a propria contractilitate automatica fibrarum? an ab impletione vaſculorum latera arteriarum conſtituentium? an a compreſſione partium circumjacentium? vel denique a motu quodam vitali fibrarum arteriarum?

4. An glandulæ arteriarum non poſſunt ſuum liquorem in cavum arteriarum

fundere ut in inteſtinis, quia in arteriis extra fibras carneas locatæ ſunt, in inteſtinis vero intra fibras.

5. Cur arteria per longitudinem ſecta retorquetur?

6. Cur tranſverſim ſecta retro trahitur, & ſub carne ſæpe reconditur?

7. Quare ramus arterioſus minor tranſverſe abſceſſus tandem integre clauditur?

8. Arteriæ cur graciliores in Rachitide?

De Arteriarum diſtributione.

Coronaria arteria. LIII. Aorta ex ventriculo cordis ſiniſtro orta, in principio tres valvulas habet ſemilunares, pone quas ſtatim emittit duos exiguos ſurculos, qui in cordis, auricularum, venarum, & arteriæ pulmonaris, atque ipſius arteriæ aortæ ſubſtantiam diſtribuuntur, & quoniam baſin cordis coronæ ad inſtar ambiunt, coronariæ arteriæ appellantur.

Aortæ curvatura. LIV. Aorta paululum ſurſum evecta arcuato flexu ſiniſtrorſum incurvatur.

Subclavia dextra. LV. Ex hac curvatura dat in dextro latere primum notabilem ramum, qui arteria ſubclavia dextra appellatur.

Carotis dextra. LVI. Ex hac ſubclavia provenit arteria carotis dextra, aliquo ſpatio veluti arteriæ ſubclaviæ coaleſcens.

Carotis ſiniſtra. LVII. Secundus ramus ex hoc arcu ſurſum delatus eſt arteria carotis ſiniſtra.

Subclavia ſiniſtra. LVIII. Tertius & ultimus ramus, qui ex hoc arcu provenit, vocatur ſubclavia ſiniſtra, dein fertur aorta ad ſiniſtrum latus deorſum.

Carotides. LIX. Arteriæ illæ duæ carotides ſurſum feruntur profundo ſitu, & aſpera arteria defenſæ, a compreſſu liberæ, vix ramoſæ, recto itinere cranium petunt.

Carotis externa, & duræ matris rami. LX. Antequam cranium ingrediuntur, emittunt carotides externas, ex unaquaque unam. Quæ carotis externa largitur laryngi, pharyngi, muſculis oſſis hyoidis, maxillis, linguæ, labiis, ori, naſo, oculis, auribus, temporibus, omnibuſque partibus externis capitis, ramos arterioſos. Ex his arteriis oriuntur quoque bini rami, qui per ſingulare foramen utrique calvariam ingrediuntur, & in dura membrana cerebri ac cerebelli diſtribuuntur, ſolis integumentis craſſioribus cerebri inſervientes, & cerebelli; non vero cerebri ſubſtantiam adeunt.

In canali oſſeo. LXI. Emiſſa hac arteria, Carotis interna ingreditur, per canalem oſſeum, cranium, incurvatur ab eo antrorſum, ibidem ſuam muſcularem deponit membranam.

Superato canali. LXII. Superato hoc canali, & datis duræ matri ramis, defenditur a lateribus ſellæ turcicæ, & duræ matris propagine, mox in exteriora piæ matris & nervorum, datis ramis, cerebro ope piæ matris committitur, circa ſellam equinam quoſdam ramulos tranſmittit ad glandulam pituitariam, qui ramuli venis contexti rete mirabile efficiunt.

LXIII. Ubi ſtatim in laterales anteriores & poſteriores ramos dividuntur, qui in circulum Williſianum coeunt.

Ex hac interna carotide mittuntur ramuli ad oculi, auris, & naſi internas partes.

Vertebrales. LXIV. Arteriæ vertebrales, ſeu cervicales, ex ſuperiore parte ſubclaviarum utrinque natæ, ſurſum porrectæ, ſtatim inter foramina lateralia ſeptem vertebrarum cervicis receptæ, defenſæ, recto itinere delatæ, involucro membranoſo vaginali munitæ, ramoſæ, ubi ex vertebrarum foraminibus emerſerunt, ſtatim ſub proceſſu ſuperiori, poſteriori, primæ vertebræ retroflexu incurvatæ, ibique latiores factæ, per magnum foramen occipitis ingreſſæ, depoſita craſſiori membrana, unitæ, dein carotidibus junctæ, mire dividuntur.

Cerebri. LXV. Duæ Carotides internæ & duæ vertebrales ab oppoſitis plagis in mutuas aperturas coeunt, & circulum Williſianum dictum conſtituunt, ex quo alii emittuntur rami, perpendiculari fere itinere, qui ſimili apparatu concurrentes iterum tales minores circulos formant, atque eodem artificio per totam piæ matris

tris ſuperficiem, in ſubdiviſionem ſenſui diſparentem, fere evaneſcunt, ut tota pia meninx maxime hac textura conſtet.

LXVI. Videbimus nunc, qualis eſſe debeat ſanguis ex deſcripta hac ſtructura, qui in cerebri ſubſtantiam fertur, & quid in hoc itinere patiatur. *Sanguinis natura in cerebro.*

A. Pars ſanguinis nobiliſſima ad cerebrum fertur.

B. A lympha inerti depuratus.

C. Atque ſanguinis parte craſſiore & minus mobili liberatus hic ſanguis.

D. Sanguis ex hac incurvatura minus premit mollem cerebri ſubſtantiam.

E. Sanguis in cerebro ubique ſibi ſimilis eſt.

F. Minus vibrat arteria quam in aliis corporis locis; ſed motus eſt æqualis & placidus.

G. Sanguis valde attenuatus ex concurſu, quod alibi ex attritu ad latera fiebat.

H. Uno ramo obſtructo, tamen omnes partes cerebri accipiunt ſanguinem.

I. In arteriis iiſdem itus fieri poteſt & reditus.

L. Sanguis eſt attenuatus, lævigatus, contritus, fluidus, aptus ſecretioni, non facile concreſcens.

LXVII. De reliquis vero arteriis anatomicorum tabulæ inſpiciendæ.

De Venarum ſtructura.

LXVIII. Vas conicum, in quo motus fit ab apice verſus baſin, vena appellatur. *Definitio.*

LXIX. Conſtat vena cruenta eodem numero tunicarum, ſed tenuiorum, & alio ordine collocatarum. Prima enim conſtat fibris parallelis, ſed ſe invicem interſecantibus: ſecunda ut prima arteriæ: tertia ſimilis arteriæ ſecundæ: quarta glanduloſa, ut arteriæ tertia: & intima reſpondet quartæ tunicæ, fibris circularibus conſtanti, ſed ſerie tenuiore. *Tunicæ.*

LXX. Rami plures & ampliores ſunt quam rami arteriarum. Hi ſenſim uniuntur, & ampliorem conſtituunt truncum, in quem omnes rami venoſi ſimili modo, ut diximus de arteriis, deſinunt. *Rami.*

LXXI. Hæc vaſa non micant, ut arteriæ, ſed intus multas poſſident valvulas; vel ubi intrat ramus venoſus truncum, ne regurgitaret ſanguis; vel etiam in rami medio, maxime infernarum partium, ne ſanguis infernus a ſupremo premeretur. *Valvulæ.*

LXXII. Accipiunt venæ ſanguinem; primo ab extremitatibus arteriarum; ſecundo a vaſis lymphaticis venoſis ubique fere venas perforantibus; ſed præcipue e ductu thoracico, quaſi conductore omnis lymphæ: denique tertio e vaſis abſorbentibus in cute & plurimis cavitatibus collocatis: 4. ab extremitatibus venæ portarum: 5. Ex ſinubus cerebri. Atque vena pulmonalis ab arteria ejuſdem nominis. *Unde ſanguinem accipiunt.*

LXXIII. Omnis tandem ſanguis in venam cavam depoſitus defertur in ſaccum venoſum ante auriculam dextram cordis, & qui ex pulmone venit e ſingulo lobo duobus ramis magnis, tandem unitis, fertur in ſinum venoſum ante auriculam cordis ſiniſtram. Sanguis per venam portarum tranſeuns etiam recipitur a radicibus venæ cavæ per hepar, & reliquo ſanguini venæ cavæ miſcetur. *Ubi deponunt.*

LXXIV. Omnes itaque liquores totius corporis a vena cava & vena pulmonali recipiuntur, & ad cor feruntur.

LXXV. Si vena aliqua ligetur in corpore, inter ligaturam & principia venarum omnes venæ & vaſa lymphatica intumeſcunt, lympha implentur. *Vena ligata.*

Si jugulares externæ ligatæ ſunt, fauces intumeſcunt, atque labra, lingua, & vultus, oculi rubent, protuberant tumore horrendo; cerebrum ſuffocatur, ſenſus hebetes, hiatus oris, ſtertor, decubitus impoſſibilis præ ſuffocatione, rubor, tumor, dolor, pulſatio ſæpe in collo, in pectore, & cervice conſpicua, venæ

raninæ & frontales varicoſæ, lacrymæ copioſæ, & ſaliva ex ore effluit.

Qualis gangræna. Si ex vena compreſſa gangræna, tunc pars prætumida & dura, diſtenta, bullulæ majuſculæ, ichore plenæ, inſtar loturæ carnis, pars gravis & immobilis, impreſſi digiti veſtigium retinens, cutis a carne ſubjecta deduci videtur, diſtenditur interdum pars flatibus, & puncta per ſcalpellum ſæpe flatus exit cum pauco humore ſtridente.

LXXVI. Hæc putamus ſufficere ex anatomicis ad ſequentium morborum cognitionem: quæ enim pertinent ad ſanguinis naturam, copiam, & circulationem, reſervabimus, donec de humoribus agendum erit.

TRACTATUS VICESIMUS.

De Pulſibus.

Definitio. I. ALterna arteriarum vibratio, in hominibus ſanis, 60 vel 70 rythmos unoquoque minuto horæ ordinariæ faciens, cum certa quadam violentia, in homine ſano obſervanda, pulſus dicitur, Galeni magis, quam Hippocratis tempore, notus, quamvis & huic non omnino incognitus, ad morbos explorandos hodie in frequenti uſu.

Diviſio. II. Qui pulſu ut ſigno uti deſiderat, eum ad hæc quatuor attendere oportet. 1. Pulſum indicare vim & actionem cordis: 2. Arteriarum: 3. Humorum quantitatem & naturam: 4. Eorumque fluxum.

Cordis actio. III. Cordis actio animadvertitur in unaquaque pulſatione ſeu rythmo: 2. in plurimis ſimul. Eſtque æqualis vel inæqualis.

Vigoris differentia. IV. Vigor cordis expellendo ſanguinem in arterias, in corpore perfecte ſano, prius explorandus: hic aliquam patitur latitudinem ſine multo detrimento, pro natura ætatis, ſexus, ingeſtorum, tempore ſomni & vigiliarum: major enim & minor, celerior & tardior, digitorum trium aut quatuor ſummitatibus arteriæ, oſſe præprimis ſuffultæ, admotis, inveſtigatur.

Major. V. Si cor ſingulis ictibus majori vi contrahitur, ſanguis celeriori impetu in latera arteriarum ruens eas dilatat ſolito magis, quæ dilatatio digitis percepta, ſi non multo major ſolito, *robuſtus fortiſque pulſus* dicitur & *validus*; notans cordis vigorem, & copiam ſanguinis ſingulis ictibus ejecti: in morbis bonum præſagium, niſi ob cerebrum compreſſum ut in apoplecticis, & contuſione cranii, animi deliquio ſcorbuticorum, aut ob compreſſionem notabilem rami arterioſi hujuſmodi fiat pulſus.

Vehemens. VI. *Vehemens* autem pulſus, digitos veluti removens ab arteria, nec quieſcens fortiori digitorum compreſſione, ut in ſanis fieri ſolet, fortiſſimam cordis contractionem, qua ſpiritus conſumuntur, & motum humorum velociſſimum ſolida deſtruentem indicat. Omnia ergo mala, quæ ex his fieri ſolent, præſagit, & videri poſſunt in aucta circulatione. In morbis acutis inflammatoriis & eryſipelatoſis obſervatur.

Durus. VII. Quando arteria inſtar chordæ tenſæ dura, contra digitos attollitur, *Durus* dicitur pulſus, fortem indicat arteriæ impletionem, cum impedito tranſitu ſanguinis per arteriæ extrema, membranarum internarum, ut pleuræ, & meningum, inflammationi comes. Si arteriæ ſimul conſtringuntur magis, eſt durus & parvus: alias durus & magnus, qui melior: præſagia ex inflammatione, febreque acuta ardente petenda.

Pulſatio. VIII. Qui motus arteriarum violentior in locis, ubi ſanitatis tempore pulſus non animadvertitur, pulſum manifeſtum & perceptibilem facit, pulſatio & palpitatio arteriarum, & a veteribus venarum dicitur. Indicat cordis violentiorem contractionem, vel impeditum fluxum per extrema arteriarum, aut utrumque ſimul.

In capite. IX. In capite indicant vel ſanguinem majori impetu ruere in caput, 2. tranſitum

ſitum per caput impeditum, vel 3. inflammationis præſentiam, 4. Metaſtaſin materiæ ad caput. Prædicunt delirium, convulſionem, hæmorrhagiam, parotides, longum morbum, abſceſſum ad crura.

Pectore & dorſo.

X. Tales pulſationes in medio pectoris cum calore modico, cum quadam anxietate, ceteriſque ſignis hæmoptoes, inſtans ſanguinis ſputum indicare ſolent. In dorſo vero nimia agitatione arteriæ aortæ febrem ardentem indicans, in infantibus plerumque mortis nuntium.

In Hypochondriis.

XI. Hepatis, lienis, & ſtomachi inflammatione, atque ſanguinis tranſitu per hæc viſcera impedito, in præcordiis pulſationes ſentiuntur, cum dolore, tenſione, & anxietate, indicant ſingultum, delirium, præprimis ſi adſit lingua arida.

Circa umbilicum.

XII. Dolores palpitantes circa umbilicum, inteſtini tenuis aut meſenterii inflammationem indicant, ſæpe delirium movent, & in tympanitidem peſſimum deſinunt.

Lumborum.

XIII. Lumborum vero palpitationes cum aliis ſignis, in mulieribus menſium inſtantem fluxum indicant: verum cum ardore corporis, lingua ſicca, urinæ ſuppreſſione, renes inflammatos eſſe ſignificant.

In reliquis partibus.

XIV. Pulſus per totum corpus aut plethoram aut febrem inflammatoriam ſignificat; in quadam parte, iſtius partis inflammationem, impeditum motum; unde ex forti pulſu vel abſceſſus, vel gangræna, vel hæmorrhagia exſpectatur; in parte ex podagra dolente brevi deſituram doloris vehementiam indicat.

Debilis.

XV. Si 1. cordis conſtrictio imbecillis ſit. Ut in cerebri compreſſione phreniticorum, lethargicorum, delirantium, tetanicorum, ſoporoſorum, vel ex defectu ſpirituum in perinfirmis, morbis vehementiſſimis vires corporis ſuperantibus. 2. Si intercipiatur fluxus ſanguinis ad cor, ut in peripneumonia, tuberculo pulmonum, pleuritide validiſſima, ſufficientem pulmonis explicationem inhibente; vel per hepar eo ſc. obſtructo, aut inflammato, vel nimia quantitate ſanguinis evacuata extra corpus, vel collecta in cavis, aut vaſis dilatatis, ut in hydropicis, empyicis: humoris nimia evacuatione, a partu, ruptioneque vaſorum interna. 3. Laxatus tonus ſolidorum in ſcorbuticis, hyſtericis, ſtomachi debilitate laborantibus, rachitide, in parte paralytica, leucophlegmaticis, doloribus flatulentis, 4. inflammatio & febris ardens, in gangrænam vel ſphacelum abiens. 5. In principio invaſionis febrium, pulſus minori vi digitos applicatos percutit & attollit, & a compreſſione eorum paulo majori omnino ſuffocari poteſt; pulſus hic debilis dicitur a Medicis. Quandoque talis videtur fieri, ſi multa pinguedine vel tumore aquoſo arteria tecta ſit. Talis pulſus, quia arteria minus attollitur, *humilis*; minus percipi poteſt, *obſcurus*; arteriam minus dilatat, *exilis*, *gracilis*, *exiguus*, *parvus*; minus implet, *vacuus*, tandem in ſummo gradu *deficiens* & *deletus* dicitur, quorum omnium cognitio & prædictio ex his clara.

Celeritas.

XVI. Alterum quod in ſingulis pulſibus animadvertitur, eſt celeritas & tarditas. Celeritas pulſuum, quamvis a multis Celeritas cum frequentia confundatur, omnino diſtinguenda videtur, intelligimus enim per celeritatem, ſi ab initio dilatationis uſque ad integram, & ab ea iterum ad quietem, minori temporis ſpatio peragitur, quam in ſanis pulſibus fieri debet; quod exploratione digitorum facile percipiendum. Si vires deficiunt cum humorum defectu, atque quodam ſtimulo irritante, cor minimo momento, veluti ictitans, ſe contrahens, citiſſime dilatat arteriam brevi tempore ſubſidentem. Ut plurimum in cholera, febre & temperamento bilioſo, atque febre eryſipelatoſa obſervatur. Dicitur etiam velox & ictitans quandoque.

Tardus.

XVII. Huic oppoſitus eſt, qui vocatur *tardus* & *lentus*, in viſciditate humorum frequens obſervatur, ut in cachecticis, ſcorbuticis, leucophlegmaticis, quod ob ſanguinis lentorem longius tempus inſumatur, antequam integre arteria impleri poteſt; & cor evacuari.

Frequens.

XVIII. Cordis actio in pluribus pulſibus (III) aut frequentius, aut rarius exer-

exercetur. Quæ pulsationes inter unumquemque ictum brevius spatium temporis relinquunt, seu si eodem temporis spatio sæpius pulsant, pulsus dicitur frequens, a quibusdam celer & velox dictus, sed perperam, indicat cordis frequentiorem contractionem. Quod fit 1. ab irritatione phlogistica, ut in pleuritide, phrenitide, & membranarum inflammatione, quando & *frequens* & *durus*. 2. A materia acri biliosa, uti in febribus biliosis & erysipelatosis *frequens* & *celer*. 3. Defectu virium, ut in principio invasionis febrium, & circa statum, quando pessimus, phthisicis, perinfirmis, & similibus & *frequens* & *debilis*; si vero 4. vires adaugeantur, ut ex usu Chalybis in chlorosi, singulis ictibus corde majorem copiam sanguinis ejiciente, pulsus fit *frequentior* & *major*.

Rarus. XIX. Huic contrarius est, qui longiori intervallo vibrat, *rarus* dictus, a multis etiam lentus & tardus, quamvis talis ad præcedens genus (XVII) potius pertineat. Blandum indicat humorem, hoc si ex humorum optabili indole provenit, vasisque apertis, magnitudine compensatur parvitas. Verum si ob visciditatem, cerebrum aut cerebellum obsessum tenentem, ut in pituitosis, leucophlegmaticis, catarrho suffocativo, syncope, & sopore, atque catalepsi laborantibus, fiat rarus & parvus aut debilis, summum periculum imminet, totum cerebellum obstructum iri.

Inæqualis. XX. Præter cuncta hæc pulsuum genera, qui æquales dicuntur, aliud est quod inæquales continet 1. in unoquoque ictu, & 2. in multis simul. Omnes hi pulsus nunquam quidquam boni indicant, non semper tamen mortis indicium: quibusdam enim satis familiares, in pulmonum morbis & scorbuto frequentes, & in quibus post mortem in corde polybus fuit inventus, aut pericardium cordi adnatum.

Serratus. XXI. Pulsus singulis ictibus inæqualis, tribus ad minimum digitis dignoscendus, & qui cum aliqua duritie percipitur, *serratus* a Medicis dicitur. Indicat magnam cordis constrictionem, & inæqualem & variis in partibus arteriæ resistentiam. Idem imo pejora, ut pulsus durus (VII) præsagit.

Undosus. XXII. Si satis magna Sanguinis quantitas e corde pulsa arteriam non nimis resistentem undæ ad instar successive attollat, *undosus* vocatur: talis observatur in humorum abundantia, morbisque acutis & inflammatoriis, si crisin per sudorem natura moliatur, & quando in suppurationem abeat; in morbis autem Chronicis materiam alicubi hærentem in sanguinem receptam esse indicat.

Vermicularis. XXIII. Si cor minori vigore contrahitur, & singulis ictibus inæqualiter, minor quantitas e corde in arterias mittitur, qua arteria successive attollitur, ac si vermis sub digitis serperet, *vermicularis* pulsus dicitur.

Formicans. XXIV. Qui minorem adhuc vim cordis, & quantitatem sanguinis indicat, simili modo *formicans* appellatur.

Myurus. XXV. Sed vero qui versus cor magis: & versus extrema minus dilatatur, quod cor non valeat, vel deficiat tantus liquor, ut tota arteria impleatur, μυρ- ex similitudine caudæ muris a veteribus dicitur. Qui omnes in omnibus morbis periculosi sunt habendi pulsus.

Dicrotus. XXVI. Qui pulsus plusquam semel videtur attolli, & digitos ferire, *Dicroti* vocantur si simul debiles; verum si magis robustus, Caprizans appellatur, raro nisi in perinfirmis observatur, & agone mortis.

Caprizans.

Tremens & vacillans. XXVII. Huic quoque referendus *vacillans* & *tremens*, inæqualem & inordinatam arteriarum impletionem indicans, ex denominatione facile definiendus; vires vitæ fragiles & caducas indicat.

Intermittens. XXVIII. Inæqualium alterum genus (XX) duas continet species, 1. *Intermittentem*, qui una alterave vice intercalatur seu deficit; in membranarum inflammatione gangrænam indicat, in acutis pessimus, in pueris vero dormientibus, plethoricis, senibus, præsertim mulierculis familiaris, & quibus cor pericardio accretum est.

Myurus. XXIX. 2. Μύουρον, qui singulis ictibus minor sentitur, ut in moribundis, quem ite-

iterum ulterius ſine neceſſitate in decurtatos, reciprocos, & recurrentes diſtinguunt.

XXX. Arteriæ (II, 2.) quoque aliquam pulſui mutationem inducere queunt. Fortiter enim contracta, maxime reſiſtens pulſum *durum* (VII): laxa & iners, *Debilem* (XV, 3.) inæqualiter contracta, *ſerratum*; modice conſtricta, *mollem*, exhibet. *Ab arteria.*

XXXI. Mollis fit pulſus 1. ſi ſufficienter non impleatur, defectu ſanguinis, ut in peripneumonia, aliiſque pulmonum morbis, atque hepatitide, qui tunc ſemper malus. 2. Arteria nimis laxata, ut in ſcorbuto, leucophlegmatia, quando malus. 3. Minori influxu ſpirituum, ut in quiete corporis & ſomno, bonum indicat; ſed in ſopore, cerebri oppreſſionem. 4. Sedato impetu ſpirituum in fibras motrices, cum corporis viribus auctis & pulſus plenitudine, bonus in febribus. *Mollis.*

XXXII. Quantitas humorum (II, 3.) in corpore contenta, & ſingulis ictibus e corde in arteriam ejecta, pulſum *magnum*, *plenum*, *altum*, *latum*, *manifeſtum* exhibet, & palpitationem. Qui boni, niſi fiant a nimia copia humorum, vel impedito transfluxu ſpirituum per cerebrum, ut in apoplexia, lethargo, phrenitide: vel ab obſtructione rami notabilis arteriæ. *A Sanguinis majori quantitate.*

XXXIII. Sed ſingulis cordis ictibus minor quantitas in arterias derivata, pulſum *parvum*, *vacuum*, *gracilem*, *obſcurum*, *debilem*, & etiam *deficientem*, facit; hoc ſi fiat defectu virium, ut in ſphacelo, catarrho ſuffocativo, ſyncope, infirmitate, defectu ſanguinis, valde malum: ſed in obeſis, arteria multa pinguedine tecta, nil mali indicat. *Minori.*

XXXIV. Humorum quoque indoles utcumque pulſu exploratur. 1. Tenuitas enim, quod facile per capillaria arteriarum trajiciatur, pulſum celerem, mollem, humilem excitat. 2. Craſſities phlogiſtica, magnum, durum, altum, quod ſanguis craſſior difficilius trajiciatur per extrema, cum cordis contractio & arteriarum ſit validiſſima. 3. Sed viſciditas pituitoſa, adhæſione lateribus arteriarum, tarde propellitur, vaſaque laxa ſunt, unde, ſi abundat humor, pulſus altus, magnus, tardus, mollis. Si deficiat, mollis, obſcurus, exilis, tardus. 4. Acrimonia vero humorum non tam facile deſtinguitur; pro ſua natura mutationem facit, ſæpe irritatione ſua pulſum inordinatum producit, ut in ſcorbuticis, cachecticis; ab acrimonia acida pulſus potius languet, a bilioſa celer frequens, & ſi ingens, ſimul debilis fit pulſus. *Qualitas.*

XXXV. Cognoſcimus etiam, an transfluxus ſanguinis (II, 4.) ſit liber ex mollitie pulſus, vel impeditus ex duritie, & pulſatione. *Transfluxus.*

XXXVI. Qui antecedentia intelligit, facile reſpondebit ad ſequentia. *Interrogata.*

1. Cur pulſus robuſtus & æqualis bonus in delirantibus?

2. Cur fortis, cum libera reſpiratione, & appetitu vigente, tantum valet ad ſalutem prædicendam in morbis?

3. Cur durus & parvus peſſimus?

4. Cur ex capitis plaga valida, quandoque tempora pulſant, quandoque non pulſant.

5. Cur ex pulſu hypochondriorum ſæpe ſingultus?

6. Cur pulſus mollis in vomitu cruento, ſi ex hepate veniat?

7. Cur pulſus hypochondriorum cum lingua arida mentis emotorius.

8. Cur pulſatio in ulceribus ſanguinis eruptionem plerumque præcedit?

8. Cur ex pulſu debili, vacillante, cum urina prærubra, ſedimentoſa, in tenuem & pallidam mutata, & inſomniis horrendis, circa ſtatus acutorum, capitis mala exſpectanda, vel febris in malignam mutatio?

10. Quare pulſus debilis in delirio & convulſione tam periculoſus.

11. Quomodo per pulſum diſtinguunt morbos pulmonum a ceteris inflammationibus pectoris?

12. Cur dolor pectoris cum libera reſpiratione & pulſu debili non levatur venæ ſectione?

13. Un-

13. Unde in pleuritide quandoque pulſus debilis, & cur tam malus?
14. Quænam inflammationes pulſum debilem habent?
15. Quibus pectoris morbis pulſus debilis, quibus durus?
16. Cur pulſus exilis in parte paralytica difficiliorem curationem promittit?
17. Qui dolores, quum intenduntur, pulſum debilitant, & qui augent.
18. Cur in principio acutorum & febrium pulſus debilis non valde metuendus, verum circa ſtatum periculoſiſſimus?
19. Cur obeſis & leucophlegmaticis pulſus exilis ſine periculo?
20. Cur in pulmonum lethargo pulſus tardus & parvus.
21. Cur frequens & debilis periculoſus in acutis?
22. Cur frequens & durus inflammationi comes?
23. Cur frequens & celer in morbis bilioſis & eryſipelate?
24. Num frequentior pulſus majorem ſanguinis trajectionem per cor ſemper indicet?
25. Cur frequens & major bonus in morbis chronicis?
26. Unde tanta differentia periculi inter pulſum magnum rarum, & parvum rarum?
27. Quid pulſus undoſus in chronicis & acutis indicat?
28. Cur malum, ſi in pleuritide pulſus durus in altum & mollem mutetur?
29. Cur pulſus mollis, ſi dolor pectoris fiat ex hepatitide.
30. Cur pulſus mollis perſeverans cum delirio, in peripneumonia ſuppurationem prædicit?
31. Cur mollis undoſus ſudoris nuntius.
32. Cur mollis & vacuus malus, mollis & plenus plerumque bonus, & non ſemper?
33. Quare circa mortem pulſus parvus, debilis, frequens?
34. An non inveniuntur plenus & vacuus?
35. Cur æqualis bonus, inæqualis ſuſpectus, non vero ſemper periculoſus?
36. Cur pulſus magnus, plenus, frequens, a corporis exercitatione?
37. Cur a cibo, inordinatus, frequens; a vino magnus, celer, frequens, & vehemens?
38. Cur ex inedia, minor debilis, celer creber, tandem tardus rarus?
39. Cur puerorum pulſus celerior, frequentior, mollior; in juvenibus vero, plenior, rarior, durior, fortior; in ſenibus tardus, rarus, debilis?
40. Cur in ſomno minor, debilior, tardior, rarior, mollior & æqualis. In ſopore vero ſæpe vehementior, major, frequentior, & cur non ſemper?
41. Cur in exercitatione e ſomno major, vehementior, crebrior, quandoque inæqualis.
42. Cur ex ira magnus, celer, frequens, vehemens. Ex triſtitia parvus, languidus, rarus, tardus. Ex lætitia magnus, rarus, tardus, robuſtus. Ex terrore vehemens, celer, inordinatus, demum ut in triſtitia, quandoque vero ſubito deficit.

TRACTATUS VICESIMUS PRIMUS.

De motu Solidorum languidiore.

Hujus motus deſcriptio.

I. OMnibus in fibris, forſan excipiuntur oſſeæ, quidam motus obſervatur, ſive oſcillatorius, ſive vermicularis, ſive vitalis vocetur, perinde eſt, quamdiu vita, imo aliquamdiu poſt mortem, obſervandus, minimaque irritatione reſuſcitandus, quo liquores propelluntur per minutiſſimos tubulos, quamvis a motore generali non amplius urgeantur; quo motu ceſſante, vel maxima vi liquores per minima vaſcula non poſſunt adigi, ut docent injectiones in viſcera parteſque alias demortui animalis. Hic ab omni irritatione augetur; & torpidior fieri ſolet a quibuſdam.

II. Mo-

II. Motus hic languidior & tardior obſervatur fieri. *Cauſæ.*

1. Deſtructo æquilibrio inter ſolida & fluida, ſive ſolida ſuperant, ſive ſuperantur.

2. Fibrarum laxitate, rigiditate, & flaccida fibra, vel amiſſa elaſticitate.

3. Viſcoſitate humorum moventium.

4. Retardato motu ſpirituum in animi quibuſdam pathematibus.

5. Spirituum influentium defectu, ut in valetudinariis, infirmis mutata indole ſanguinis.

6. Nitro, opio, refrigerantibus, & ſimilibus.

III. Ex hoc minuto motu omnia fiunt, quæ a tardiori circulatione oriri ſolent. *Effectus.* Fluida enim concreſcunt ſponte, ſtagnant in minimis vaſculis, ingeſta non ſubiguntur in bonos humores, ſed in cruditatem, viſciditatem, acrimoniam plerumque acidam degenerant; pulſus languet; ſenſus fiunt hebetiores; particulæ globoſæ ſanguinis amittunt figuram; corpus friget; minima vaſcula humoribus turgent; ſecretiones & excretiones retardantur; quæ emittuntur, cruda ſunt; ſenſibiles tamen evacuationes proportione ſuperant inſenſibilem; obſtructiones ubique & corruptiones humorum.

IV. Ex defectu humorum, quod copioſioribus prægreſſis evacuationibus cognoſcitur, deficiens motus, cibo ex facili materia, & ſtomachicis, curatur: verum ex abundantia languens venæ ſectione, ceteriſque evacuantibus, refocillatur. *Curatio.*

Laxitati autem & inertiæ medentur roborantia, adſtringentia, calida, & ſtimulantia.

Viſcoſitas ſtimulantia reſolventia indicat.

Tardior ſpirituum fluxus volatilibus aromaticis reſuſcitandus.

At ſpirituum defectui potius alimentis facilis digeſtionis, parca copia ſimul, & aliquantulum vinoſis ſubveniendum.

V. Ex his reſpondere facile eſt. *Quæſtiones.*

1. Cur evacuatio ſanguinis & aliorum humorum quandoque auget, quandoque minuit motum & calorem?

2. Cur tepida humidantia refrigerant?

3. Cur mœſti frigent, tandemque leucophlegmatici & cachectici fiunt?

4. An calor corporis naturalis a ſolo humorum trajectu per vaſa?

5. An frigus febrile ex defectu motus ſolidorum vel ſanguinis deducendum?

6. Cur pars paralytica frigida difficilius curatur, quam ſi modice caleat?

7. Cur frigus extremarum in acutis tam periculoſum?

8. Cur ab animi pathematibus aucta, minuta, & turbata poteſt fieri circulatio?

9. Cur venæ in cadaveribus fere ſemper plenæ, arteriæ fere vacuæ?

10. Quomodo ex lipothymia redeat vita ſponte ſua?

11. Cur hoc adjuvatur frictionibus, ſtimulantibus & volatilibus naribus admotis, vel in os infuſis?

12. Quomodo refrigerantia calide applicata tamen refrigerant?

13. Quomodo nitrum refrigerat, quum ſuis ſpiculis irritare videatur?

14. Cur quidam dolores calorem, quidam vero frigus inducunt?

15. Num frigus ex commiſtione ſalis ammoniaci noſtrorum humorum cum ſale alcalino fixo?

TRACTATUS VICESIMUS SECUNDUS.

De Tremore.

I. ALternus, vacillans, laxus, involuntarius muſculorum animalis motus, commotio, tremor dictus, ab his ſolet provenire cauſis. *Definitio.*

II. Quæ ſpiritus animales exhauriunt, ut vigiliæ protractæ, alimenti defectus, *Claſſis 1.*

Defectu spirituum. nimia venus, nixus ſupra vires, morbi diuturni, evacuationes largiores, ſenectus, hæreditas, quæ ultima duo genera curationem omnem reſpuunt.

Curatio. III. Tales tremores ſomno longiore ſpontaneo, vel narcoticis inducto; alimentis copioſioribus, ſed parca copia ſimul; quiete corporis, & evacuatione moderatiore; atque demum roborantibus curantur.

Claſſis 2. Mobilitate. IV. In hyſtericis & hypochondriacis, ex ſolidorum mobilitate, ſponte ceſſat, eo morbo curato.

Claſſis 3. Spiritibus depravatis. V. Si ſpiritus depravantur, ſpiritus vini, mercurii, aquæ tepidæ & narcoticorum abuſu; nimia alimentorum & potationis ingurgitatione: horum omiſſione moderatiorique uſu & roborantibus tales tremores tolluntur.

Claſſis 4. Animi pathemata. VI. Ex motu perturbato animi, & timore, terrore, profuſo gaudio, nati, ſponte ceſſant animo ad tranquillitatem redacto.

Claſſis 5. Acrimonia humorum. VII. Sed ab acrimonia ſcorbutica, & cacochymica, quod frequentiſſime fit, ſi urina tenuis & citrina emittitur in his, ſpecificis huic morbo dicatis medicamentis ſiſtitur tremor.

Claſſis 6. Febre intermittente. VIII. In initio paroxyſmi febris intermittentis, præprimis quartanæ, cum in aliis intermittentibus minus frequentes eſſe ſolent tremores; atque febris continuæ, non multum mali portendunt; aromaticorum ſtimulantium uſus, etſi multis frequens, damnabilis, nimis validum enim ſubſequentem calorem movent: ſed potu antiphlogiſtico calido ſuperandi.

Claſſis 7. Melancholia. IX. Verum materia oleoſa, corrupta, picea, acris. nigra, atra bilis dicta, in cerebrum delata (ut ex Hipp. caput dolentes, ſurdaſtri, manibus tremulis, collum dolentes, mingentes nigra condenſata, vomentes nigra, pernicioſe habent) cum phrenitide periculoſiſſimos tremores inferunt, nam quibus melancholico modo mente motis tremores accedunt, malignum hoc eſt.

Curatio. X. His ſi ſuperveniat hæmorrhoidum fluxus, liberantur; hæmorrhoides ergo aperiendæ, & alvus ducenda melanagogis reſolventibus.

Claſſis 8. Urinæ ſuppreſſione & metaſtaſi. XI. Urinæ etiam ſuppreſſio tremores inducere ſolet, materia ad cerebrum delata. Tali etiam modo ex materiæ podagricæ metaſtaſi; aut ex ſanguine lochiorum & menſium retento: qui humores omnes a cerebro derivandi, cauſaque ſuppreſſionis tollenda.

Claſſis 9. In acutis. In principio. Medio. Fine. XII. Multum differt, quo tempore morborum acutorum tremores fiunt. Plane enim in initio, non ita timendi: poſtea vero oborti plerumque convulſionem præſagiunt, in phreniticis & in ardentibus mentis emotionem, in caro vel lethargo malum portendunt; & tunc etiam in parvis parotidibus: verum die critico contingentes, cum aliis bonis ſignis conſpecti, criſin aut metaſtaſin ſignificant; ſolvuntur hi quandoque ſanguinis eruptione. In fine acutorum venientes, dum in ſphacelum abierunt humores, omnino lethales. Ita in acutis, ſi pulſum tangas, æger manum retrahat quaſi ictitans, omnino lethale aut ſi phrenitidi ſuperveniant, exolutis viribus.

Claſſis 10. viſciditate. XIII. Sæpe in chronicis pituitoſis morbis, ex materia tenaci, ſtagnatione in cerebro producta, tremores facti apoplexiam præſagiunt; & ex forti apoplexia ſæpe relinquuntur tremores, mali ominis; ſed paralyſi ſuperveniens, initium motus per nervum obſtructum oſtentans, bonum.

Curatio. XIV. In his tremoribus viſcida materia eſt reſolvenda, per alvum ducenda, dein corpus roborandum.

Quæſtiones. XV. Ex dictis reſpondetur ad ſequentia.

1. Cur imbecilles & valetudinarii tremunt?
2. Cur ex calido in frigidiorem aerem delatis tremor?
3. Cur tremores circa mortem?
4. Cur tremores in paralyſin & apoplexiam, & convulſionem ſæpe deſinunt?
5. Cur a lue venerea curati ſæpe tremunt?
6. Cur tremores ex latente cauſa periculoſiores, quam ab evidenti?

7. Cur

7. Cur in febribus continuis abſceſſum præſagiunt?
8. Cur urina parcior & ſuppreſſa tremores præſagit?
9. Cur vomitus æruginoſus cum tremoribus pernicioſus?
10. Cur tremores in ſudoribus reverti ſolent?
11. Cur in ſenum febribus, & qui nephritide ſæpiſſime laborant, obſervandum an non a calculo tremores fiunt?
12. Qui tremores incurabiles?

TRACTATUS VICESIMUS TERTIUS.

De debilitate Virium.

Synonyma & Definitio.

I. SI corpus motum ſuum minori cum vigore & conſtantia exercere valeat, variis nominibus hic defectus inſignitur, quæ fere eundem aut paulo majorem vel minorem defectum indicant, ut *Debilitas*, *Imbecillitas*, *Infirmitas*, *impotentia*, *Languor*, *Laſſitudo*, *virium defectus*, *virium exolutio*, *vires fractæ* & multa alia, Græcis καρδιακόν.

II. Medicamenta, quæ his affectionibus medentur, *Cardiaca*, *Roborantia*, *Corroborantia* & *Cordialia* vocantur.

Difficilis pertractatio.

III. Quum fere omnibus morbis quædam ſimul adjuncta eſt debilitas, impoſſibile fere eſt hujus cauſas omnes ad quaſdam redigere claſſes, omniaque exhibere genera cardiacorum medicamentorum: quare ſumma tantum genera delibabimus.

Ex copia in primis viis.

IV. Si ex humorum abundantia in ventriculo & inteſtinis ſuperantur vires, quod ex anxietate, gravitate circa præcordia, & laſſitudine atque lumborum dolore cognoſcimus, vomitu aut alvi fluxu ſuperveniente liberantur; iiſque medicamentis, quæ hæc promovent, curantur.

Ex impetu ad caput.

V. Si vero a nimia humorum copia cerebrum comprimatur, ut inde comatoſi fiant in acutis, his ſi parotides ſuperveniant, ſatis magnæ, quæ ſuppurantur; aut hæmorrhagia larga; alvi fluxus copioſus; urina alba concocta cum levamine, liberantur; ſin vero alvus rubra emittit excrementa, parotides non ſuppurantur, ſuccumbent copia nimia preſſi. Hoc in caſu minuendus eſt ſanguinis impetus potu antiphlogiſtico, atque alvus ducenda iis, quæ ſimul refrigerant.

Sanguinis retentione.

VI. Verum ex retentione lochiorum, menſiumque emanſione, atque ſolita hæmorrhagia ſuppreſſa oppreſſis viribus, indicatur ſtatim in principio naturalis vel artificialis ſanguinis eductio.

Malignorum humorum ſuppreſſione.

VII. Verum ex retentis humoribus malignis ex ulcere aliiſque partibus, qui ſolent alias effluere: aut ſi humor morboſus ex corporis quadam parte ad caput facit metaſtaſin, cerebrumque opprimendo vires minuit, ſtatim humor ad debita loca, fomentis, epiſpaſticis, veſicatoriis, fonticulis, derivandus aut educendus.

Ex evacuatione ſanguinis.

VIII. Frequentius autem defectu humorum vires deficiunt; vel quod ipſi ſpiritus evocentur; vel vaſa non ſatis diſtenta manent, dum ad motum ſufficiens requiratur humorum quantitas. Si ergo copioſius quovis modo ſanguis a corpore emittatur, ſtatim frigus, horripilatio, demum calor hecticus, ſuffocatio hyſterica, anorexia, debilitati junguntur; tandem partes inferiores vel intumeſcunt vel macreſcunt. Suppreſſa hac evacuatione, caloreque hectico, ſi adſit, cortice peruviano extincto corpus roborandum, præprimis ſi corpus ſimul pallet & friget. Si vero poſt hæmoptoen, pectoralia adjungi poſſunt & magis refrigerantia. Et quoties ſigna hæmoptoes futuræ adſunt vena ſecanda.

A Gonorrhœa & fluore albo.

IX. Ex Gonorrhœa & fluore albo, præter debilitatem, inducitur innappetentia, languor, pallor, oppreſſio hypochondriorum, frigus circa lumbos, tandem tabes difficilis curatu. Sedata hac evacuatione, roborantibus vires reſtituendæ.

Alvi fluxu.

X. Si a nimis frequenti alvi dejectione, ſive Diarrhœa, ſive Dyſenteria, corporis vires exhauſtæ ſunt: corpus redditur cachecticum, tabidum, calor hecticus

accedit: ſuffocatio, mœſtitia, & dolores verſatiles per omnia membra: compeſcenda, ſi fieri poſſit, eſt alvus: dein frequenti injectione clyſmatis roborantis, applicatione roborantium ad ſtomachum, atque internis medicamentis aptis ad corpus roborandum.

Effuſione puris XI. Puris effuſio major ex ulcere vel abſceſſu omne corporis pabulum non modo conſumit, caloremque hecticum, cachexiam, inappetentiam & ſimilia producit, verum etiam frequentiſſime pulmones afficit, quare antipyicis pectoralia admiſcenda, quæ ſimul vires erigunt.

In Hydropicis. XII. Si nimis cito aqua hydropicis educatur, vaſa ſanguinea, ſuſtentaculo orbata, nimis magnam in ſe recipiunt quantitatem ſanguinis, reliquum corpus eo privatum maxime debilitatur; nullis medicamentis refocillatur, cingulo autem venter ſuſtentatus ſummum præbet cardiacum. Verum ſi poſt aquam eductam per purgantia aut diuretica corpus debile ſit; ſtomachicis amaris calefacientibus, vinoſis, atque roborantibus vires reſtituendæ. Abſtineat æger, quantum fieri poteſt, a potu; ſi autem ſitim ferre nequeat, ea fallenda, aqua frigida, acidula, ſpiritu vitrioli, ſulphuris per campanam, fruſtulo ſalis prunellæ, tamarindis, taleola limonis in ore retinenda, & maſticanda, non vero deglutienda.

Lactatione. XIII. Nutrix, quamdiu appetitus viget, non debilitatur imo ſæpe pingueſcit; & ſi cachexia laboravit, ſæpe curatur: verum quoties appetitus perit, ſumma debilitas exoritur non niſi ablactatione reſtituenda: ſi vero remaneat debilitas, ut plurimum facile ſtomachicis roborantibus curatur.

Diabetes. XIV. Si urinæ ſubdulcis profluvio, Diabetes dicto, vires deteruntur, quod plerumque ex dentitione, febre intermittente, & abuſu diureticorum provenit, ſitim inexſtinguibilem patiuntur: purgantibus, calefacientibus, & roborantibus curatur.

Evacuatione. XV. Ut ab his, ita a reliquis evacuationibus debilitas generatur, ſicut a nimia ſalivatione, & vomitu, inſenſibili perſpiratione, & ſudore, quorum cognitio & curatio ex antecedentibus prompta.

Defectu alimenti. XVI. Quin & ea, quæ anorexiam, Cizzam, malaciam, inediam rigidiſſimam, omnemque defectum alimentorum inſequitur, indicat morbis his curatis, corpus alimentis ex infirmiſſima materia, partitis vicibus ingerendis, implendum, eorumque ſubactionem & digeſtionem ſtomachicis ulterius promovendam.

Inertia ſolidorum & viſciditas. XVII. E laxato tono ſolidorum, ſeu inertia, humores minus præparati ſi abeant in viſciditatem, quemadmodum in rachitide infantum, imbecillitate chronica ſenum, leucophlegmatia, principio ſcorbuti, & ſimilibus morbis, diuturna fieri ſolet debilitas cum anhelatione ad minimum motum, gravitate corporis, & decumbendi amore, tumore pedum vel etiam manuum atque ſub oculis. Viſciditas reſolvenda, ſolida leniter ſtimulanda, corporis moderata uſurpanda exercitatio cum frictionibus frequentibus; tum uſu roborantium calidorum ſæpe ſuperatur.

Cum ſcorbuto. XVIII. Quæ pituita ſi ſimul acquirat ſcorbuticam acrimoniam, quod his in regionibus frequens, ex fœtore oris, gingivis luridis, dentium vacillatione, maculis lividis per cutim diſperſis, præcedentibus junctis recognoſcendum: magis tunc languent quam ægrotant; & multo labore videntur delaſſati; quadam phlogoſi, & paralytica affectione ſæpe tentantur, doloribuſque vagis. His præter alia, quædam quoque antiſcorbutica exhibenda ſunt.

Ex adverſa valetudine defectu ſpirituum. XIX. Quæ autem debilitas poſt longos morbos remanet, ſpirituum defectum arguere videtur, adeo ut inde priſtinum vigorem recuperare haud poſſint: tales ſpirituoſis, aromaticis leniter ſtimulantibus, gratiſſimis, excitandi; interim corpus roborandum iiſdem atque calidis roborantibus. Quibus etiam ſummopere adjuvatur ſenex ex infirmitate decumbens.

Ex tono ſolidorum debilitato, cum tenui acri humore. XX. In hyſtericis, hypochondriacis, valetudinariis, ſcorbuticis, morbiſque chronicis & acutis, evacuationibuſque quibuſcunque diu vexatis, quædam reſtare ſolet debilitas, quæ fluxionibus humoris acris, doloribus vagis cum quadam horripilatione,

tione, aliisque Symptomatibus ab humore tenui & acri, & inanibus spasmodicis convulsionibus, doloribus lumborum & præcordiorum, stipata est, difficillime curatur. Utcunque tamen juvatur lenibus aromaticis calidis, roborantibus pauxillo anodyno mistis.

XXI. In validis inflammationibus, febribus ardentibus continuis inflammatoriis, ob materiam gelatinosam in lentorem conversam; ut plurimum vires deficiunt, quæ frustra tentantur volatilibus relevari: aquosis vero reficientibus, saponaceis acidis vires recuperantur. Qualia etiam valent in febribus putridis, & quæ ab erysipelate nascuntur. *In Febre continua.*

XXII. Febrium intermittentium paroxysmi validiores sæpe ita supprimunt vires, ut inde homo decumbat: nullo quod scio medicamento præveniendum, nisi larga dosi antidoti inter paroxysmos data. *Febre intermittente.*

XXIII. Quandoque vel febre continua vel intermittente corpora debilitata in maniam seu insipientiam incidunt, præprimis evacuationes naturales vel artificiales passa, eam insipientiam cardiacis roborantibus, aromaticis, cum cortice peruviano, atque cibo facilis digestionis feliciter sanavimus, monente Sydenhamo. *Post febres.*

XXIV. Si vero ex horrore, rigoreque superveniente, aliisque signis absessus, cognoscamus puris abundantia vires languere, omni ope nitendum corpus muniatur contra ejus infectionem, & id corruptum expellatur, viribus quodammodo stimulatis. *Suppuratione.*

XXV. Quum in sphacelum abierunt humores, quod ex rigore, linguæ nigredine, frigore corporis, facie Hippocratica, oculis conniventibus, pulsu exili, sudore frigido circa collum & miliiformi, evacuationibus olentibus, viribus detritis, decubitu in dorsum, & similibus notis cognoscimus, vix aliqua spes remanet; in cardiacis gratis refocillantibus auxilium quærendum. *Sphacelo.*

XXVI. Qui præcedentia intelligit, prompte ad hæc respondere poterit. *Quæstiones.*

1. Cur Practici in febribus continuis post longas debilitates ortis vetant V. S.
2. An debeamus enemata injicere debilitatis ex febribus, quemadmodum multi faciunt?
3. Cur senes ex febribus languentes, decubitu cum juvene vegeto, vires recuperant, & applicatione dissectorum animalium viventium.
4. Quomodo purgantia per alvum vires erigere valent; & in quo casu?
5. Quando evacuationes copiosiores vires erigunt, & quando extinguunt?
6. An non refrigerantia inter Cardiaca numeranda?
7. Cur valetudinariis frequens tumor pendentium?
8. Quid rachitis senum?
9. Quid Phthisis nervosa? & quomodo curanda?
10. Cur ex tabe nervosa sæpe phthisis vera ante mortem?
11. Num omnis mania venæ sectione & purgantibus aggredienda?

TRACTATUS VICESIMUS QUARTUS

De Paralysi seu Resolutione.

I. INtegra & laxa musculi immobilitas paralysis dicitur: quæ, si partem singularem apprehendit, particularis, paralysis vocatur. *Definitio.*

Si dimidium corporis, ἡμιπληγία. *Differentiæ.*

Si totum, excepto capite, παραπληγία.

Si sensus & motus perit ἀναισθησία, quamvis hæc quoque paralysis dicatur, ad sensum tamen pertinet.

Remissior laxatio, in qua aliquis adhuc motus supersest, ut in debilibus, πάρεσις: atque νάρκωσις, stupor, hebetudo, ad sensum pertinens, & motus impotentia præ rigiditate vel dolore; ipsaque apoplexia quandoque ad paralysin ab auctoribus referuntur, unde maxima confusio.

II. Mu-

Paralyſis cauſæ.

II. Muſculus triplici modo fit paralyticus. 1. intercepto influxu ſpirituum. 2. Nimia relaxatione fibrarum. 3. Sanguinis influxu in muſculum impedito.

Cerebri compreſſio.

III. In ipſo cerebro cauſæ multæ ſunt, ut Epilepſiæ, convulſionis, apoplexiæ, comatis, & lethargi, cauſæ omnes cerebrum comprimentes in quadam parte; præterea ſerum, lympha, abſceſſus, ſanguis effuſus, vel in aneuriſmate aut varice collectus, lapis, cranii vulnera, fracturæ, cerebri concuſſio, metaſtaſis morboſorum humorum, in urinæ ſuppreſſione, podagræ recurſu; evacuationes ſuppreſſæ caput verſus delatæ; plethora cum vertigine prægreſſa; quo & mercurii & vini abuſus, quod caput petant, referri poſſunt.

Curatio.

IV. Hæc compreſſio, ſi poſſibile, tollenda: ſublata fuit evacuatione per aures & nares, atque alvum, ideoque eo derivandum ſerum medicamentis purgantibus; ſanguis effuſus & plethora venæ ſectione & alvi ductione avertendus: ex mercurii abuſu decoctis ſudoriferis abigenda.

Compreſſione nervi.

V. Medullæ oblongatæ, & ſpinalis, atque nervorum compreſſio externa, in luxatione, fractura, exoſtoſi, præprimis vertebrarum; tumores duri ſcirrhoſi, callus, calculus, nervos comprimentia, ligaturæ arctæ, pondus incumbens, tollenda ſi fieri poſſit, & ſcirrhus reſolvendus aut extirpandus.

Tunicæ & humoris inter fibrillas, accumulatione.

VI. Tunicæ nervorum tumores, accumulatio & inſpiſſatio humoris fibrillas humectantis, nunc fibrillas comprimentis, ut reliqui tumores & viſciditates curanda.

Humorum mutata indole.

VII. Tanta humorum quandoque viſciditas & mutata indoles eſt, ut ſpirituum inde proveniat defectus, ut in ſcorbuticis, lue venerea infectis, narcoticorum abuſu, temperamentis pituitoſis, ex natatione in aqua frigida, ingurgitatione frigidæ potionis, decubitu ſuper lapide frigido, in aere frigidiſſimo, præprimis poſt calorem, cacochymicis, melancholicis, leucophlegmaticis, omnique nimia humorum viſciditate chronica.

Laxitate ſolidorum.

VIII. Quo etiam pertinet ſolidorum nimia laxitas: ut in valetudinariis; a morbis reſurgentibus; ſenectute; puerili ætate; hyſtericis, hypochondriacis; poſt dolores diuturnos; febrem longam, ſi corpora ſtriata ſint minus firma, inſtar amurcæ diſcolorata, ſtriis multum obliteratis; a nimio veneris uſu; vini ingurgitatione; ſanguinis evacuationibus copioſioribus; habitatione in locis humidis ſubterraneis, in ædibus calce recenter obductis, frequenti tractatione mercurii; calore maximo; vapore arſenici, antimonii, & ſimilium venenorum; omnis vigor fibrarum ſæpe perit.

Paralyſis genera.

IX. Quamvis ab his cauſis perfecta quandoque generetur paralyſis, alia quoque genera minus perfecta obſervantur.

Si enim integre obſtruatur nervus ad partem tendens, & ſenſus, & motus perit, cum partis frigiditate.

Si autem fibrillæ ſentientes nervoſæ, & motui animali deſtinatæ, obſtruantur; vel ſpiritus non recipiant; perit motus & ſenſus, manet autem calor partis.

Fibris motoriis vitalis & animalis functionis obturatis, ſolus ſenſus, ſed ſtupidus, remanet in parte.

Fibræ vitalis functionis & ſentientes ſi ſint obſtructæ, motus voluntarius languidus in parte frigida ſtupida remanet.

Quæ fibræ ſolitariæ obturatæ, ſolum ſenſum, motum vitalem, aut animalem tollere valent.

Minus perfecta paralyſis. Scelotyrbe.

X. Si vero perfecta obſtructio non habeatur, aut aliquis adhuc remaneat ſpirituum influxus; tremor, narcoſis, pareſis generatur & σκελοτύρβη, quæ adeſſe dicitur, quum jacentes pedes utcumque movere poſſint, &, qui pridie pedem vix loco movere poterat, cruribus inſiſtat, &, levi adminiculo innixus, ambulet, paulo poſt vero omni motu privetur; paulatim invadit, antequam ſedem figit, ſcorbuticis poſt magnas evacuationes & longam valetudinem frequens. *Beriberi* autem ab incolis Indiæ Orientalis dictum, a præcedenti parum diſtat. Acquiritur ſæpe, ſi æſtu fatigati potum frigidum bibunt avidius, decumbantve

in

in aere nocturno humido & frigido, motus & ſenſus extremorum hebeſcit cum quadam titillatione, imo quandoque vox ipſa.

XI. Hæc quoque materia nervos obſtruens cordis, reſpirationis, organorum chylificationis, deglutitionis & ſimilium partium, ut plurimum mortis nuntium, ut & illa paralyſis, quæ faciei muſculos invadit, quia in cerebro tunc ejus cauſa. *Functionis vitalis. Muſculi faciei.*

XII. Talis viſciditas reſolvenda: in Topicis obſervandum, applicentur iſti loco, ubi hæret cauſa obſtruens, quod ex anatomicis, & inprimis tabulis nervorum Raymundi Vieuſſens petitur. *Curatio viſciditatis.*

XIII. Si hæreat viſcidi copia in ventriculo, vomitorio, quod ſuo motu etiam diſſolvet, evacuanda. *In ſtomacho.*

XIV. In inteſtinis vero & vaſis lacteis hærens, per alvum ducendum glutinoſum. *Inteſtinis.*

XV. Verum maſſa ſanguinis viſcido imprægnata, vel diureticis vel ſudoriferis, id expellendum, imo accenſo alcohole artificialis ſudor excitatus multum prodeſt. *In Sanguine.*

XVI. Veſicatoriis quoque, cucurbitulis, frictionibus cum quibuſdam ſtimulantibus panniſque aſperis, fumo aromatico imprægnatis, atque fomentis penetrantibus, ſuffumigiis volatilibus, atque ſimilibus emplaſtris, epithematibus & ſternutatoriis ſimilibuſque ſtimulantibus internis exhibitis, ſolvitur & expellitur ſæpe viſcidum obſtruens, paralyſin inducens. *Veſicatoriis, ſtimulantibus.*

XVII. Ex laxato ſolidorum tono paralyſis, aut ejus ſpecies Beriberi dicta, nata in India, frictionibus ſtimulantibus, & roborantibus, corporiſque exercitatione, & decoctis ſudoriferis, præprimis in his regionibus ſi exhibeantur ſimul roborantia, ſuperatur. *Laxitatis curatio.*

XVIII. In morbis acutis, vel quod tanta fiat ſanguinis inſpiſſatio, ut inde defectus fiat ſpirituum; aut ob inflammatam partem, vel nervus vel arteria in aliquam partem vadens comprimatur: ſola venæ ſectione, & antiphlogiſticis reſolvenda. *Ex acuto morbo.*

XIX. Si ab oppreſſione arteriæ partis producitur paralyſis, cum iſtius aridura & frigore conjuncta eſt & pallore. *Arteria obſtructa.*

XX. Ex perverſa indole humorum, ſolidorumque laxitate in ſcorbuto, paralyſis genus, quod ſcelotyrbe vocatur, poſt motum quendam convulſivum, vel colicum dolorem veniens, antiſcorbuticis curatur. *Ex ſcorbuto.*

XXI. Intelligimus inde *Quæſtiones.*

1. Cur ex colica pictonum pertinaci, cum arida lingua, & ſiti, æſtuque totius corporis, paralyſis antiphlogiſticis curanda?

2. Quid indicat paralyſis cum aridura?

3. Cur in pectoris hydrope, & tumoribus œdematoſis glandularum, ſæpe paralyſis, & quibus curanda?

4. Cur ex apoplexia aliiſque morbis capitis periculoſiſſima & difficilis curatu paralyſis?

5. Quomodo ex lochiis nimis profluentibus, aliiſque evacuationibus quandoque paralyſis?

6. Cur hyeme, & in ſenibus difficilior curatio?

7. Cur nervo ligato & frigus, & inſenſibilitas, & paralyſis?

8. Cur ab arteria compreſſa vel ligata ſenſim inducitur paralyſis cum partis extenuatione, ea vero liberata, cum ſenſu punctionis lente redit motus?

9. Cur membri paralytici pallor, aridura, inſenſibilitas, frigus, majus periculum portendunt?

10. Cur in quibuſdam pulſus ſanus, vel languidus, vel nullus?

11. An omni paralyſi, vel febris, vel tremor, vel diarrhœa ſuperveniens ſolutionem indicat?

12. Quæ paralyſis urina multa acervatim prodeunte, ſudoribuſque copioſis curatur? & ſudor copioſus, exolutis viribus, malum?

13. Cur cum oculo minuto difficilem indicat curationem?

14. An

14. An nunquam v. ſ. refrigerantibus, & humectantibus paralyſis curanda?

TRACTATUS VICESIMUS QUINTUS.

De motu & oſcillatione Solidorum Majore.

I. SI motus vitalis in fibris celerior peragitur, aut violentius, multi inde proveniunt morbi.

Cauſæ. II. Oritur id, ſi cauſa ſolida mechanica fibras agitat, ut omnes frictiones.

2. Acria ſtimulantia quævis applicata.

3. Solida ſenſibilia tegumento orbata, ſive ſit mucus, ſive epidermis, ab omni attactu vehementius oſcillant.

4. Fluxus humoris moventis in partem vehementior.

Effectus. III. Talis oſcillatio major alterne magis premit liquores, adjacentes propellit, locum fluxuro relinquit, affluunt humores copioſius; pellitur liquor craſſior in vaſa anguſtiora; ea implet; ſi vaſcula non ſatis robuſta, ea rumpit; humores viſcidos diſſolvit; compingendos magis denſat, firmat.

Curatio. IV. Sedatur hic motus major omnibus refrigerantibus applicatis & exhibitis; anodynis, narcoticis, nitroſis, terra catechu, ſuccis acidis ſaponaceis, humectantibus, laxantibus, eductione humorum ſine ſtimulo.

V. Unde cognoſcimus

Quæſtiones. 1. Cur epiſpaſtica, rubefacientia, frictiones, tumorem conciliant parti?

2. Quare ab his rubedo partis?

3. Quomodo frictiones & ſtimulantia diſcutiunt?

4. Quomodo tumor inflammatorius ab iiſdem augetur?

5. Quare quoſdam reſolvit, alios vero condenſat tumores?

6. Quomodo derivationes ab hac cauſa fiunt?

7. Cur tumores frigidi œdematoſi, frictionibus & oſcillationem augentibus, diſparent?

8. An omnes obſtructiones frictionibus & reliquis ſtimulantibus reſerandæ?

9. Quomodo corpora ſtimulata calent?

10. An omne acre una cum dolore oſcillationem auget? contrarium invenitur in doloribus quibuſdam a fluxionibus frigidis dictis.

11. An cauſa inflammationis nequit eſſe ſola oſcillatio major in quadam parte, & febris ardentis per omnes arterias ſimul.

12. Cur nervus ſauciatus ſecundum ejus curſum & maxime circa ganglia inflammationem proritat?

13. Cur pars ſtimulata circumquaque ruborem & tumorem excitat, non vero juxta curſum arteriæ iſtius partis?

14. Quomodo reſolventia inflammationem reſolvunt, quæ ad materiem obſtruentem, ob antecedentem liquorem in obſtructo canali hærentem, venire nequeunt.

TRACTATUS VICESIMUS SEXTUS.

De mobilitate Solidorum.

Deſcriptio & Synonyma. I. CORpora talia, quæ a tam parva cauſa, qua ſanum non afficeretur, ita mutantur, ut recedant a ſanitate, miroſque motus producant, irritabilia & tenera dicuntur; ab aliis quoque ataxia, & ſpirituum orgaſmus dicitur, quandoque criſpatio & oſcillatio vehementior.

Cauſæ. II. Talis ſtatus obſervatur:

1. In tenella ætate:

2. Corpore valetudinario, maxime poſt profuſiores evacuationes, morbos diu toleratos, animi curam & pathemata.

3. Se-

3. Sexu ſequiore, menſium profluvio præprimis, & emenſione laborante:
4. Corpore tenui & acri humore ſcatente:
5. Aut ſi partes tegumentis ſuis orbatæ ſunt:
6. Idioſyncraſia.

III. Afficiuntur illi Syncope; capitiſque dolore; morbis a fluxionibus & deſtillationibus, flatibus & murmuribus inteſtinorum; dolore lumborum; viſcerum tenſione; alvo ſicca, & ſæpe tympanitide; inſultu epileptico; vertigine; aurium tinnitu; aſcenſu veluti molis ex imo ventre gulam verſus, commotione in hypochondrio vel dextro vel ſiniſtro, quaſi ab animali vel fœtu commovente; cordis palpitatione; præcordiorum anxietate ex minima cauſa, imo ex animi pathemate accedunt; odore vel motu non conſueto animi deliquium patiuntur; dolores & frigus lumbos ſæpe infeſtant; paſſioni hyſtericæ & hypochondriacæ ſæpe obnoxii; a minimo Medicamento vel vomitorio vel purgante tota corporis œconomia ſæpe turbatur? ſiſtitur ſæpe urina & alvus ſine manifeſta cauſa; aeris mutationem quandoque experiuntur; urina vel tenuis pellucida, vel craſſa cruda. *Effectus.*

IV. In Curatione attendendum omnia evacuantia intendere malum: *Monita.*
Reſolventibus & attenuantibus exaſperari:
Ferrum in principio nimis magnas turbationes inducere:
Volatilia quæcunque & acria, paulo majori doſi exhibita, ſæpe convulſiones inducere:
Laxantia & anodyna mitigare vel ſopire, nunquam vero perfectam curationem abſolvere:

V. Adeoque ſi occurrat, anodyno e ſpirituoſis & aromaticis gratis compeſcenda ſymptomata. Dein aromaticis adſtringentibus calidis chalybeatis, parca doſi in principio, poſtea majori, roborandum; excellunt Caſtoreum, viſcus querinus, theriaca, pulvis gutteta, ungula alcis, Pæonia, gumni aromatica, Cortex peruvianus, ſal polycreſtum.

VI. Intelligitur. 1. cur lac & oleum molle ſæpe curat ſtranguriam, & teneſmum?
2. Cur ſindone pars combuſta, ſi epidermis ſublata ſit, aut in intertrigine, vel excoriatione, denudata ſit, tegenda prius?
3. Cur in fine dyſenteriæ teneſmus?
4. Unde flatus & murmur ex animi quibuſdam pathematibus?
5. Unde ventris dolores & tumores abeuntes & redeuntes?
6. Cur & quibus a pedibus frigidis colica paſſio?
7. Unde & in quibus ructus copioſi ſine multo levamine?
8. An Mucilago abraſa, vel acrior facta in cavo arteriarum, validam faciat circulationem & febrem?
9. An ſedimentum in urina febris ab hac mucilagine abraſa?
10. An integumenta cerebri & nervorum ſi ſeparant humorem glutinoſum acriorem, aut tenuiorem, fluxiones aut catarrhos generant?
11. An mirabiles catarrhi metaſtaſes ex directione nervorum?
12. Cur fluxiones præprimis originem habent a cerebro, & decurrunt per ſpinalem Medullam cum frigoris ſenſu?
13. An non eodem modo liquor lubricans vaſa arterioſa ut ille, qui lubricat inteſtina, vias urinæ, aſperam arteriam, & qui ex tota membrana Schneyderiana ſecernitur, vitiari poteſt?

TRACTATUS VICESIMUS SEPTIMUS.

De Singultu.

I. EST ſubita momentanea diaphragmatis convulſio involuntaria, dum larynx ſimul ſtringitur, aeris introitum in pulmones hoc tempore intercipiens: tenduntur enim præcordia ſubito a diaphragmatis contractione deorſum, ut in ſu- *Definitio.*

bita voluntaria inſpiratione verum non ingreditur aer laryngem, niſi parum admodum cum ſono quodam.

1. Ex humore in ventriculo.

II. Oritur 1. ab aſſumptione antimonii diaphoretici, nimia ingurgitatione, corruptione alimentorum in ventriculo, acrium deglutitione & venenorum multorum: vel congeſtione putridorum bilioſorum, pituitoſorum, humorum & aliorum in ventriculo, atque vermibus vellicantibus; qui dato vomitorio ſedatur: maxime ſi inſuper paregoricum exhibeatur: quibus etiam flatus ab hac cauſa nati diſcutiuntur.

2. Abraſione mucilaginis.

III. Si a vomitus violentia, deglutitione aſperi & durioris, mucus ſit abraſus; deglutitione oleoſi blandi & mucilaginoſi cujuſvis compeſcitur.

3. Evacuatione copioſiore.

IV. Si poſt nimium vomitum, diarrhœam, cœliacam paſſionem, ſanguinis profuſionem, flatuſque ex inani ſolidorum criſpatione oriatur, ſtomachica, carminantia, anodyna, antiſpaſmodica opitulantur: Auctores dicunt in hoc caſu, cucurbitulas ventri appoſitas miraculi inſtar curare.

4. Acre in inteſtinis.

V. Humor autem ſi ſit rodens in inteſtinis contentus, prius educendus purgante, præprimis anodyno miſto; dein anodyno compeſcendus tumultus.

5. Viſcorum inſl. & Eryſipelate.

VI. Verum ſingultus ex *Eryſipelate* ventriculi & inteſtinorum, vel febre acuta materiam in ſtomachum præprimis deponente, quod ex anxietate, dolore præcordiorum & ventris, æſtu atque ſiti dignoſcimus, hæc febris *Typhos* vocatur & ſingultum excitans λυγγώδης, curatur tunc febris ardens & ventriculi inflammatio, antiphlogiſticis, ceſſavit inde ſingultus.

6. Poſt intermittentem.

VII. Quandoque febris intermittens ſingultum produxit, qui, ſi remaneat curata febre, & ſponte non cedit, cortice peruviano abigendus.

7. Hepate affecto.

VIII. Ex hepatis parte gibba præprimis inflammata, quod ex dextri hypochondrii tumore, & pulſu, calore flavo corporis, ceteriſque hepatidis ſignis cognoſcimus, ut hepatitis curandus.

8. Preſſione cartilaginis.

IX. Si vero coſta aut xiphoides cartilago ſtomachum premendo ſingultum generavit, reſtitutione chirurgi manu facta ſanatur.

9. Cerebro affecto.

X. Ex cerebri plaga, & inflammatione peſſimus ſupervenit ſingultus, compeſcitur utcunque anodynis, ſed, primaria cauſa ſublata, penitus ceſſat.

10. Quæſtiones.

XI. Intelligimus hinc quæ alias obſcura ſunt.

1. Cur ex pulſu hypochondriorum in acutis peſſimus ſingultus.

2. Cur ſi ardentibus morbus regius ſuperveniat & ſingultus quinto die valde malum?

3. Cur ſingultus prope ſtrangulat in hepaticis?

4. Cur dyſentericis ſingultus cum difficili deglutitione, & inflammatio linguæ lethale?

5. Cur ab ileo vel volvulo ſingultus fere ſemper necat?

6. Cur a vomitu cum oculis rubicundis valde malum, & delirium in eo lethale?

7. Cur in laborioſa febre peſſimus; in pleuritide 7° die mors, cum refrigeratione in acutis valde malus, cum vocis interceptione peſſimus?

8. Cur herniоſis febre acuta laborantibus mortem præ foribus oſtendat?

9. Quibus affectiones ardentes, fatuitatem inducentes, præcordia variantia, & ventris tumor, cibis interceptis in ſudoribus, num his turbidus ſpiritus, & genituræ ſimile quid ſuperveniens ſingultum indicat?

10. An ulla Medicamenta inveniuntur omnem ſingultum compeſcentia?

11. Num ſingultus tantum ab inanitione & repletione?

12. An convulſio œſophagi vel ventriculi ſingultum faciat?

13. An ſingultus a flatuum exploſione?

14. An ex materiæ tranſplantatione ex œſophago in Membranam Schneiderianam, ſi ſingultus ſternutatione ſolvatur?

TRA-

TRACTATUS VICESIMUS OCTAVUS.

De palpitatione & tremore Cordis aliarumque partium.

I. SI Cor moveatur alio quodam motu, quam ſolet fieri in pulſatione naturali, palpitatio dicitur: ille ſi violentior, ſed debilior & contremiſcens, tremor appellatur; quod etiam in aliis obtinet partibus, ubi & palpitatio & pulſatio audit. *Definitio.*

II. Cauſa hujus 1. vel latet in ſolidis, 2. in fluidis, vel 3. per conſenſum fit. *Cauſæ.*

III. Omnes cauſæ organicæ, quæ liberum fluxum ex corde & per cor intercipiunt, cordis oſſificatio, callus, cor pericardio adnatum, carnis excreſcentia, calculus, pericardii tumores duri, ſcirrhoſi, aortæ & arteriæ pulmonalis callus, oſſificatio, aneuriſmata. Quo refertur polypus cordis & in ejus vaſis; cordis palpitationem inducunt diuturnam, tota ſæpe vita a minimo motu ſanguinis aliquantulum aucto maxime adauctam, cum pulſu intermittente & debili; atque ſuffocata reſpiratione: cordis motus ſæpe audiri poteſt, & facile percipi, nullam admittit medelam, in otio debent degere & quiete, ne ſubito ſuffocentur. *Organica cauſa.*

IV. Verum ſi oriatur a cordis, arteriæ magnæ, vel pulmonalis, aut pericardii inflammatione, ex anxietate ceteriſque notis inflammationis cognoſcenda, & ut talis curanda. *Ab inflammatione & Erysipelate.*

V. Nimia autem nervoſi ſtaminis mobilitas ut in hyſtericis & hypochondriacis, aut quæ fiunt ex animi pathemate, ſubitanea evigilatione, chloroſi, menſium emanſione laborantibus, ex ſignis his morbis propriis dignoſcuntur. *Mobilitate.*

Curatur in ipſo paroxyſmo, ut dictum in mobilitate, poſtea corpus roborandum; cortex citri, meliſſa, C. C. & cephalica in hoc genere excellunt.

VI. Quandoque vermes in pericardio geniti cor vellicantes, palpitationem, tremorem, & cordis anxietatem pariunt; qui applicatione cataplaſmatis amari & acidi abigendi. *A vermibus.*

VII. Quandoque ſanguis eſt tam craſſus, ut difficulter per extrema arteriarum poſſit trajici, ex hac craſſitie, ſi ſit phlogiſtica, quod in acutis, ardentibus, inflammationibuſque cognoſcitur, periculoſiſſima palpitatio provenit, medicamentis antiphlogiſticis curanda. *Craſſitie ſanguinis phlogiſtica.*

Palpitantes per totum, num etiam voce intercepta moriuntur? Hipp. *Interrogata.*

Palpitationes in manibus, diuturnæ febris ſignum ſunt, aut brevis judicationis in deterius, & in his pleraque quæ ad mortem tendunt. Hipp.

Palpitationes circa ſpinam dorſi in infantibus cur periculoſiſſimæ, & ut plurimum mortis nuntium?

VIII. Si vero viſciditas ſit, impletio œdematoſa, frigus, tarditas, imbecillitas & ſimilia adſunt: Medicamentis reſolvenda viſciditas. *Viſcida.*

IX. Palpitat quoque cor ab humore acri ſi irritetur, ut in lue venerea, ſcorbuto, arthritide retropulſa, vel materia adhuc in corpore oberrante, humoris acris cujuſcunque metaſtaſi ad interiora; quæ ex notis horum morborum dignoſcenda & curanda. *Ab acrimonia.*

X. Ita quoque palpitatio periodum febris intermittentis ſimulans cortice peruviano abigitur. *Ex febri intermittente.*

XI. In defectu virium, & copioſioribus evacuationibus, ex inedia rigidiſſima, & palpitationes & tremores cordis nata ſunt, quæ cibo facilis digeſtionis & roborantibus tolluntur. *Ex defectu humorum.*

XII. Sæpe quoque ex conſenſu cor palpitat: ut a ſero in ventriculis cerebri, doloreque capitis ingenti, phrenitide & ſimilibus, quæ originem nervorum lædere poſſunt; ſed & quoque aliorum viſcerum dolores fortes & inflammationes, hæmorrhagia ſuperveniente ſublata, productæ ſunt. *Ex Conſenſu.*

XIII. Omnes ſuffocatæ evacuationes produxerunt palpitationes, in principio alvi ductione & venæ ſectione tollendas; poſtea vero acquiſita putredine, ut tales morbi, curandas. *Copia humorum.*

Gangræna. XIV. Omnium periculoſiſſima palpitatio fit in acutis, jam viribus exhauſtis & in gangrænam tendentibus.

Quæſtiones. XV. 1. An cor palpitat a flatibus in eo concluſis? vel efferveſcentia?
2. Num laudata medicamenta omnem palpitationem curare valent?
3. Quæ palpitationes curabiles, quæ vero nullis auſcultant medicamentis?
4. An animi pathemata non valeant cordis motum turbare?
5. Quænam palpitationes anodynis & roborantibus atque ſpirituoſis curantur?
6. Quæ venæ ſectione & refrigerantibus?

TRACTATUS VICESIMUS NONUS.

De Horrore & Rigore.

Definitio. I. QUoties levis concuſſio corporis fit, cum quodam frigoris ſenſu, & aliquali rigiditate, *Horror* dicitur, ſi externa tantum afficit; ſed ſi interna ſimul cum quodam dolore, *Rigor* appellatur, eſtque veluti vehementior horror.

Cauſæ. II. Qui excitantur quoties aliquid ingratum applicetur nervis, ſit calidum, ſit frigidum, ſit acre quodvis, imo & ab animi pathemate & nimia evacuatione.

Prognoſis. III. Pro natura horum horror & rigor facilem difficilemve prognoſin præbet.

In ſcorbuto & cacochymia. IV. Horrores enim varii, vagi, ſine ſubſequente calore, vel quandoque levi incaleſcentia eryſipelatoſa, urina cruda, ceteriſque cruditatis ſignis, infeſtant ſcorbuticos; ex quibus non multum periculi exſpectandum, frequentia horum copiam crudorum humorum indicat.

Curatio. V. Superantur antiſcorbuticorum & calefacientium frequenti uſu, dein leni expulſione ſudoris, ſeu potius diaphoreticis, præparata materies eliminanda.

Ex prohibita perſpiratione. Quali etiam methodo ille curatur, qui ex prohibita perſpiratione provenit, ob auram frigidiuſculam, vel ventum frigidiorem, & aeris humiditatem.

Evacuatione. VI. Quævis humorum evacuatio copioſior & ſanguinis, ſit per alvum, veſicam, cutim, locaque artificialia, horrorem inducunt; vel quod vaſis non ſatis diſtentis frigus generetur moleſtum; vel quod inde humores aliquam ſuſceperunt ſpontaneam corruptionem: hi non valde timendi, curantur facile iis, quæ defectum humorum reſtituunt; eodem modo etiam fiunt ex defectu alimentorum in inedia, fame &c. & curantur.

Poſt evacuationem in acutis. VII. Verum in morbis acutis qui has ſequuntur evacuationes, quia notant criticas non fuiſſe evacuationes, & aliquid de materia morbi reſtare in corpore, viribus nunc magis his evacuationibus exhauſtis, valde timendi: omni tum ope nitendum, medicamentis cardiacis & roborantibus ægri erigantur vires, & evacuationes compeſcantur.

Ex copia. VIII. Qui horrores ex plethora, menſium & lochiorum atque ſolitæ evacuationis ſuppreſſione, & ingeſtorum abundantia, proveniunt, non multum periculi in principio portendunt, minuta enim abundantia brevi ceſſant: ſed ex iis corruptio nata cacochymiæ prognoſin & curationem exigit. Si vero humor alienus corpori retentus, ſit urina, ſit ſtercus, aut inſenſibilis perſpirationis materia, & denique humores morboſi, multa mala portendunt, & ſua quantitate & qualitate.

In acutis. IX. In morbis acutis venientes varias præbent prædictiones.

Principio. Qui fiunt in principio invaſionis phrenitidis, pleuritidis, peripneumoniæ, nephritidis, febriſque ardentis, ſi ſubſequatur calor major, inflammationis & eryſipelatis indicium præbent: cavendum tunc quam maxime, ne validioribus calefacientibus ingeſtis dimoveantur, nam ingens omnia deſtruens calor excitabitur, ſed potu largiori calido antiphlogiſtico compeſcendi.

Perdurans. X. Si autem nimis diu durat, continuoque vexat, vel ſæpe recurrat, vires corporis a morbi cauſa vinci indicat: unde ingens diſcrimen; inde horrifica ſeu

opi-

φρικώδης dicta, actu calidis corpori applicatis omni modo, frictionibusque, atque internis ſtimulantibus lenibus, abigenda.

In cruditate acutorum.

XI. In morbi cruditate ſemper mali, notant enim materiam morbi evacuationi ineptam irritare vires, & quia materiem excutere non valent, ipſæ ſuccumbunt, quod etiam eſt intelligendum ſexto aut alio die non critico ſi fiant, præprimis ſi non incaleſcunt ægri.

Effectus.

XII. Hæc tunc materia cruda commota, anxietatem, laborem, ſtuporem, Catochen, convulſionem, ſudatiunculas, debilitatem, ignorantiam, oblivium, capitis dolorem cum quadam exolutione, vocis interceptionem, laſſitudinem, ſoporem, parotides parvas, coma, ſimileſque humorum crudorum depoſitiones ad caput, aliaſque partes, periculoſiſſimas excitat: quum ſuperatæ vires inde depellere non valent materiem: aut ſuperata corporis vi, alvus liquida deponit ſine levamine, urinæque involuntarie dimittuntur: abceſſuſque ſymptomaticos excitat.

Criticus.

XIII. Verum ſi ſemel tantum fiat horror & rigor die critico, cum coctionis ſignis prægreſſis, qui minuit ſymptomata, & evacuationem producit, ſalutaris eſt.

Lethalis.

XIV. Sed continenter vexans, corpore jam debili, aut poſtea non incaleſcente, cum capitis & cervicis dolore, vociſque defectione, ac levi ſudore, in ſphacelum abire indicat, quo brevi pereunt.

Periodicus.

XV. Periodicus horror & rigor in continuis ſi oriatur, intermittentis naturam induiſſe indicat, minuſque periculoſam.

XVI. Intelligimus ergo.

1. Quid periodicus horror indicat?

2. Quid erraticus in acutis & chronicis indicat, cur ſemper longitudinem morbi præſagiat?

3. Cur urina oleoſa emiſſa ante rigorem prava?

4. Cur ille, qui evacuationem præcedit, bonus, qui autem ſequitur, pravus:

5. Cur horrores ex lumbis incipientes urinæ interceptionem doloroſam præſagiunt?

6. Cur illis, qui frequenter in acutis inhorreſcunt, ſæpe abſceſſus fiunt?

7. Cur illi, qui ſæpe perhorreſcunt ac multum ſudant, difficulter ſanantur?

8. Quomodo in acutis prædicuntur convulſiones ex urina membranacea cum horrore ſuppreſſa? ex affectionibus inſuper rigentibus; quæ ad noctem magis exacerbantur cum vigiliis, delirio in ſomnis, catoche, urinam involuntarie emittentes?

9. Cur cum laſſitudine, capitis gravitate, colli dolore in mulieribus, acuto morbo laborantibus, menſes extrudunt? & in viris hæmorrhagiam?

10. Cur rigor ſanguinis fluxum ſiſtit?

11. Cur ex lochiorum ſuppreſſione horror ſemper, a menſium emanſione vero ſæpe poſt aliquod tempus.

12. Cur horror & rigor in acutis debilitatis ita metuendi?

13. Cur phthiſici & cachectici ſæpe horrent?

14. Cur convulſio horrorem ſuperveniens in acutis interficit?

15. Cur urina ſputiformis, limoſa, & tenuis, horrorem præſagit?

16. Cur deambulatio matutina, & in vento, horrorem inducit?

17. An horrores & rigores a flatibus, ut Hipp.

18. An a bile & pituita ſanguini permiſtis, vel caloris innati reciproco motu; ut veteres?

TRA-

TRACTATUS TRIGESIMUS.

De Spaſmo ſeu Convulſione.

Definitio. I. NErvorum Diſtentio, ſeu invita tonica muſculorum fibrarumque contractio *ſpaſmus & convulſio* dicitur: vel alterna invita contractio (STUYPE) & cum mentis functionibus ſimul abolitis, novaque cum periodo redeuns, morbus comitialis, (DE VALLENDE ZIEKTE) appellatur: ſi alterne contrahuntur muſculi, convulſionem Clonicam; ſi vero contracti manent, convulſionem Tonicam vocant.

Diviſio Cauſarum. II. Cauſas horum in claſſes diſtinguere cognitionis & curationis poſtulat ratio.

1. Compreſſione cerebri. III. Si enim cerebrum comprimatur, ſeu ſcaturigo omnis motus, cum irritatione quadam, ut in phrenitide, cephalæa veternoſa, obſtupefactis, delirantibus, dolore capitis ingenti, ſopore, in acutis morbis & inflammatoriis, quibus animus ſæpe linquitur, cum levi ſideratione, urinæ reliquæque evacuationes ſiſtuntur, urinaque eſt clara, tenuis, pelliculoſa, aut præter conſuetudinem exeuns; feroces e ſomno excitationes; jactationes & inquietudines perpetuæ; oculi truces, caliginoſi, ſcintillantes; facies vultuoſa; parotides parvæ, & rubores pone aures; reliquaque omnia, quæ denſitatem phlogiſticam humorum, majoremque impetum ad caput indicant: hæ cauſæ periculoſiſſimas inducunt Convulſiones.

Critica ſolutio. IV. His ſi parotides ſuperveniunt ſatis magnæ, viribus adhuc conſtantibus; aut hæmorrhagia narium; in pueris præprimis variolæ; alvi fluxus copioſus; urina craſſa copioſa, hypoſtatica; circa ulcus tumor; menſiumque fluxus; aut hæmorrhoides; liberari ſolent.

Curatio. V. Curatio eo itaque dirigenda, hæc ut fiant; aut ſi obtineri nequeant, tamen venæ ſectione, alvi ductione, antiphlogiſticis, derivantibus, epiſpaſticis pedibus applicatis, abducendus impetus; motiones ſedandæ refrigerantibus, humectantibus, & nitroſis, omni forma applicatis & exhibitis.

2. Humore acri in capite. VI. Humor tenuis acer, ſanguis corruptus, ichor, pus, ſimileſque rodentes humores, intra Cranium, vel & in ipſius cerebri ventriculis collecti, ſæpe recurrentes convulſiones, motuſque convulſivos epilepticos produxere; evacuatione per aures, nares, fauceſque, imo fractura cranii, ejuſve perterebratione ablati, inexſpectatam ſanationem attulere, vix ulla arte imitandam, niſi ferro candente vertici impoſito, a quibuſdam Empiricis.

3. A ſolidis. VII. Nodi, tophi, exoſtoſes, mala cerebri craniive conformatio, ſinus venoſi cartilaginei, ex cauſa hæreditaria, vel connata, aut dein imaginatione matris in fœtu, difficili partu, præpoſtera & duriore obſtetricis pertractatione, vel diuturnioribus animi pathematibus, acquiſita, ut plurimum incurabilem morbum comitialem producunt.

4. Evacuatione largiore. VIII. Qui ſpaſmi, motuſque, convulſivi largiores ſequuntur evacuationes cujuſcumque humoris, ut ſanguinis in hæmorrhagiis omnibus, hæmorrhoidum, menſium, lochiorum, in fluxu hæmoptoico, diarrhœa & Dyſenteria cruenta; aut in vomitu, mictuque cruento, mali ſunt; certam tamen mortem non indicant: veluti etiam poſt omnes largiores evacuationes lactis, urinæ, fœcum, ſudoris, ſalivæ, puris ex majori abſceſſu, damnandi ſunt, & idem fere, ut longa valetudo, corpus exhauſtum eſſe indicant.

Curatio. IX. Bonorum humorum evacuatio ſtatim ſupprimenda, aliorum vero ſimul correctionis habenda eſt ratio. dein corporis vires (ut dictum eſt in Debilitate) reſtituendæ, humorum defectus ſupplendus, (ut dicetur): quibus acquiſitis ſponte ceſſabunt ſpaſmi. Verum poſt longas ægritudines, ſine notabili acrimonia humorum, quæ alias eſt corrigenda, roborantium uſu ſuperantur.

X. Ex

X. Ex partium conſenſu totum ſæpe convellitur corpus, & alia ſæpe pars, quam in qua latet convulſionis cauſa. Quemadmodum in dentitione infantum, calculo renum, Doloribuſque atrociſſimis lumborum, (qui peſſimi, ſi caput petant,) ſtomachi, ventriculi, inteſtini tenuioris, cervicis, colli, faucium, cubiti, præcordiorum, convulſiones excitantur, quæ pro natura cauſæ varia præbent præſagia; a vulnere enim harum partium, aut ſauciato nervo vel tendine, ſæpe mortis indicia; illa pernicioſa quoque eſt febris, quæ vel levi vulneri ſupervenit, vel ultra tempus inflammationis durat, vel delirium movet, vel ſi nervorum rigorem aut diſtentionem, quæ ex vulnere orta eſt, ea non finit. Sanies, ſanguis in utero, aliiſque partibus detenta; acre ichoroſum, cancroſum, ſcorbuticum; humor ſtagnans a punctura nervi intra fibrillas, vellicans; illiſque acria applicata, aut turundæ duriores inditæ ſauciatis; lumbrici vellicantes; vomitus, tuſſis, ſingultus, totum ſæpe corpus in conſenſum movent. *5. Conſenſu.*

XI. In toto hoc genere pars affecta præſentit ut plurimum commotionem, demum aura veluti ſurſum aſcendit: quæ ſi caput attigerit, totum corpus vel riget vel conquaſſatur: in leviori, mente conſtant, in graviori vero, perfectam Epilepſiam æmulantur. *Signa.*

XII. Difficile eſt rectum his præſcribere medendi modum: nam cauſæ multiplices appropriatis tollendæ. Sed in genere compreſſione, aut ſi aliter compeſci nequeat, totius nervi abſciſſione, vel aduſtione curatur: vel ſtupore inducto anodynis narcoticis prævenitur, præſenſque ſæpe tollitur: omnibus præſtat, ſi ablutione, evacuationeque acris curatio poſſit obtineri; aut applicatione olei terebinthinæ, balſamicorumque in ſauciatis nervis acre corrigatur. *Curatio.*

XIII. Quæ convulſiones ex nimia ſolidorum mobilitate proveniunt, ex dicto titulo intelliguntur & curantur (vid. Tract. 26.) *Mobilitate.*

XIV. Humores acres ſtimulantes in corpore retenti, ut urina, ſanies, atrabilaria, cancroſa, herpetica, ſphacelata, materiæ alias evacuari ſolitæ; vel cacochymia, atra bilis, materia Eryſipelatoſa, febris intermittentis, & continuæ acutæ, atque malignæ, ad nervorum principia delata, convulſiones funeſtiſſimas ſuſcitant: ita materies podagrica, rheumatica ex articulis; varioloſa, morbilloſa, ſcabioſa, herpetica, Eryſipelatoſa, ſcarlatina a cute in caput delata; verum ante horum eruptionem convulſio producta minus periculi portendit: ſcorbutica convulſio levi paralyſi ut plurimum jungitur: venerea vero Doloribus circa noctem auctis jungitur, & aliis hujus morbi ſignis. *7. Acris humor.*

XV. Retenta materies, ſi non per conſueta poſſit, ad alia loca revocanda, alvi ductione, epiſpaſticis, fuſtigatione cum urtica, fricatione cum alumine plumoſo, cucurbitulis, hirudinibus, ſpeciali interim inſtituta, ex natura humoris retenti, curatione. *Curatio.*

Aut quantocius cortice ſubigenda intermittens; motus acutorum morborum frænandus; cacochymia & atra bilis per alvum ducenda purgantibus anodynis miſtis.

XVI. Nulla eſt pars, quæ non poſſit ab hoc morbo affici, unde morbi mirabiles incantationibus Dœmoniacis adſcripti; nam ſi totum corpus afficitur, una cum ſenſuum omnium extinctione, & ſi fit motus convulſivus ſæpe redeuns, *morbus Comitialis*, *Herculeus*, *epilepſia* &c. (VALLENDE ZIEKTE) appellatur. *Denominationes variæ, & effectus.*

2. Si ſenſus omnino non ſopiuntur cum tali motu convulſivo, & mens integre vel utcunque conſtat, in pueris *Epilepſia puerorum*, (STUYPE) in adultis ad *Hyſtericam*, vel *Hypochondriacam affectionem* refertur.

3. Si continua fiat contractio, ſive cum, ſive ſine ſenſuum abolitione, *Tetanus*, Celſo *rigor*, vocatur.

4. Hæc muſculos anteriores invadens vocatur ἐμπροσθότονος, poſteriores autem ὀπισθότονος; lumbi tantum muſculos, *Lumbago* (HET SPIT IN DE RUG OF LENDENEN.) Extranearum imprimis & quoque aliarum partium muſculos ſolitarios invadens, *ſpaſmus flatulentus*, (DE KRAMP) quandoque (DAAR IS

EEN

EEN WIND INGESCHOTEN.) Faciei muſculos σπασμὸς κυνικὸς *Tortura oris*, vel etiam *riſus Sardonius*, dicitur. Maxillæ inferioris muſculos temporales, alioſque elevatores afficiens, *Triſmus*, *Dentium ſtridor*, *& valida oris contractio* (DE KLEM IN DE MOND) appellatur.

5. Laryngis muſculos, ἀφωνία.

6. Cor ipſum, *palpitatio*.

7. Reſpirationis muſculos *Ephialtes* ſeu *incubus* & *ſuccubus* (NACHT-MERRY) vel inconditas vociferationes, cantus, latratus, producit.

8. Muſculos invadens membri virilis, *ſatyriaſis* aut *priapiſmus*, vocatur.

9. Meſenterium & inteſtinum primo invadens, atque ſucceſſive œſophagum petens in ejus ſphincterem ſubſiſtens, quaſi moles aliqua ſurſum aſcenderet, *paſſio hyſterica* vel *hypochondriaca*, aut *uteri ſuffocatio* vocatur.

10. Pedis muſculos primo, dein brachii, invadens miras geſticulationes producens, a 10 ætatis anno ad pubertatem, *Chorea Sancti Viti* vocatur: iterata venæ ſectione & alvi ductione ad tertiam quartamve vicem, intermiſtis roborantibus anodynis, curanda.

11. In fibris pulmonis, *aſthma convulſivum*. In ſtomachi, ventriculi & inteſtinorum fibris, vomitus etiam bilis æruginoſæ ſtatim compeſcendus ſtomachicis. Si febris acuta adſit, valent antiphlogiſtica.

12. In aſpera arteria *tuſſis clangoſa*, anodynis compeſcenda: ſi vero ex conſenſu primarum viarum, materies educenda prius per alvum vel vomitum & viſcidum acre dein corrigendum.

13. Fibras ſenſiles afficiens, Dolores ingentes excitat; Capitis (ſi in uno parvo puncto) *Clavus hyſtericus* dicitur; ſtomachi *cardialgia* dicta; inteſtinorum, *colica* & *iliaca paſſio* atque *Chordapſus*, vocatur.

14. In ureteribus, renibus, & veſica, *urinæ* fit *ſuppreſſio*: in oſculo uteri purgamentorum ſuppreſſio & contractio membrorum veluti in partu, ſed ſurſum magis vergens, producitur, quæ anodynis antihyſtericis compeſcuntur.

15. In inteſtinis etiam *Dyſenteriam ſiccam*, ventris *flatus*, *borborygmos*, *Murmura*, *ani contractionem*, ut ne quidem ſuppoſitorium admittat; *ventris tumorem*; *teneſmum*; & quandoque *tympanitidem* producit; & ſtercora intercludit, aut quandoque inverſo motu per os ejicit.

16. Denique tanta fit vaſorum diſtractio, ut inde *aneuriſmata*, *ramices*, *hydatides*, & effuſiones humorum fiant, quæ diſtentiones a veteribus *ſpaſmata*, ad diſtinctionem *ſpaſmi*, vocantur.

Cauſæ proximæ. XVII. Non eſt mirandum, cur tot mirabiles motus fieri poſſint a tam parva cauſa, quum ipſa mens quomodo operatur multo difficilius intelligitur, & facilius concipitur, a quavis levi mechanica cauſa noſtram machinam miris modis moveri, quam a mentis voluntate, & ſpontaneo motu vitali.

Quæſtiones. XVIII. Ex antecedentibus multa intelliguntur & curantur promptiſſime;

1. Cur Dolor capitis veternoſus prædicit convulſionem?

2. Cur parotides parvæ in acutis damnandæ & ſunt convulſoriæ, majores autem liberant?

3. An puris ichoriſque ex auribus fluxus omnem tollat Convulſionem?

4. Num a ſola repletione, & inanitione convulſio?

5. Cur gravida convulſione tentata de abortu periclitatur?

6. An quidam motus convulſivi in partu non ſunt compeſcendi?

7. Quid dolor poſt partum, qui cingulo ventri injecto miteſcit?

8. Cur mulier a partu convulſa in magno verſatur periculo?

9. Cur a vomitu, alvi fluxu, diabete, hæmorrhagiis, non ſemper lethales?

10. Cur tamen pejor ab helleboro & veratro?

11. Cur venena fere omnia convulſiones inducunt.

12. Cur tumoris diſparentia juxta ulcera Convulſionis periculoſæ præſagium?

13. Cur unico vomitorio, in pueris præprimis & cacochymicis, ſæpe tollitur convulſio,

vulsio, alio vero tempore eandem suscitat?

14. Cur hysterici, hypochondriaci, infarctione ventris laborantes, atque imbecilles, quandoque a vomitorio & purgante in convulsiones adiguntur?

15. Quodnam genus ventris doloris purgantibus anodynis mistis curatur.

16. Cur anodyna sæpe præstantissima diuretica & alvum ducentia?

17. An in omni, & in qua specie convulsionis, vena secanda?

18. Cur in principio variolarum & febris acutæ, convulsio minus periculosa, in statu vero & fine lethalis.

19. Cur ab hydrope sicco tandem ascites?

20. Quænam species convulsionis in paralysin solet abire?

21. An decantatis antispasmodicis fides semper habenda?

22. Cur urina tenuis, clara, copiosa, sæpe & in acutis & Chronicis convulsionem prædicit?

23. Quando Ischuria omnibus resistit diureticis, cur anodynis vero aut venæ sectioni auscultat?

24. An tympanites & spasmi flatulenti a flatibus?

25. Num omnes flatus & tympanites carminantibus discutienda?

26. An omnia genera convulsionis accedente febre solvuntur?

27. An omne, & quod genus spasmi, urina vitrea, genituræ simili, solvitur?

28. Cur a cephalicis, volatilibus, sudoriferis & antispasmodicis, sæpe intenduntur convulsiones, & quæ?

29. An falsum, spiritum vitrioli & acida compescere quandoque convulsiones & quas?

30. An Colica convulsiva dicta, quæ fit cum summo corporis ardore, & nitrosis, humectantibus, acidisque curatur, a spasmodica intestinorum contractione, an ab Erysipelate?

31. An pueri post tormina ventris & ejulatum statim a partu convulsi absorbentibus terreis aut purgantibus curandi?

32. Cur in recens natis, colostro non utentibus, frequentius convulsiones, & quæ istis opitulentur?

33. An pulvis Gutteta, marchionis, perlarum, similiaque antispastica dicta, semper convulsionis antidota?

34. Unde sæpe livor partis convulsæ?

35. Quæ differentia inter spasmos & spasmata?

36. An præcordia fasciis arcte cingenda, ne uterus gulam petat?

37. Cur hæreditaria & connata epilepsia incurabilis habenda?

38. An motoria & sensoria non distincta organa?

39. Quod genus gravius; cum vel sine sensuum abolitione?

40. Quomodo applicatio terebenthinæ & balsamicorum, inustio, abscissio nervorum, mitigant convulsiones?

41. Cur adulti raro, nisi a magna causa, convelluntur; pueri vero facilius?

42. Cur membra in adultis, facies in pueris, frequentius convelluntur?

43. Cur in adultis faciei convulsio periculosior membrorum?

44. Quomodo icterus abeuns & redeuns in colica convulsiva, & aliis, minus periculosus?

45. Cur colica Pictonum sæpe in paralysin abeuns, balsamo peruviano & antiscorbuticis curatur.

46. Cur medicamentum, quod sanavit convulsionem, iterum exhibitum, nihil efficiat?

47. An generalia dentur antispasmodica medicamenta?

TRACTATUS TRIGESIMUS PRIMUS.

De Liquoribus.

I. UT in firmarum partium deſcriptione & Morbis explicandis primo indicavimus & expoſuimus organi naturam & fabricam, dein ad ejus vitia deſcendimus, ita idem quoque dictitat ratio in Liquoribus agendum.

II. Quia vero inveniuntur humores per totum circulantes, alii vero uni tantum parti dicati; omnes ergo ad noſtram pertractationem in hac parte Compendii non pertinebunt; illum tantum examinaturi liquorem, qui totum permeat corpus.

III. Liquor dicitur corpus, cujus partes inviſibiles, lubricæ, tam parum cohærentes ſunt, ut minimo motu a contactu mutari queant.

IV. Differt ergo cohæſione ſola a corpore firmo; ea enim ſi augeatur, in ſolidum convertitur, & cohærentia minuta inter partes firmas, id in fluidum redigit. Pro exemplo ſit Metallum liquefactum, & glacies ex aqua congelata.

V. Multa corpora ambigunt, ut neſciamus, an firma vel liquida dicenda ſint: Multi inſuper ſunt gradus cohærentiæ, quibus infinitis modis corpora mollia diſtinguuntur.

VI. Quia vero de Liquore generali erit agendum, ſanguinem ſolum proponemus ceteroſque humores, qui in eo continentur.

Sanguinis quantitas.

VII. Quanta ſit totius maſſæ ſanguinis menſura vix conſtaret, ſi ſequimur Auctores; hi enim, 120, 30, 25, 20, imo 10 libras computant. Si conſulamus effluentem ex mactato animali ſanguinem, vix 8 libræ ſanguinis continerentur in homine. Multi horum decepti ſunt, cenſentes omnem ſanguinem ex mactatis effluere animalibus, ex juvene enim vidi intra hebdomadem ultra 70 libras ſanguinis effluxiſſe, quod & etiam ab aliis obſervatum eſt.

VIII. Ut accuratius definiamus quantitatem, alius ineundus eſt calculus. Sumatur ergo pars quædam ſucculenta animalis, ponderetur ea primo cum omnibus ſuis liquoribus, dein eluta & ſiccata, differentia ponderis præbebit liquoris quantitatem. Hoc ſi fiat in meſenterio, inteſtinis, aliiſque partibus membranoſis, vix quarta pars remanebit; in partibus autem carnoſis, tertia circiter; verum in vaſis majoribus, quia eorum cavitates humoribus tantum impletæ ſunt, ne quidem octava pars reſtat: nam differentia numerorum inter quadratum C. D. & A. B. (vide fig. 30.) exhibebit canalis ſoliditatem, quæ latera membranoſa, dicto modo pertractata, veram ſoliditatem præbent, quæ octavam partem totius gravitatis non ſuperabit. Adeo ut inferre liceat, hominis corpus 160 librarum ad minimum 120 libras continere liquoris, & ſolidi vix 40.

De natura ſanguinis experimenta.

IX. Indoles vero ſanguinis multis experimentis inquirenda.

1. Sanguis vaſis ſuis contentus ſtagnans concreſcit in polypos.

2. Minus promotus inviſcatur.

3. Validiore circulatione agitatus, craſſior, ſpiſſiorque fit, ad coagulationem magis pronus.

4. In robuſtis & exercitatis denſus, ſpiſſus; rubicundior; in debilibus, infirmis, valetudinariis, quieſcentibus, tenuis, dilutus, minus coloratus.

5. Recens e corpore exceptus neque cum alcalicis neque cum acidis effervescit.

6. Ab acidis vero mineralibus, & alcohole coagulatur; ab aceto aliiſque acidis puris vegetabilium diluitur.

7. In exiliſſima fiſtula recepto, ejus globuli in maſſam intenſe rubram contrahuntur a reliquo liquore ſeparatam; qui globuli antea microſcopio conſpecti natabant ſeparatim in liquore pellucido.

8. Recens ſi deſtillatur, cum aqua primo aſcendit ſpiritus ſpecificus fœtidus;

dein ſal volatile cum oleo tenui ; poſtea oleum denſius ; remanet in fundo materia picea ex oleo craſſo & terra : vix quidquam ſalis fixi remanet , niſi homo ſalem marinum comederit .

9. In vaſe amplo receptus , tam in aere aperto , quam in Antlia pneumatica , concreſcit , & pars rubra ſeparatur a ſeroſa , ſuperne rubicundior , inferne ad nigredinem ſeu purpureum colorem magis vergit.

10. Qumodocunque agitatus , tam in frigore , quam calore extra corpus , concreſcit ſenſim , citius vero quieſcens & in frigore , quam in tepore & agitatus.

11. Majori calore , quam eſt gallinæ incubantis , fotus brevi coagulatur.

12. In tepore ſervatus diu primo concreſcit , dein putreſcit , tandem in putrilaginem reſolvitur . Tunc efferveſcit cum acidis , & multum ſalis alcalini volatilis deſtilatione præbet.

Concluſiones .

X. Circulatio ergo ſola eſt , quæ in fluore conſervat ſanguinem.

2. Ex minori circulatione ſpontanea viſcidi generatio.

3. Diatheſis phlogiſtica ex circulatione aucta.

4. Color ſanguinis acquiritur virtute circulationis.

5. In ſano ſanguine nulla efferveſcentia , aut fermentatio.

6. In globulis rubris præ ceteris viget coadunandi vis.

7. In ſanguine inveniuntur omnia principia Chemica , ſale autem fixo fere caret.

8. Color ruber in ſuperficie ſanguinis concreti non ab aeris attactu provenit.

9. Quæ ex ſanguine arte Chemica eliciuntur , talia non præexiſtunt , ſed putredine , aliove artificio producuntur.

10. Sanguis concretus ſenſim accedente putredine in liquorem tenuem reſolvi poteſt , & ita evacuari.

11. Mitiſſimus & blandus ſanguis in virulentam acrimoniam converti poteſt ſola ſtagnatione.

12. Moleculæ rubræ ſanguinis majores ſunt , ſanguinis quam reliquorum liquorum particulæ.

Queſtiones .

XI. Ex dictis facilis ad ſequentia erit reſponſio.

1. An ſanguinis portio rubra ſit temperamenti humidi & calidi ; pars flava , bilis flava , temperamenti calidi & ſicci ? pars alba , pituita aut crudior ſanguinis portio , temperamenti frigidi & humidi ? pars craſſior , atra melancholia , alimentaria , temperamenti frigidi & humidi ? ut veteres ?

2. Quouſque pervenit ſanguis ruber ?

3. Cur vaſa tenuia humoribus pellucidis impleta ?

4. Cur in animalibus extinctis ſine ſanguinis effuſione frequens polypus cordis ; in detruncatis raro ?

5. Unde a lipothymia in pectore & circa cor tanta anguſtia , & cordis palpitatio .

6. Unde pulſus intermittens ſæpe tota vita in iis , qui lipothymiæ obnoxii ſunt ?

7. Cur ſanguis in arteriis poſt mortem denſior quam in venis ?

8. Cui bono globuli rubri , ſi non extra venas & arterias veniunt ?

9. Cur otioſi & debiles ſæpe a morbis pituitoſis tentantur ?

10. Cur exercitati , robuſti , juvenes & viri pleuritide aliiſque morbis inflammatoriis obnoxii ?

11. Cur aceti vapor ſanguinem coagulatum reſolvit ?

12. Cur acida vegetabilium in Inflammationibus tanti uſus.

13. An fructus acidi vegetabilium ſanguinem coagulant , ut multi præcipiunt ?

14. Quando ſugillationes , aliæque ſanguinis effuſiones , in corruptionem vel indurationem tranſeunt.

Sanguinis Color ruber .

XII. Sanguinis colorem rubrum eſſe nemo inficias ibit ; ſed unde is provenit , cui uſui inſervit , & an pereat regenerarique poſſit , magna lis eſt.

XIII. Microſcopiis ſi conſpiciatur ſanguis , quædam in eo inveniuntur molecu-

læ rubicundæ ceteris majores, quibus ablatis perit rubedo, & ex numero harum provenit rubedo, magis minusve intensa.

XIV. Globuli hi rubicundi si solvantur in sex alios minores, utcunque microscopio visibiles, flavum obtinent colorem, qui seorsim collecti bilis flava & serum vocantur.

XV. Isti ulterius soluti in liquorem abeunt pellucidum lymphaticum.

XVI. Globuli rubri majores sunt quam sunt oscula lacteorum, adeo ut hac via intromitti nequeant.

XVII. In iis, qui sæpe patiuntur hemorrhagias, fœminis choloroſi laborantibus, morbis validis diu pressis & exhaustis, sanguis invenitur quandoque chylosus, albus, pallidus: roboratis vero viribus, solitus restituitur color sanguini.

XVIII. Constat ergo in nostro corpore generari sanguinem rubrum, quod globuli (XIII.) in majori copia generentur. In examine hujus 1. videndum, ex qua materia hi globuli fiunt. 2. Qua in parte corporis hoc præprimis fit. 3. Quæ causæ sunt globulos hos producentes.

Materia. XIX. Materies globulorum rubrorum est serum sanguinis & lympha ex chylo provenientia, actione nostri corporis in globulos majores compacta.

Locus. XX. 1. Quum toti massæ hic color concilietur, & sanguis omnis per pulmones transeat: 2. sanguis ingrediens minus præparatus, quam qui egreditur: 3. sanguis omnium maxime in pulmonibus agitetur conquassetur & prematur: 4. pulmones nihil excernant, sed elaborationi humorum toti inserviant: 5. sanguis adigatur per vasa minutissima vario modo pressa & relaxata a respiratione: statuendum est pulmones istud organum esse, quo globuli rubri formantur: non tamen negandum, in musculis aliisque partibus, si agitantur, aliquam fieri præparationem, sed vero quia pulmonum actio perennat vel nobis insciis, his primariam actionem esse tribuendam ratio dictitat; quæ omnia in Corde ipso aut hepate frustra inquiruntur.

Causæ. XXI. Qui novit colorem rubrum sanguinis provenire, quod globuli seroſi compingantur in globulos majores, facile perspicit, ad hanc coloris productionem aliud nihil requiri quam causam compingentem, quæ maxime observatur in pulmonibus, & etiam aliquantulum in extremis arteriarum.

Quæstiones. XXII. Ex his intelligimus;

1. An sanguis maternus nobiscum natus colorem rubrum præbeat sanguini?

2. Num mori debeamus, si omnis sanguis maternus evacuatus vel detritus est.

3. Num rubedo sanguinis ab aeris attactu. A: Quod sanguis eductus ex arteria pulmonali, venosus sit: Sed tum non subiit pulmonis actionem. B: Quod sanguis etiam in arteria aorta suffocati animalis niger: Verum si transeat pulmones sine respiratione, non præparatur. C: Quod sanguis transeuns pulmones multis in locis pertusos solle agitatos, ruber; non agitatos solle ater: Hac agitatione idem fit, quod alias in respiratione fieri solebat. D: Quod sanguis emissus in superficie, qua attingit aerem, rubeat, inferne vero nigrescat: Verum quia globuli rubri graviores ceteris partibus sanguinis fundum petunt, pauciores fero misti in superficie remanentes colorem rubrum præbent; præterea globuli concreti nigriores semper, ab aeris attactu soluti rubedinem præbent; quare rubedo in sanguinis superficie non provenit ex aeris attactu, sed quia ibidem minus concretus quam inferne, rubicundior videtur. Certe si rubedo sanguinis ab aeris attactu proveniret ille sanguis, qui ex corporis peripheria redit, rubicundior esset, quam qui eo ducitur per arterias: & ille sanguis nudo aeri expositus rubedine superaret eum, qui transiit pulmones; quibus tamen experimenta non suffragantur.

4. Num inde sanguis in arteriis rubicundior, quod aer pulmonibus receptus, sanguini permistus, per cutim iterum exhalans, relinquit sanguinem nigriorem in venis?

5. Num sanguinis rubedo ex aeris admistione in pulmonibus? multa obstant

huic

huic ſententiæ. A: Aer elaſticus (nam de vaporibus, particulis igneis, aliiſque aeris partibus non eſt quæſtio) non tranſit membranas humectatas, ut ſunt veſiculæ pulmonales. B: Aer miſtus ſanguini animal necat. C: Aer in libera reſpiratione non magis premit pulmones, quam totam peripheriam corporis. D: Non ingredi poteſt arterias, obſtat enim motus ſanguinis in iis: a venis recipi poſſe nullo probatur experimento.

6. Cur ſanguis in antlia pneumatica bullas aeris emittit?

7. Cur portio arteriæ vel venæ, cum ſuo ſanguine intercepto ligata, non intumeſcit in vacuo Boyleano.

XXIII. Sanguinem in noſtro corpore circumvehi ſequentia evincunt. *Circulatio ſanguinis.*

1. Ex quacumque arteria vel vena aperta major quantitas poteſt duci ſanguinis, quam in ea parte poſſet contineri.

Datur ergo ex aliis via aperta in hanc arteriam vel venam.

2. Quo major aperitur arteria, eo impetuoſius ſalit ſanguis, & eo citius extinguitur animal, cum pauco ſanguinis diſpendio. Quo vero arteriæ ramus minor, eo minori cum impetu ſalit, ſed major ſanguinis quantitas educi poteſt, antequam perit animal.

Majori ergo velocitate movetur ſanguis per ramos majores quam minores: quia vero omnis ſanguis pulſus per arterias majores etiam tranſit per minores; harum omnium capacitas eſt ad capacitatem majorum arteriarum, ut ſunt inverſæ velocitates. Quia vero in ſubitanea evacuatione animal citius moritur, denotat, arterias tam ſubito contrahi non poſſe, ut maneant plenæ.

3. Si reliqui rami ligentur, dum aliquis apertus eſt, acceleratur fluxus per aperturam.

Eſt ergo communicatio omnium ramorum: vis pellens ſanguinem in ſolis arteriis non conſiſtit, ſed & a motore generali quoque pellitur ſanguis, ſimili modo ut in fontibus ſalientibus, omnis ſanguis poteſt duci per eandem arteriam, totumque corpus privari ſanguine.

4. Arteria ſolitaria ligata tumet verſus cor, & vehementer pulſat, ſed inter obſtaculum & extrema detumeſcit & evacuatur, motus illorum muſculorum perit, extinguitur calor, ceſſant ſecretiones & excretiones, pars exareſcit, conſumiturque lenta gangræna: ex apertura facta ſupra ligaturam impetuoſius ruit ſanguis; verum infra ligaturam vix aliquid exſtillat niſi plane in principio.

Igitur motus ſanguinis per arterias eſt a corde ad extrema; præter motum ſuſceptum a corde ipſæ arteriæ vi propellente ſanguinem gaudent; ſanguinis fluxus aliquid facit ad caloris conſervationem, & materiam ſecretionibus ſuppeditandam.

5. Ligata vero arteria non ſolitaria, quæque magnas anaſtomoſes habet, ut Carotides, tumet inter ligaturam & cor, minus vero flacceſcit inter vinculum & extrema: ex apertura facta ſupra ligaturam, eodem modo ut in ſolitaria arteria ligata, exſilit ſanguis; verum infra ligaturam ex apertura ſanguis etiam fluit, minori tamen vehementia.

Movetur igitur ſanguis per plexus & anaſtomoſes arteriarum antrorſum & retrorſum, ubi modo minorem invenit reſiſtentiam.

6. Vena autem ligata tumet intra vinculum & extrema, verſus cor vero detumeſcit. Ex vulnerata vena intra extrema & vinculum omnis ſanguis duci poteſt, ut ex arteria ſupra ligaturam: verum ſupra ligaturam ex quibuſdam venis pauciſſimæ guttulæ tantum exſtillant.

Motus ergo in venis eſt a ramis ad truncum, ſeu ab extremis ad cor: aliquid præterea eſt in venis, quod in Arteriis non invenitur, quod ſanguinis retrogreſſum impedit; hæc obſtacula *Valvulæ* dicuntur.

7. Solitaria Arteria ligata aut abſciſſa, ſiſtitur ſanguinis fluxus per venam ex ea parte venientem: ex hac vena aperta aliquid ſanguinis effluit, poſtea vero integre ſiſtitur.

Omnem

Omnem igitur ſanguinem venæ ex arteriis accipiunt ; reſtat quædam vis in arteriis & venis propellens ſanguinem, intercepta cordis actione.

8. In omnibus partibus amplitudo arteriarum a venarum capacitate ſuperatur. Motus ergo velocior in arteria quam vena ejuſdem partis ; ſunt enim velocitates inter ſe, ut inverſe quadrata diametrorum, ſi eodem tempore, eadem quantitas, per duos diverſos canales fluere debeat.

Velocitas ſanguinis. XXIV. Ut inveniamus, quanta velocitate movetur ſanguis per arteriam aortam, hæc tria determinanda ſunt.

1. Invenienda eſt quantitas ſanguinis, quæ ſingulis pulſibus e corde pellitur. Verum hoc difficile invenitur. A. Quia experimentum in vivis animalibus nequit inſtitui. B. Quod accurate determinare non valemus quantitatem, quæ in quacumque pulſatione a corde recipitur: neſcimus, num cor ſemper eo uſque dilatetur, quo uſque ab impletione dilatari poſſet. C. Quod neſciamus, an omnis recepta quantitas ſingulis ictibus integre ejiciatur : Communi tamen ſuffragio creditur, cor ſingulis pulſationibus emittere duas circiter ſanguinis uncias, habita ratione ventriculorum cordis.

2. Determinanda eſt arteriæ aortæ capacitas: ſed & hoc non caret difficultatibus. A. Arteriæ enim capacitas multo minor poſt mortem, quam in animali vivente. B. Non omni tempore æque capax ; dilatatur enim & contrahitur ſingulis pulſibus : ejus autem capacitas ſemipollici quadrato utcunque comparari poteſt.

3. Obſervandus eſt pulſuum numerus definito tempore. In homine quieſcente ſano ſexagies uno minuto vibrare ſolet arteria, ſeu 3600 ſingulis horis.

XXV. Ut ex his datis inveniamus celeritatem, inquirendus eſt canalis, cujus baſis æqualis eſt ſemipollici quadrato, & cujus ſoliditas æqualis eſt duabus unciis. In pollice cubico aliquantulum plus quam Drach. v. continentur ſanguinis ; eadem ergo quantitas continetur in canali, cujus baſis eſt æqualis ſemipollici quadrato, & cujus longitudo eſt quatuor pollicum. ergo in hujuſmodi canali, cujus longitudo eſt duodecim pollicum, recipiuntur duæ unciæ ſanguinis, quæ ſingulis ictibus e corde pelluntur. ergo omnibus pulſationibus per longitudinem unius pedis pellitur, & intra horam 3600 pedes, ſi ubique æqualis eſſet velocitas. quantitas vero ſanguinis ejecti eſſet 7200 unciarum.

XXVI. Non omnibus in arteriæ ramis æqualis eſt velocitas: circa cor eſt motus velociſſimus, in capillaribus & venis tardior ; in vena portarum omnium tardiſſima, adeo ut forſan quædam ſanguinis portio centies redeat in cor, dum alia vix ſemel redire poſſit.

Quæſtiones. XXVII. Quum quædam ſanguinis pars celerrime moveatur, alia tardiſſime; quædam per prope adjacentes partes, alia per longiſſimam viam ducitur, an poſſibile eſt determinare, quoties in hora circumducitur ſanguis?

An Cor ſolum cauſa pellens ſanguinem?

Num arteriæ & reliqua vaſa tantum ſua elaſticitate pellunt humores?

Cur in vaſis minoribus tardior circulatio?

Quæ capacitas major cenſenda, vel omnium capillarium arteriarum ſimul; vel ſolius arteriæ aortæ?

TRACTATUS TRIGESIMUS SECUNDUS.

De Sanguinis fluxu.

Definitio & differentia. I. SAnguis ex corporis quacumque parte manans *Hæmorrhagia* dicitur, hæc ſi fiat ex naribus, idem retinet vocabulum ; verum ex pulmonibus *Hæmoptoe* ſeu *ſputum cruentum*, quomodo etiam illa, quæ ex faucibus profluit, quamvis minus periculoſa; ex œſophago vel ventriculo, *vomitus cruentus*; ex cavo inteſti-

teſtinorum per anum *Diarrhœa* vel *Dyſenteria cruenta* ; verum ex venis tam internis quam externis ani *hæmorhoidum fluxus:* ex urethra ſive ex renibus ſive veſica vel ipſa urethra ſi veniat ſanguis, *Mictus cruentus*: ex mulierum pudendis ſingulis menſibus redeuns naturalis *Menſtrua purgatio*, poſt partum *Lochia*, verum ex alia cauſa *Uteri Hæmorrhagia:* & quæ ex ulcere, vulnere, cute integra, dente, gingivis, aliiſque partibus profluit, ſolitum retinet *Hæmorrhagiæ* nomen adjecto partis nomine. Generales cauſas primo, ſpeciales deinceps perſcrutemur.

II. Notiſſima omnium cauſarum vulnus, ſolvens ſanguinis in arteriis veniſque & viſceribus contenti repagula ; ex vulneris deſcriptione hujus cognitio & curatio petenda. *Cauſa vulnus.*

III. Proxime huic accedit roſio vaſorum *Diabroſis* dicta veteribus, ſive quod acria ingeſta, vel applicata fuerint, raro multum periculi portendens, niſi hæreat cauſa interne; uſu enim abluentium, & mollium, acri ablato vel mitigato, facile compeſcitur. *Roſio, applicatione acris.*

IV. Verum corroſa vaſa ſanguinem effundentia, ab humore acri in corpore nato, ut Ichore cancri; materia morbilloſa, varioloſa, peſtilentiali, atrabilaria, ſcorbutica; febrium materia ad tactum non urentium, & quartanæ; aqua hydropicorum; ſanioſo rodente humore a lumbis dolentibus ſurſum petente cum ſtomachi dolore, delirio, manibuſque torpidis; & materia multorum morborum epidemicorum malignorum; & diatheſi eryſipelatoſa; utplurimum lethales inducuntur hæmorrhagiæ; vel quod arguunt humorum acrimoniam, vel debilitant corpus, quod in his nocivum; præprimis per nares ſi fiant; per hæmorroidas venas enim ſuccus atrabilarius cum levamine educitur. *Ab humore acri.*

V. Compeſcenda hæc protinus, applicatione adſtringentium & refrigerantium; correcto acri ſuis appropriatis ex quovis horum morborum titulo petendis; & ſedata hæmorrhagia, medicamento purgante apto prævenitur hæmorrhagiæ recidiva: venæ ſectio autem in hoc genere non ſine periculo adhibetur. *Curatio.*

VI. Juvenibus temperamenti ſanguinei, evacuare ſanguinem conſuetis, laute & otioſe viventibus; quibus ſupprimitur evacuatio; & fœminis quibus ſubſiſtunt menſes; aut quibus pars quædam mutilata eſt, his ſi fortis fiat pulſus, pulſationeſque per totum, & ſpirandi difficultas, ſanguis cum levamine fundi ſolet. *Humoris abundantia.*

VII. Et ex naribus præprimis fit hæmorrhagia, quod vaſa ibidem nudiſſima, molliſſima, minus ſuffulta. Si eo igitur vergat impetus, qui aggravat Caput & nares; collum tendit, oculos inflat, rubedine ſuffundit, ſplendentes, ſcintillantes, vertiginoſos tenebricoſos, lachrymantes hebetes & conniventes facit; quibus aures tinniunt, & qui ſonitum audire putant; ſi adſint vigiliæ, inſomnia præprimis rerum rubrarum, turbulentia, delirium, capitis concuſſiones, pulſationes, præcipue in temporibus cum quadam gravitate, ſi facies ſanguine turgeat, nares rubeant, pruriant, ſternutent, ſi percipitur corporis impotentia tremula, ſurditas, ſenſuum ſtupor, coma, apoplexia; aut ſi inquieti ſunt cum capitis collique dolore in phrenitide, convulſione, ſanguiniſque quibuſdam ſtillis, a valida ſanguiferorum vaſorum extenſione, adjacentia comprimentium, irritantiumve nata, quæ omnia in phrenitide, pleuritide aliiſque morbis inflammatoriis acutis, ardentibuſque febribus continuis, ſi larga ſubſequatur hæmorrhagia, non modo tolluntur, ſed & delirium, abſceſſuſque, & alia mala præveniuntur. *Ex naribus impetu ad caput majore.*

VIII. In Hepatitide, tumoreque præcordiorum duro dolente, & molli pulſante, lumborumque dolore & ſtomachi, ictero, præcordiorum diſtentione, aliiſque impeditum tranſitum indicantibus per inferioris ventris viſcera; vel & in pleuritide & peripneumonia, per pulmones; atque in angina reditum ſanguinis per venas ex capite impediente, ſalubre excitatur ſanguinis profluvium per nares. *Ab alia intercepta via.*

IX. Qui ex naribus vero, proritatur ſternutatoriis, ſuffumigiis acrioribus, ſcalptura, concuſſione narium, & ſternutamento: & ex aliis locis, ſolidorum debilitate, dempto ſuſtentaculo ſolido, vel minuta aeris preſſione, ut in altis montibus, *Ex cauſa irritante.*

tibus, diſpoſitioneque hæreditaria; aut ſolis, focique calore, ſive ſpirituoſis, aromaticis, præprimis vere & æſtate in corpore excitato; aut motu corporis animali, ira, gaudioque profuſo, circulatione adaucta, ſanguis, cum ægrotantium plerumque detrimento, niſi ex alia cauſa ſit indicata, evacuatur.

Tenuitate Sanguinis & laxitate ſolidorum.

X. Quod ſanguis arteriis ſuis & venis contineatur in alia vaſa deſinentibus, magnitudini globulorum microſcopio viſibilium, & oſculis vaſculorum anguſtis adſcribendum; deficiente magnitudine ea, uti in ſcorbuticis, morbis quibuſdam malignis, putridis, & valetudinariis, acrimonia tenui laborantibus, variis in locis tranſudat ſanguis ſine quandoque ulla vaſorum læſione, ex cute integra, gingivis, faucibus, aliiſque partibus.

Tempus.

XI. De tempore ſanguinis profluvii ita ſonat *Hippocrates*.

Quarta die contingentes ſanguinis e naribus eruptiones ægre judicant.

In febre ardente fluxio ſanguinis e naribus quarta die mala eſt, ſi non aliud quid boni coinciderit; verum quinta minus periculoſa eſt.

Si a quarta die ſanguinis fluxus fiat, diuturnitatem ſignificat, & alvus erumpit, & crurum tumores.

Affectiones, quæ quinta die ſanguinem large fundunt, ſexta die inſuper rigeruntſeptima perfrigeratæ fuerint, & repente recalefactæ, in his alvi male afficiuntur: poſt ſanguinis eruptionem nigrorum per alvum egeſtio mala. Mala autem ſunt & rubicunda valde & æruginoſa: quarta die tales ſi fiunt ſanguinis eruptiones, ſoporoſi ex talibus convulſi moriuntur, nigris prægreſſis & ventre tumefacto.

Septima, aut nona, aut 14, fluxiones ſanguinis a naribus contingentes, plerumque febres ſolvunt.

Morbi acuti judicantur ſanguine de naribus fluente in die judicatorio.

Perfrigerationes ex ſanguinis eruptionibus, in diebus judicatoriis vehementes, peſſimæ ſunt.

In Philiſco & Epaminone ac Sileno quarta ac quinta die parum de naribus ſtillavit, & moriebantur.

Undecimo die ſanguinis ſtillicidia difficilia, tum alias tum ſi ſuperſtillaverint, & addit alibi: tum ſi bis ſuperſtillaverint, & rurſus ſtillaverint.

Quibus febrire incipientibus ſanguis de naribus, ſternutatione contingenti, deſtillat, & urina ſubſidentiam albam in quarta die habet, his in ſeptima die ſolutionem ſignificat.

Magnæ in principiis ſanguinis eruptiones, circa refectionem alvos humectant.

Prognoſis.

XII. Antequam quis curationem aggreditur hæmorrhagiæ, ſcire oportet, ſiſtenda an ſit vel non. 1. Quæ fit a vulnere, quo citius eo melius curanda, niſi cum ſanguine quædam ſordes, fragmenta, venenatum debent elui; aut forte contingat in copore, cui ſanguis eſſet detrahendus.

Ex abundantia.

XIII. 2. Qui profluit ſanguis ex abundantia, ſtatim ſupprimi non expedit, niſi ſuccenturiata ſanguinis miſſione.

Ex impetu majore.

XIV. 3. Sanguinis profluvium ſignis impetus majoris ad caput indicatum, niſi profuſius, omnem reſpuit medelam; ut & iſtud, quod tranſitu per inferiora intercepto ſuſcitatur.

Ex tenuitate.

XV. 4. Ex humorum vero tenuitate, ſanguis ſi profluat, in incraſſantibus præprimis conſiſtit curatio.

Bona.

XVI. 5. Hæmorrhagiæ in flore ætatis, morbo acuto ardente, conſuetis, die judicatorio, & principio morbi, moderata quantitate, ſignis indicatæ, cum euphoria toleratæ, vetant ſuppreſſionem.

Mala.

XVII. 6. Ex ſanguinis profluvio, ſudores exigui, perfrigeſcentia, ſurditas, ſingultus, covulſio, horror, rigor, ſopor, delirium, alvi dejectio nigra vel prærubra, mali ominis.

Effectus.

XVIII. Sanguinis evacuationes largiores, in principio morbi contingentes, alvum poſtea humectant; copioſiores, digeſtiones pervertunt; laxant ſolida; hydro-

dropem, tumorem œdematoſum, cachexiam, tabem, rachitidem, hyſtericam paſſionem, convulſionem, ſingultum, & multa alia, ex defectu humorum provenientia, producunt.

Cauſa proxima.

XIX. Patet ex dictis, ſanguinem ſola tenuitate, ſolida autem dilatatis oſculis arteriarum: ruptioneque vaſorum, & forſan tranſudatione, hæmorrhagiam producere.

In naribus.

XX. Qui ex naribus profluit, ſanguinem non ſolum ex narium cavis, verum etiam ſinubus frontalibus, maxillaribus, ephippii promanare; eundemque deglutitum vomitum feceſſumque cruentum producere, mirabilium phænomenon anſam dediſſe, rectamque medendi methodum exhibuiſſe, vidimus.

Curatio. Compreſſione.

XXI. Sanguis profluens his modis compeſcitur. 1. Compreſſione, ſpleniolis, ligaturis, digitis, aliiſque inſtrumentis ſupra aperta vaſa, vel truncum ipſius arteriæ vel venæ ſauciatæ.

Conſtrictione.

XXII. 2. Conſtrictione vaſorum per adſtringentia ſtyptica, quorum multa in eo titulo, tum colcothar vitrioli, gypſum, gallæ nuces, pulveriſata & indita: in naribus turundæ indi poſſunt, aliis locis fomenta, cataplaſmata, Clyſmata, Collutiones, emplaſtra, Lavamenta, pulveres, epithemata, applicari poſſunt ex adſtringentibus; & quia actu frigida, quoque conſtringunt, ſæpe hæc ſola ſufficiunt, ut aqua frigida, oxycratum, metalla frigida, maxime ſi ſimul adſtringentia ſint.

Coagulatione.

XXIII. 3. Sanguis etiam coagulatur iiſdem, & alcohole vini; ea vero omnia, quæ ſorditiem relinquunt in plaga, ſi fieri poſſit, evitanda, quum cicatricis pulchritudini conſulendum ſit.

Sedatio impetus.

XXIV. 4. Impetus minuendus ad eam partem, intercipiendo ſanguinem ligaturis in membris majoribus modice conſtrictis, ne arteria ſimul conſtringatur, ſi ſanguis non nimis abundat, ceteroquin commodius venæ ſectione, cucurbituliſque ſcarificatis, aliunde detrahitur ſanguis, aut gelida applicatione partibus vicinis, & pudendis, in narium hæmorrhagiis, aut alligatione ranæ ad plantas pedum, vel retentione in manu donec incaleſcat; & exhibitione refrigerantium abſorbentium & opiatorum compeſcitur motus: Nam coagulantia aſſumpta, vel non ingrediuntur lactea, vel ſi agerent, potius pulmonum vaſcula infarcirent cum ſummo ægri diſcrimine, quam ut vaſculum laceratum conſtringerent vel obturarent.

Quæſtiones.

XXV. Ex his facile erit ea quæ ſequuntur perſpicere.

1. Quæ antiſcorbutica, & quando, curant ſanguinis profluvium?
2. Num adſtringentia aſſumpta, incraſſando ſanguinem, valent compeſcere ſanguinem profluentem.
3. Quando antiſepticis utendum?
4. Cur hæmorrhagia abſceſſum ſæpe prævenit?
5. Cur horror, rigor, & lipothymia, ſæpe compeſcunt profluentem ſanguinem?
6. Num ex directo partis læſæ ſanguinis fluxum bonum eſſe ab Hippocrate ex hypotheſi vel vera praxi eſt deductum.
7. Quomodo ſurditas tollitur hæmorrhagia & generatur?
8. Cur alvi dejectio nigra & prærubra poſt hæmorrhagiam mala.
9. Cur vertigo ſolvitur in principio, alio vero tempore, & in longis morbis, ſæpe intenditur hæmorrhagia.
10. Cur juvenes ſanguinis eruptione in acutis, & ſenes abſceſſu liberantur frequentius ab auris dolore?
11. Cur ex febre continua jacentes, voce deſtituti, oculiſque conniventibus, hæmorrhagia aut vomitu liberantur?
12. Num omnis hæmorrhagia ſanguinis miſſione compeſcenda?
13. Cur hæmorrhagiæ in continuis febribus cum calore magno ſalutares, cum miti & veluti mordaci calore pravæ?

14. Cur larga in principio ſalutaris, ſed quarto die prava, verum 7, 9, 14. ſolvit febrem, verum ſtillicidia hoc tempore damnanda.

15. Cur hæmorrhagia periculoſſima, & fere ſemper mortis nuncia, ſi in petechiis acutorum accidit?

16. Cur ſcorbuticis frequens hæmorrhagia.

17. Cur in malignis, & peſtilentialibus morbis, hæmorrhagia, diſcrimen, in ardentibus ſalutem ſæpe portendit?

18. Num ſanguis pulveri ſympathetico miſtus; aut ligatio minimi digiti; aut nummus ex lapide hæmatitide; vel bufo nodulo ligatus; vel chartula cum hac inſcriptione. O. E. I. P. L. U. de collo ſuſpenſa; aut muſcus de cranio humano manu geſtatus, & centena hujuſmodi farinæ, compeſcent ſanguinem profluentem?

19. Qui obſervat ſanguinem effluentem per arteriam, propulſionem per ejuſdem partis venam minuere: 2. & inde arterias in hanc venam ſe exonerantes majorem reſiſtentiam invenire; 3. ramum alterum arteriæ ab eodem trunco venientem, minorem quantitatem ſanguinis eodem tempore recipere; 4. Vaſa ſanguinea tam ſubito contrahi non poſſe in magna & ſubitanea evacuatione ſanguinis, ut valeant ulterius pellere contentum: is facile concipit, per exiguam aperturam majorem ſanguinis evacuari poſſe quantitatem, antequam tota ſubſiſtat circulatio, quam per vas ampliſſimum.

TRACTATUS TRIGESIMUS TERTIUS.

De Menſtrua purgatione.

Definitio. I. SAnguinis ex pudendis mulieris ſanæ, maturæ ætatis, neque lactantis, neque gravidæ, ſingulis menſibus ordinarie recurrens fluxus, menſes & menſtrua purgatio dicitur.

Periodi initium. II. Quæ raro ante 12 annum conſpicitur, ſana niſi præmature virgo incrementum adepta fuerit: rariora hujuſmodi exempla citat Sennertus T. 3. pag. 51. Ordinarie in hac regione intra 14 & 18 ætatis annum viſuntur, imo uſque ad 26 annum vidi emanſiſſe ſine multo incommodo; ſed & tales ultra 50 annum purgari ſolent. In regionibus calidioribus (ubi etiam citius deficiunt,) in otioſis opipare viventibus, venere præmature abutentibus, maturius: Verum in regionibus frigidis, corporibus ſtrigoſis, macilentis, exercitatis, valetudinariis ſerius prodire ſolent. Secundo ſeptenario ergo regulariter incipiunt, & ſeptimo finiuntur.

Duratio. III. Triduum utplurimum durat evacuatio, quandoque ad ſeptimanam extenditur, genio indulgentibus, & otioſe viventibus atque plethoricis; verum parce & duriter viventibus citius diſparent iterum.

Reditus. IV. Singulis menſibus regulariter redire ſolent. Verum quandoque longius tempus inſumitur, imo una alterave vice intercalantur interdum, a partu, & in reconvaleſcentibus ſine ulla noxa. Alias citius periodum abſolvunt, ut in plethoricis, & ſalacibus, ſingulis 14 diebus vel & tardius, raro citius ſine labe morboſa.

Quantitas. V. Quantitatem ſanguinis effluentis ſingulis periodis haud facile eſt determinare; primis enim & ultimis periodis parcius, conſtanti ætate copioſius, corpore molli præditæ, otioſe & opipare viventes, ultra uncias ſexdecim ferunt: aliæ vero vix ultra ſex uncias evacuant; & quia linteis utplurimum recipitur, ponderari vix poteſt; mediocris eſt quantitas, quæ nullam relinquit corpori gravitatem, & vires non exhaurit.

Qualitas. VI. Fæmina ſana ſanguinem rubicundum, floridum, ſimilem ſanguini aliunde mananti evacuat. Sed in cachecticis, morbo uteri & vaginæ laborantibus, aut ſi remoretur in uteri cavo, fœtens, rodens, inquinans, imo venenatus ſanguis deſtillat: in leucophlegmaticis, Chloroſi laborantibus, inſtar ſeri vel loturæ carnis conſpicitur: in melancholicis quandoque niger.

VII.

VII. Naturaliter ſubſiſtunt 1. in gravidis. in copioſe autem purgantibus, quibus forſan & ex vagina ſanguis profluit, una alterave vice, imo toto geſtationis tempore menſes conſpiciuntur ſed raro. 2. In lactantibus, niſi iis, quæ copioſius purgari ſolitæ. 3. In vetulis poſt ſeptimum ſeptenarium, quando una alterave periodo intercalari incipiunt, dein omnino ſupprimuntur, raro ultra hunc temporis terminum protrahuntur. (multa exempla purgationis menſtruæ in vetulis citat *Sennert.* T. 3. pag. 49.) deficientibus tunc menſibus venæ ſectione ſubvenire ſolent medici prudentes quater in anno ſenſim minuendo quantitatem, & longiori intervallo, inſtituta. *Subſiſtunt.*

VIII. Inſtante menſtrua purgatione, & in principio ejus, hæc vel multa horum patitur fæmina. Ut ſunt Dolor lumborum & circa coxas, cum æſtu & gravitate harum partium; languor & laſſitudo, præprimis in cruribus; inquietudo; ventris inflatio; ad pudenda gravitas; mammæ ſororiantur; circulus lividus ſub oculis, palpitationes per totum corpus; caloris frigoriſque viciſſitudo; corporis oppletio, gravitas; anhelitus ad motum; affectiones hyſtericæ; ſyncope; aurium tinnitus; capitis dolor & gravitas; nauſea, vomitus, inappetentia; & multa alia hæmorrhagiam præſagientia. *Phænomena.*

IX. Qui examinat 1. Cauſam proximam horum §. VIII. *Requiſita quædam.*

2. Fæminarum corpora citius ſummum attingere incrementum, laxiora, molliora, ſucculentiora, teneriora, delicatiora, minuſque perſpirare.

3. Pelvim, ex oſſibus innominatis factam, multo majorem & ampliorem eſſe, quam in viris, uterum fere ſolum recipientem.

4. Uterum hærere in inferiori corporis parte, ab incumbente ſanguine maxime preſſum, ſtructuræ mollis, pulpoſæ, extenſilis, vaſculoſæ, quæ vaſa, ex ſpermaticis & hypogaſtricis provenientia, multis anaſtomoſibus inter ſe, & cum mammariis unita, nullis valvulis, ut alibi in corpore, prædita, inflexuoſe, & tortuoſe admodum totam uteri ſubſtantiam perreptant.

5. Uteri vaſa arterioſa partim deſinere in has venas, partim vaſcula tenuiora, humorem blandum, lubricum, mucoſum, ſatis craſſum, ſine glanduloſo organo in cavum uteri ſatis copioſe deponere; reliqua in glandulas exiguas deſinere.

6. Incipere menſes, cum corpus ad ſummum pervenerit incrementum, minuſque impendit incremento; deficere cum ætate; diſparere in lactantibus, magnas evacuationes paſſis, a morboque reconvaleſcentibus, & valetudinariis.

7. Augeri & minui purgationem cum vita lautiore & parciore, otioſa & exercitata.

X. Concludet certe ſanguinem hoc loco evacuari ex abundantia ſanguinis prementis dilatantiſque vaſa lateralia excretoria, ex arteriis provenientia, donec ſanguinem rubrum admittant & tranſmittant, in cavum uteri & quandoque vaginæ. *Ex abundantia.*

XI. Inſuper hic ſanguis non diſcrepat ab alio, qui ex aliis locis effluit, niſi quod humoribus quibuſdam naturaliter ibidem ſecretis admiſtus, infectus quandoque manat. *Non differt ſanguis ab alio.*

XII. Tandem ſolam abundantiam ſanguinis cauſam proximam eſſe fluxus naturalis, qui recurrit ex nova accumulata copia, ceſſatque ea detracta; qui incipit eo tempore, quo corpus fœmininum plus conficit, quam conſumit; & deficit tandem cum ætate, in qua hæc quoque cauſa ceſſat, nemo inficias ibit. *Cauſa proxima.*

XIII. Qui antecedentia intelligit, facile reſpondet ſequentibus. *Quæſtiones.*

1. Cur non omnibus fœminis eodem ætatis tempore menſes prodeunt?

2. Num menſtruatio a lunæ curſu?

3. Quibus menſes copioſiores & frequentiores?

4. Cur mulieribus copioſius purgatis etiam primis geſtationis menſibus vena ſecanda?

5. Num omnibus impregnatis menſes ſuppreſſi?

6. An ſemper morbi ſignum, ſi ſtatim a morbo vel a partu menſes non prodeunt?

7. Cur, ſi mulieres poſt 45 vel 50 annum pingueſcunt, non ita afficiuntur iis morbis, qui in hac ætate mulieres adoriri ſolebant?
8. Cur tantus conſenſus inter uterum & mammas?
9. Num menſes naturalis depuratio ſanguinis & reliquorum humorum?
10. Cur in gravidis & lactantibus menſes ſubſiſtentes non inferunt morbos?
11. Num fœmina infœcunda, quamdiu menſes non apparuere?
12. An menſes a fermento uterino?
13. Cur, & in quibus gravidis, & quando vena ſecanda, an in omnibus?
14. An ſine diſtinctione venæ inferiores & ſuperiores aperiendæ?
15. Quo tempore dantur emmenagoga cum fructu in menſibus ſuppreſſis?
16. Num ſanguis menſtruus abeat in nutrimentum fœtus?
17. Num ſanguinis fluxus ex pudendis ſemper in gravidis abortus ſignum?
18. Ex quibus vaſis ſanguis menſtruus fluit?
19. Num ruptione vaſorum menſes?
20. Num inde deficiunt tandem, quod totus uterus in cicatricem converſus.
21. Cur prima vice difficilius fluunt menſes, poſtea facilius.
22. Cur venæ ſectione, & hæmorrhagiis ſubſiſtunt menſes?

XIV. Quoniam ex Generali titulo ſanguinis profluvii ſatis pateant, quæ ſcienda ſunt de menſibus profluentibus, ideoque ſatius duxi nihil de his agere, quam præcedentia repetere.

TRACTATUS TRIGESIMUS QUARTUS.

De Menſtrua Purgatione ſuppreſſa & Retardata.

Cauſæ. I. SUbſiſtit in fœminis lunaris hic fluxus, vel ex naturali & ſanitatis cauſa, vel morboſa.

Naturaliter. II. Naturaliter ſubſiſtit ingraveſcente ætate, ut plurimum poſt 49 annum, gravidis, & lactantibus: his enim ſi menſes apparent, debilitant corpus, & inconſtantem graviditatem indicant; ex lactatione & ætate deficere menſes a quovis cognoſci poteſt.

Graviditate. III. Verum ex abſentia horum, & ſymptomatum menſes ſuppreſſos ſubſequentium, dum inſuper mammæ intumeſcunt, aut ſymptomata poſt tertium menſem minuuntur, & color faciei & appetitus reſtituitur, ab imprægnatione ſubſiſtere menſes cognoſcimus.

Cauſæ. IV. Qui naturalem menſium fluxum perſpectum habet, facile prævidet, cauſas eum retardantes, & ſupprimentes, ad hæc genera redigi poſſe.

Sanguinis defectus. V. 1. Sanguis ipſe ſi deficiat, ut paulo poſt partum, hæmorrhagias copioſiores quaſcunque, & venæ ſectionem, imo morbum aliquem vehementiorem, una alterave vice intercalari poſſunt menſes ſine ullo nocumento, ſi hoc tempore, ut quandoque ab incautis fit, exhibentur emmenagoga, præpoſteræ curationis luet pœnam ægra: pellitur enim ſanguis, quum nihil agere ſatius fuiſſet.

Humorum evacuatione. VI. Aliorum quoque humorum abundantiori evacuatione, per alvum, veſicam, cutim, os, ex ulceribus, abſceſſu, fiſtulis, aut collectione in cavis hydropicorum, defectus humorum natus, vel minuit quantitatem, vel procraſtinat reditum, imo integre ſufflaminat ſæpe effluxum naturalem. his ſine multa moleſtia ſubſiſtunt menſes, & emmenagogis provocati plus damni quam emolumenti adferunt. ut & in iis, quæ a morbis reconvaleſcunt, chroniciſque morbis diu vexatis.

Humorum craſſities. VII. Frequentiſſima fere omnium cauſarum, quæ ſupprimit menſes & retardat, eſt humorum tenacitas, & pituita dicta, victu humido glutinoſo, incraſſante, vel motu animali languido, vita otioſa, inertiaque ſolidorum, acquiſita; ex pulſu languido, raro, debili, ſomnolentia, pigritia, pituitoſorum humorum excretione, colore pallido, corporiſque frigiditate, ſimilibuſque ſignis cognoſcenda:

atque

atque reſolventibus viſcidum, ſtimulantibus ſolida, frictionibus, corporiſque exercitiis curanda: dein emmenagogis appropriatis menſes provocandi. Purgantia reſolventia in hoc caſu etiam multi uſus; verum ſanguinis miſſio raro quidquam boni, niſi ad ingreſſum medicamentorum parandum, præſtat.

Cruditas.

VIII. Humores quoque a ſolita craſi alienati, crudi, in ſcorbuticis, chronicis, cachecticis, aliiſque, ſæpe ſupprimunt menſes, non niſi curato prius morbo provocandi.

Inertia ſolidorum.

IX. Solidorum inertia minori velocitate ſanguinem pellens ad hæc vaſa, quam ad eorum dilatationem requiritur; ſimulque generans viſciditatem in vaſculis tenacius hærentem; ſive hoc morbis acutis vel longis, aut mæſtitia diuturniore, animi pathematibus aliis circulationem retardantibus ſive abuſu laxantium & refrigerantium, vitiataque concoctione, & intermiſſo corporis motu, fuerit natum, fere eandem, ut prior, exigit curationem.

Contractione ſolidorum.

X. Fæminæ macilentæ, ſiccæ, robuſtæ, multis laboribus exercitatæ, viragines, & ob ſanguinis denſitatem phlogiſticam, ſolidaque plus ſatis reſiſtentia, menſium emanſione laborant; a ſolitis emmenagogis magis retardantur; ſed V. S. nitroſis, laxantibus & humectantibus exhibitis & pudendis applicatis provocantur.

Anguſtia vaſorum.

XI. Juvenculæ tenellulæ, & quæ nunquam pepererunt, parce admodum, vel omnino non purgantur: ferunt diu hanc ſuppreſſionem ſine multo incommodo, niſi quod valetudinariæ ſint. Expectandum, donec ad majorem molem excrevit corpus, quum præmature proritati menſes ſpem ſanitatis recuperandæ eludunt.

Mobilitate ſolidorum.

XII. Ut aliæ fibræ corporis quadam mobilitate conſtringuntur, ita & utero hoc idem contigit in hyſtericis, contractionibus ſpaſmodicis obnoxiis, flatu, murmuribus præcordiorum, lumborumque doloribus, vexari ſolitis: hæ ſolent ſingulis periodis variis ſymptomatibus vexari: quæ ſi compeſcantur methodo in mobilitate ſolidorum deſcripta, ſponte ſua prodeunt menſes; quum fortioribus emmenagogis pertinaciſſime reſiſtant.

Obſtructione.

XIII. Inter cauſas externas frequentiſſima, frigus ſubito admiſſum, maxime corpore prius excalefacto, ut & terror ſubitaneus, Venæ ſectio, fomenta, ſuffumigia, ſemicupia humectantia, emollientia in his adhibenda: hæ utplurimum lumborum dolore, gravitate, calore, ventris inflatione, caloris frigoriſque viciſſitudine, pulſationibus in lumbis & per totum corpus, hæmorrhagiis per alia loca inconſueta vexari ſolent; qualia etiam conſpiciuntur in iis, quarum uterus poſt ulcus cicatrice obductus eſt, aut a tumore obſeſſus.

Effectus.

XIV. Symptomata poſt menſium ſuppreſſionem prodeuntia triplicia ſunt. 1. Quæ conjuncta ſunt cauſæ ſuppreſſionis enarratæ. 2. Ex mera ſanguinis abundantia proveniunt. 3. Ex humorum mutata indole ſuperinducta.

In Capite.

XV. Caput dolet ad ſinciput præprimis & occiput continuo, ſed veſperi gravius, cum quadam gravitate & diſtentione. Si in ſincipite ſit, oculi ſimul tument; verum in occipite, dolori cervicis, dorſi, ſcapularum, & lumborum cum pedum tumore jungitur.

In Cerebro.

XVI. Cerebrum petens, apoplexiam, ſyncopen, delirium, ſoporem, convulſionem, ſomnolentiam, vertiginem, vigilias, inducit, in oculis gravitatem, tumorem, viſus obnubilationem, inter dormiendum ſæpe dentes ſtrident.

Collo & pectore.

XVII. In collo frequentiſſime angina, dolor, ſuffocatio; in pectore aſthma, anxietas, dolor, palpitatio, reſpiratio difficilis anheloſa, tuſſis, fiunt.

Ventre.

XVIII. Ventris inflationes, & dolores colici, flatus, murmura, præcordiorum tumor: ſtomachi appetitus dejectus & faſtidium permanens, quod tertio menſe deſinere ſolet in gravidis, nauſea; vomitus, & quidem ſanguinis, quo liberatæ ſunt a capitis dolore, citta, malacia, lumborum gravitas, & dolor circa ſpinam dorſi, demum accedunt.

Alvo. Urina.

XIX. Alvus ſupprimitur: urina craſſa cruda ſtrangurioſa; quandoque nigra craſſa cum levamine emiſſa; ſana enim in ſuppreſſis menſibus graviditatis ſpem adfert.

XX.

Pube. XX. Ad pubem & inguines dolor, uteri inflammatio, gravitas, tenſio, gangræna, fluor albus, ſeri ichoroſi in cachecticis & ſcorbuticis.

Extremis. XXI. Crura ſæpe tument, & pedes ulceribus mali moris varicibuſque tentantur, & articulorum dolore.

Toto corpore. XXII. Corpus tumet cachectico œdematoſo tumore, vel macreſcit; pallent; phlogoſi tentantur; horrent, hyſterica paſſione vexantur, imbecillitas & pigrities; anhelitus ad minimum motum; corpus grave, frigidum, iners; febris lenta, hectica, humores plerumque in acidam acrimoniam degenerant, quo ſudores acidum ſpirantes, & coraſſia rubra geſtata exalbeſcunt; excrementa viſcidiora conſpiciuntur vel corrupta; pulſationes & palpitationes per totum, ſed maxime cordis, patiuntur; quandoque hirſutæ fiunt, imo barbatæ, & vox rauca, virilis.

Abſumtio abunde. XXIII. His ſanguinis ſputum minus periculum portendit: ſanguis ſæpe per aliena loca cum levamine evacuatur: ejus color varius ex concomitante cauſa, vel corruptione ſuperinducta. Si naturaliter in vetulis deficere incipiunt, & inde pingueſcunt, raro aliquid mali pati ſolent.

Curatio V. S. XXIV. Phlebotomia raro quidquam boni in menſibus ſuppreſſis præſtat, niſi a cauſa externa ſuppreſſi, aut ſi ab uteri obſtructione ſubſiſtant cum ſignis abundantiæ ſanguinis in corpore: & tunc quidem plane in principio atque in pede inſtituenda: verum in brachio vetulæ ſecanda vena, ſi naturaliter deficiant menſes, quando etiam ſine periculo omitti nequit ſanguinis miſſio.

Purgantia. XXV. Cathartica autem præſtantiora ſunt: ſæpe enim glutinoſum corruptum hæret in primis viis, quod educitur iis; & determinatio fit ad uterum. verum ex humorum defectu ſi deficiant, ab omni evacuatione abſtinendum.

Anodyna. XXVI. Anodyna menſibus ſuppreſſis ex criſpatione ſolidorum egregie opitulantur, qui fruſtra fortiſſimis emmenagogis tentantur.

Laxantia. XXVII. Imo laxantia, humectantia, mollia, malagmatis, fotus, aut cataplaſmatis forma admota, provocant menſes ex conſtrictione vaſorum valida ſuppreſſos.

Emmenagogoga. XXVIII. Si ex viſciditate humorum, & ſolidorum inertia ſubſiſtunt menſes, præmiſſis reſolventibus, ſtomachicis, incipiendum a lenioribus Emmenagogis eo tempore, quo menſes fluere ſolebant, vel ſigna fluxus futuri apparent, in fœmina matura, nec gravida nec lactante, neque in iis, quibus ſanguis deficit, aut in perinfirmis.

Generalia. XXIX. Ad uterum determinant *Radices* angelicæ, aſparagi, valerianæ, rubiæ tinc orum, Dictamni, gentianæ, cyperi, aſari, bryoniæ, ari, ariſtolochiæ, pæoniæ. *herbæ* matricariæ, artemiſiæ, capillorum veneris, majoranæ, meliſſæ, mercurialis, ocymi, origani, ſabinæ, ſcarleæ, ſcordii, trifolii odorati, ſalviæ, rutæ, abrotani, polii montani, meliſſophylli, Dictamni cretici, nepetæ, arboris vitæ, roſmarini, pulegii, calaminthæ. *Semina* agni caſti, baſiliconis, pæoniæ, rutæ, lauri, leviſtici fœniculi, juniperi, ameos, *flor.* anthos, croci, calendulæ, matricariæ, abrotani, abſinthii, centaurei minoris, ſpicæ. *Gummi:* aſſa fœtida, bdellium, galbanum, myrrha, ſuccinum, opopanax, ſagapenum, ſtyrax calamita, terebinthina, olibanum, maſtiche. *Animalium partes:* cantharides ſed caute. teſticuli equi, caſtoreum, moſchus. *Salia*: boras ad ℈i, regeneratur Sennerti, polychreſtus, volatilis ſuccini, cornu cervi, urinæ. ſal. vol. oleoſum. *olea* deſtillata; aniſi, fœniculi, angelicæ, ſuccini, ſabinæ, juniperi. *Sapones* alcalini. ex quibus formulæ variæ fieri poſſunt.

XXX. Dum hæc fiunt, topicis promovendus fluxus, peſſariis, ſuffumigiis, fomentis & ſimilibus, in quibus ſemper obſervandum, a leniſſimis, ut incipiamus, & cavendum, ne uterus inflammetur a nimia acrimonia applicati, imo & his nutptiæ legitimæ ſuadendæ.

Quæſtiones. XXXI. 1. Cur hydropicis utplurimum menſes deficiunt?

2. Cur reconvaleſcentes ex menſium emanſione paucioribus ſtipantur ſymptomatibus?

3. Cur

3. Cur ſi quis ulcus aut vulnus habeat, periodi tempore, dolore, tumore, ſaniei effluxu, & levi inflammatione ibidem tentatur?

4. Num ſemper deficientes menſes proritandi?

5. Quomodo adſtringentia calida & Chalybs fiant emmenagoga.

6. Num ſanguinis abundantia valeat ſupprimere menſes, ut auctores præcipiunt?

7. Num mulieri, quæ neque prægnans eſt, neque peperit, lac habenti menſes defecerunt. Hypp. ſect. V. aph. 39.

TRACTATUS TRIGESIMUS QUINTUS.

De Hydrope.

Definitio.

I. *Hydrops* & *Hyderos* ſignificat majorem humoris aquoſi, ſeu ſeroſi & phlegmatici, collectionem in parte quadam, vel toto corpore, quæ pro parte obſeſſa inſuper alia accipit nomina.

Humoris natura.

II. Hic humor non ſemper eandem ſervat indolem; eſt enim aquoſus, tenuis, ſeroſus, pituitoſus, flavus, ſanguinolentus, virideſcens, inodorus & graveolens, mitis & rodens, majori, minorique quantitate, quæ varia præbent prognoſtica.

In quibus vacuis colligitur.

III. Colligitur hic liquor. 1. In vaſculis venoſis lymphaticis dilatatis. 2. In cellulis pinguedinoſis inter cutim & muſculos, & inter hos ipſos. 3. Membranas maxime dilatat quandoque, inde veſiculas aqua turgentes, hydatides dictas, fabricat. 4. Aut alias integram partis ſubſtantiam adimplet, in vaſculis ſuis minimis lymphaticis arterioſis & venoſis. 5. Frequentiſſime corpuſcula glanduloſa infarcit, eaque ſæpe in molem ingentem extendit. 6. Aut colligitur in cavitatibus quibuſdam; vel copioſiori humoris ibidem depoſitione, quam eſt ejus abſorptio; vel vaſculis ruptis laticem effundentibus.

Cauſæ.

IV. Cauſæ aquam colligentes multæ citantur, quæ in has claſſes digeſtæ, & cognitioni & curationi præbent emolumentum.

Seri circuitus impeditus a ſcirrho.

V. 1. Quæ ſeri circulationem per venas intercipiunt: colligitur tunc omnibus in vaſis lymphaticis in hanc venam evacuantibus, aut in cavis & cellulis, quæ in hanc venam cruentam ſe exonerant: ut obſtructiones, & ſcirrhus lienis, qui quandoque feliciter tollitur fotu calido aquæ calcis, aliarumque glandularum & viſcerum tumores venam cavam aliquo modo prementes; tunc venter, pedes & crura extolluntur tumore œdematoſo, partes vero ſuperiores extenuantur: ſiniſtrum hypochondrium durius, a cibo aſſumpto ſtatim oppleti ſunt: & quoniam hi tumores ut plurimum ſcirrhoſi, ad horum ergo reſolutionem magis, quam ad ipſam intumeſcentiam, curatio dirigenda reſolventibus.

Ab hepate obſtructo.

VI. Ab Hepate vero obſtructo, a ſcirrho, contuſione, infarctione materiæ craſſioris, ob interceptum circuitum lymphæ in venam portarum venter inferior præprimis impletur, dextrum intumeſcit hypochondrium, ſæpe tuſſim movet, & alvus conſtipatur ob bilis defectum, ut plurimum cachecticus color accedit. Iiſdem reſolventibus ſcirrhus ſolvendus, atque humorum & bilis viſciditas attenuanda. Si vero ab inflammatione hepatis, eryſipelate, & bile putrefacta fiat, refrigerantia, reſolventia magis, & quæ alvum ducunt, exhibenda, non vero diu.

Obſtructione meſenterii.

VII. Qui incipit a laterum mollitudine, huic primo pedes intumeſcunt, & alvi profluvia patitur ſine levamine, dolorem laterum & lumborum non ſolventia, quod lymphæ circuitus per meſenterii lactea ſit interceptus: omni ope tentandum ut referetur illarum glandularum obſtructio.

Obſtructione particulari.

VIII. Ita etiam aliis in partibus corporis a venarum compreſſione partes inferiores intumeſcunt, venæ varicoſæ fiunt, quandoque livent.

Laxitate.

IX. 2. Tonus ſolidorum laxatus, ſive naturalis in fœminis puerisque, ſive ab aliqua cauſa natus, frequens hydropis, maxime anaſarcæ vel Leucophlegmatiæ

ſive

ſive aquæ inter cutem, cauſa, quamvis & ab aliis generetur, ut patebit. Duplicem hoc genus hydropis continet humorem, vel primo tenuem, pellucidum, partes eo impletæ foveas impreſſi digiti vix retinent: his caro mollis, pallida, frigida, partes ad candelam pellucent. Vel 2° viſcidum, tenacem: partes hoc glutine infarctæ difficilius & lentius cedent digitis, ſed & foveas retinent tarde reſurgentes partes preſſæ, urinæ ut plurimum tenues albæ, crudæ; reſpiratio tarda anheloſa; indolentia, niſi aliquam putredinem contraxerit humor, quando febris & dolor atque calor ſæpe accedunt. Ita vel totum corpus vel aliquam ejus partem afficiunt. Si viſcidus ſit humor, hic primo ſolvendus, dein ut alius tenuior e corpore pellendus, diſcutientibus, diureticis, purgantibus, vomitoriis, ſudoriferis, ſcarificationibus, frictionibus, exercitatione corporis, (quorum omnium uſus infra exponetur) educta aqua corpus roborandum, ut in laxitate dictum eſt.

Inertia. X. 3. Solidorum inertia & oſcillatione minore ſæpe accumulatur lympha, quando hepatis accuſatur frigiditas, abuſu humidorum refrigerantium, effuſione puris copioſiore ex abſceſſu vel ulcere, maxime interno, morbis chronicis diuturnioribus & cachexia, quando pedes primo intumeſcere ſolent, quemadmodum etiam in ſcorbuticis, generatur. Podagricis quoque paroxyſmum ſæpe paſſis, præprimis ſpirituoſæ potationi dicatis, ſupervenit, ſi ad aquæ potum ſe nimis ſero conferunt: ſolida inertia ſtimulo exagitanda.

Febri. XI. 4. Ex febribus intermittentibus, hæmitritæa & quartana autumnali, præprimis, ſi frequentius purgatur æger, hydrops generatur; unde Hipp. a. 335. *æſtate Dyſenteriæ multæ ac levi profluvia incidunt, & febres quartanæ diuturnæ. hi autem morbi prolongati, tales naturas ad hydropas deducent, ac occident.* hujuſmodi hydrops a purgantibus intenditur, illaque febrem recidivare faciunt, aut in continuam mali moris convertunt: ſed medicamentis adſtringentibus, calidis, ſtomachicis, & antiſcorbuticis, corpus roboratum aquam ſponte expellit. Si vero ſub hoc ſymptomate deliteſcat febris quartana, fruſtra etiam hæc ſuſcipitur curatio niſi prius bene exſtincta febre ſuo antidoto, quo facto ſine ullo alio auxilio omnem aquam ſua ſponte brevi tempore per urinæ vias evacuatam fuiſſe ſæpe vidimus.

Tritæophyæ febres poſt longum tempus, multoſque labores, & colliquationem aſſiduam tandem in dyſenteriam, teneſmum, & hydropem deſinunt, qui morbi ex acutis febribus fiunt, doloroſi ſunt & pernicioſi, & febrem non ſedant. Hoc genus, ob majorem calorem & ſiccitatem, cardiaca grata refrigerantia indicat, quamdiu perdurat febris.

Sanguinis evacuatione. XII. 5. Humorum copioſior evacuatio, ut ſanguinis in hæmorrhagiis profuſis, menſium & lochiorum profluvium, ſæpe generat hydropem. *Cui multum ſanguinis ſurſum ac deorſum eruperit, & febris inſuper acceſſerit, eum multa aqua repletum iri timor eſt. Atque hic hydrops breviſſimi timoris eſt, & ex quo pauciſſimi evadunt. H. a.* 496. etiam artificiales ſanguinis miſſiones in aſthmaticis & podagricis inſtitutæ, quamvis pleuriticorum ſanguinem referat in paroxyſmo juvenis excalefacti eductus, hydropem generant. fruſtra tentamus ab hac cauſa hydropem purgantibus ſuperare; ſed abſtinentia a potu, victu exſiccante, medicamentis roborantibus, tandem etiam chalybeatis, exercitatione corporis, diſcutitur.

Alvi fluxu. XIII. *In bilioſis alvus turbata; egerens parva genituræ ſimilia, mucoſa, & dolorem circa pubem vel tenue inteſtinum inducentia, & urinæ non facile prodeuntes, in hydropem deſinunt H. a.* 267. *&* 589. Dyſenteria Lienoſis ſuperveniens bonum, ſin autem diu durat, in lienteriam & hydropem tranſit. *Dyſenteria & lienteria venter aqua impletur. H. b.* 175. Ex purgantium perverſo uſu periculoſus: æquilibrio enim inter ſolida & fluida nimia evacuatione ſublato ſolida minus premunt fluida, boni humores colliqueſcunt, nova ingeſta non aſſimulantur, ſolida laxantur, motus vitalis languet, tenues aut viſcidi humores in laxatis & inertibus vaſculis & cellulis colliguntur.

XIV.

XIV. Ut ab his, ita ab aliis præterea evacuationibus profuſioribus hydropes generantur, minus tamen frequentes ſunt, quoniam per alias excretiones ſimul tenuiſſima humorum abſumitur pars. Qui præcedentem poteſt curare hydropem a ſanguinis profluvio, hunc quoque curare poterit. *Omni evacuatione copioſiore.*

XV. 6. Si contrario modo, humorum ſcilicet abundantia deſtruatur æquilibrium inter ſolida & fluida, etiam hydropem fuiſſe natum comprobat experientia practica, ut in menſium emanſione, lochiorum, hæmorrhoidum aliarumque ſanguinis ſolitarum evacuationum ſuppreſſione: præprimis ſi ſiſtatur humoris tenuioris effluxus ex ulcere rheumatico; ſi urina parce prodeat in morbis pectoris. Hic quoniam hydrops cachexiæ conjunctus, quandoque prius ſolvendi humores, alias acre corrigendum, demum educenda aqua per alvum aut urinam: ſatis extenuato corpore ad roborantia deveniendum. *Suppreſſione.*

XVI. 7. Abuſu aquæ præprimis tepidæ, fructuum horæorum, omniumque ſaponaceorum aceſcentium ſanguis attenuatus, in ſolidis laxatis veſiculis & lymphaticis vaſculis colligitur, abſtinentia a potione aquoſi, moderato uſu vini & ſpirituoſorum atque aromaticorum, roborantium chalybeatorum, alvi ductione iis, quæ ſimul roborant, frictionibus, corporiſque exercitatione, reſtituitur ſanitas. *Aquæ abuſu.*

XVII. Abuſu calidorum, & ſpirituum fermentatorum ſolida nimis ſtimulata tandem flacceſcunt, maxime ſi ſubito in diætam refrigerantem ſe conferunt: humores etiam a ſpirituoſis coagulati ſolitam craſin amittunt, ad hydropem generandum proni. Cavendum in his ne nimis refrigerantibus curatio ſuſcipiatur; ſed aromaticis mitioribus, ſpirituoſis, roborantibus, calidis, ſuſcipienda curatio; ſenſim ad magis refrigerantia deſcendendum, & minorem ſpirituoſorum ingeſtionem. *Spirituoſorum & Calidorum abuſu.*

XVIII. 8. Humorum viſciditas, pituita alba dicta, ſeu Leucophlegmatia, ſive ex diuturnis palpitationibus cordis, ejuſque polypo, ſive defectu pulmonis, ut in aſthmaticis, ſive inertia bilis, vel alia cauſa fuit nata, ob majorem adhæſionem ſolidis, in minimis vaſculis & veſiculis tandem accumulatur, tumorem mollem, frigidum, etiam noctu non diſparentem, digiti impreſſi veſtigium diu retinentem, excitat: ſtimulantibus, diſcutientibus, reſolventibus, frictionibus, fomentationibus penetrantibus prius ſolvenda viſciditas, dein purgantibus, vomitoriis, diureticis, ſudoriferis, phlegmagogis evacuanda; poſtea corpus roborandum, ne recidivet. *Viſciditate.*

XIX. 9. Hæc omnia fieri poſſunt genera vaſis integris permanentibus, ſed etiam iis ruptis in cava effundentibus ſuum liquorem periculoſiſſimus hydrops inducitur, ut a geſtatione ponderis gravioris, concuſſione hypochondrii, duriori pertractatione capitis infantis in partu, vulnera, humores acres vaſa perrodentes, circulatio vehementior, ut in acutis, obſtructio tranſitum lymphæ intercipiens, & multa alia. Ita ex veſiculis ruptis venter impletur aqua: hic omnium periculoſiſſimus, educta enim aqua, ex ſcaturigine aperta ſemper nova ſuppeditatur aqua, ſatius eſt nihil agere, quam paracentheſi præmaturam mortem arceſſere. *Vaſis ruptis.*

XX. 10. In cavis etiam colligitur aqua, ſi naturalis abſorptio humorum intercipiatur, ſive hoc fiat viſciditate humorum oſcula abſorbentia obturantium, ſive defectu motus vitalis in vaſculis liquorem propellentis; quod ex humorum viſcidorum notis & frigiditate corporis cum inertia & pigritia deducimus. Viſcidum ſolvendum, inertia ſolida ſtimulanda, vires ſuffocatæ erigendæ, liquor ob nimiam tenacitatem fluctuatione ſua vix indicia præbens difficile paracentheſi educitur, ſed validioribus diſcutientibus eliminanda. *Defectu abſorptionis.*

XXI. Latex ſeroſus hydropicorum pro ſua natura, cauſa & loco, varia præbet indicia, ut generale aliquid non liceat proponere. *Effectus.*

XXII. Œdema etſi omnem tumorem indicat, a medicis tamen ille dicitur, qui tumor eſt mollis, laxus, indolens, albus, frigidus, foveam retinens impreſſi digiti. In omnibus conſpicitur corporis partibus, præprimis in extremis & palpe- *OEdema.*

bris, continens humorem pellucidum viſcidum; nam a vapore contento Emphyſema vocatur.

Curatio. XXIII. Generatur ut generalis hydrops ſine vaſorum ruptione: Curatur frictionibus, ſuffimentis, linimentis fomentiſque penetrantibus, ligaturis ſuſtentantibus, locata parte in altiori ſitu; purgantibus hydragogis, applicatione roborantium, adſtringentium, aluminoſorum; interne ſolida roboranda, ſtimulanda, & viſciditas ſolvenda.

Hydrocephalon externum. XXIV. Talis Tumor ſi integumenta capitis obſideat, cutis incraſſatur, pallet, mollis, frigida, pellucidaque redditur. Si vero colligitur in panniculo adipoſo, (quod ſæpe agyrtæ æmulantur injectione aquæ facta per exiguam aperturam circa nucas, imponentes ſtupido vulgo) cutis minus pellucida, laxius cohæret cranio, infantibus frequentior, ex difficili partu: & duriori pertractatione obſtetricis. Quandoque partes hæ contuſæ fere ſimilem intumeſcentiam faciunt; ſed liquor contentus loturam carnis refert; alias putreſcit, ex aere artificiali putrefactione genito emphyſema producit. Non multum periculi portendit, ligatura modice ſuſtentatus tumor, & applicatione diſcutientium ſuperatur, maxime ſi interne exhibeantur purgantia hydragoga: ſin vero obſtinate reſiſtat ad inuſtionem, & punctūram deveniendum, niſi gangrænæ metus ea inſtituere prohibeat. ſi loci ſub oculis aut ipſæ palpebræ intumeſcunt, hydrophthalmion vocatur; ipſius autem oculi excreſcentiam ab augmento humoris aquei hydrophthalmiam vocant, quæ epithemate & collyrio adſtringente curanda.

Internum. XXV. Cerebri membranæ, ejuſque ſubſtantia propria ſi hac lympha turgeat, vel ſi colligatur inter has & inter cranium, vel has & cerebrum, aut in cerebri ventriculis, nullus fere externe conſpicitur tumor, frons extrudi videtur, tument palpebræ & oculi, lachrimæ copioſiores, ſenſus hebetiores, & ſomnolentia, quandoque futuræ dehiſcunt, dolor acutus per ſinciput & tempora, ſi ſurrexit, vertigo corripit, aures tinniunt, cutis capitis attenuatur, vomunt pituitam, quandoque cibum, neque ventum neque ſolem ferunt. Præcedenti methodo curandum, ſi poſſibile, difficilius enim diſcutitur.

Angina. XXVI. Si faucium membrana mollis admodum & ſpongioſa, aut uvula, tonſillæ, glandulæque ibidem ſitæ, quæ copioſæ, ab hac materia pituitoſa obſeſſæ ſunt; tumore ſuo molli vel deglutitionem vel reſpirationem moleſtam faciunt, fauces, uvula, tonſillæ conſpectu alba, tumidaque apparent. Protinus, quia ſuffocationis periculum imminet, 1. Reſolvenda eſt viſciditas, fomentis, cataplaſmatibus, collutionibus, gargariſmatibus, vaporibus, apophlegmatiſmis ex reſolventibus & adſtringentibus atque incidentibus conſtantibus. 2. Et aliunde derivandus humor purgantibus & diureticis, hydragogis cauteriis, fonticulis, ſetaceis, cucurbitulis, veſicatoriis, epiſpaſticis.

Bronchocele. XXVII. Qui tumor, ſi partes anteriores aſperæ arteriæ glandulamque thyroideam occupat, viſu tactuque facile detegitur, & ut hydrocephalon integumentorum curatur.

Pulmonum & pectoris. XXVIII. Medius venter frequentius, quam incautus judicaret, hydrope tentatur, qui pro varia ſede non ſemper eadem præbet phænomena: quandoque colligitur in pericardio, hydrocardia tunc dicitur, anxietatem inducens, cordis palpitationem, & lipothymiam frequentem. 2. Aut in alterutro vel utroque cavo pectoris ſimul, vaſis lymphaticis ruptis, vel ex hydatidibus exſtillat, vel vaſis abſorbentibus obſtructis accumulatur aqua, quæ, tenuis ſi ſit, fluctuatione concuſſo corpore, ſui indicia præbet: magis vero glutinoſa difficile cognoſcitur: ut & ille qui implet 3. Membranam internam bronchiorum ejuſque glandulas; vel 4. Colligitur in cellulis pulmonum vomicas formans vel hydatides.

Signa. XXIX. Ex ſequentibus obſcuriſſimus hic morbus detegitur. Si reſpiratio difficilis primo ſomni tempore invadit, eumque intercipit, noctu magis urget, ut aerem apertum quærere debeant ægri, mane vero lenitur; Inſpiratio difficilior exſpiratione; anxietas & gravitas pectoris; tuſſis ſicca inanis; faciei calor perit,

vultus

vultus intumeſcit ; ſæpe brachium reſolvitur , torpet quandoque , latus dolet ; pedes tumere incipiunt ; ungues contrahuntur ; quibuſdam venter, & ſcrotum intumeſcunt ; fauces exaſperari videntur ; rigor ac febris ſuccedunt , & orthopnœa : quandoque ad latus intumeſcit , & indicat , ubi ſecare oportet : ſequi ſolet aſthma diuturnum convulſivum , alioſque morbos pectoris , ſi urina parcior procedat ; hydropem capitis & ventris inferioris ; frigidamque potationem.

Exitus.

XXX. Si ruat in alvum aqua , videntur levari , verum alvus poſtea iterum conſtipatur , & morbus recidivat , atque pereunt ; per copioſiorem autem urinæ evacuationem curati ſunt , & tumore crurum levantur .

Curatio.

XXXI. Humoris evacuatio tentanda eſt præmiſſis reſolventibus ſi opus , diureticis atque ſudoriferis, imo excitatione ſudoris , accenſo ſpiritu vini ; tumore in cruribus excitato ; quandoque paracentheſis ſanat , ſi in cavo pectoris hæreat .

In inferiore ventre.

XXXII. In ventre inferiore plura ſunt loca & viſcera , in quibus hydrops generari poteſt , & hic etiam frequentius conſpicitur , quam alibi , hinc & ex varia humoris indole, varia proveniunt ſymptomata in aſcitide.

Aſcites.

XXXIII. Si enim aqua aſcitis in cavo ventris colligitur , abdomen mole augetur , ægri converſione , compreſſione lateris , murmur fluctuantis percipitur , moles ſemper deorſum vergit, ut uterus aqua plenus perpetuo manet , quibus enim tumor augetur & minuitur , vaſis integris continetur aqua , & magis convaleſcunt . Scrotum utplurimum & pedes intumeſcunt ; ſuperiora extenuantur : Tumor cum lunæ phaſi quandoque increſcit: incipere ſolet cum tumore œdematoſo pedum , mane evaneſcente , in cachecticis : quamvis & hoc gravidis & menſium emanſione laborantibus frequens.

Effectus mole premente.

XXXIV. Aqua ſua mole premens diaphragma difficilem reddit reſpirationem in decubitu .

Defectu tenuis.

XXXV. Maſſa ſanguinis privata humore tenui , urinæ fiunt paucæ craſſæ atque turbidæ ; ſaliva parcior ; ſitis moleſta .

Corruptione.

XXXVI. Sin vero aqua diuturniori mora corrumpi incipiat : urinæ acrimonia ſtranguria generatur ; febris accenditur , vel lenta hectica , vel ardens ; tuſſis inanis abſceſſus vel maculæ in cruribus erumpunt ; viſcera in putrilaginem convertuntur ; partes gangrænoſæ fiunt ; ulcera excitantur difficilia ſanatu ; tandem convulſiones ; cardialgia ; vox intercepta ; deſipientia ; cibi faſtidium ; ſtrangulatio cum ſtertore ; mors.

Laxatis ſolidis.

XXXVII. Si modo diu duret , ſolida laxat , enervat , diſtendit ; ſenſim difficilius curatur & ad recidivandum pronus ; quod ſi fiat , deſperatum eſt ; omneſque functiones languidiores reddit .

Evacuatio.

XXXVIII. Aqua hæc vaſis abſorbentibus recepta , ſi non nimis corrupta , in inteſtinorum vaſa depoſita , vel renes , ſponte ſua , vel catharticis , hydragogis , & diureticis eo ducta ſæpe ſolutionem attulit : alias apertura in ſcroto vel umbilico facta , exantlata fuit : cavendum ne acervatim effluat .

Signa bona.

XXXIX. Antequam curatio ſuſcipitur , quæ bonum in hydropicis præſagium præbent , cognoſcere oportet : ut appetitus vigens ; alimentorum facilis coctio ; reſpiratio facilis , ſine dolore ; corpus æqualiter tepidum ; melius eſt , partes externas aliquantulum intumeſcere , quam colliquari , præſtat tamen nihil horum habere ; venter mollis , ſine tuſſi & ſiti , lingua ſit humida etiam a ſomno ; alvus exoneret fæces conſiſtentes , non nimis laxa , reſpondeat medicamentis ; urina reſpondeat potioni ; laboris tolerantia , laſſitudinis exors . Multa horum ſi adſint ſpes eſt , pauca vero periculum , nulla mortem præſagiunt .

Curatio.

XL. Si multa ſigna bona adſint , & humor contentus non nimis glutinoſus . 1. Ejus tentanda eſt evacuatio Diureticis , purgationibus , hęmeticis , paracentheſi ; emiſſariis novis , diſſipantibus . 2. Novam generationem præcavere debemus potus paucitate & indole , victuque exſiccante . 3. Corpus ab aqua liberatum roborandum : de quibus omnibus in generali curatione .

In omento. XLI. Si in hydatidibus vaſculiſque lymphaticis dilatatis, celluliſque pinguedinoſis omenti colligatur aqua (de meſenteria enim (VII) hepate (VI.) & liene (V) actum eſt) venter circa præcordia intumeſcit, circa pubem autem gracilis, aggravatur ſtomachus ab ingeſtis, reliquum corpus macreſcit, tandem œdematoſum fit, nulla percipitur fluctuatio.

In peritonæo. XLII. Si autem in peritonæi formatis hydatidibus hæreat, fere eadem conſpiciuntur, ſed totus venter æqualiter intumeſcit. In his, quoniam viſciditas ſumma adeſt plerumque, prius reſolvenda eſt tenacitas, dein educendus humor: ſed paracentheſis nihil juvat.

Uteri & ovarii hydrops. XLIII. Poſt menſium lochiorumve obſtructione & ex horum profluvio, vel a partu difficiliore & abortu, in fœminis annoſis, ſi exoriatur tumor in infimo ventre, tibiis, & lumbis, ſenſim increſcens, totum ventrem adimplens, ſine dolore, mollis, æqualis, ſenſim majorem moleſtiam creans; mammæ flacceſcant, faciei color vividus pereat; os uteri clauſum gracile & humidum ſit; menſes integre ſubſiſtant vel pauciores & pravi fiant, & ante tempus deficiant, ſintque aquoſi non valde cruenti; & præprimis ſi aliquo tempore magnam humoris ſeroſi quantitatem per pudenda emittant; tandemque dolor in imo ventre & lumbis & laterum mollitudine generatur, his judicandum eſt, uteri ſubſtantiam vel ejus cavum plenum aqua eſſe. qui vero hydrops ovaria occupat, ſterilibus aut annoſis plerumque mulieribus frequens, difficilis cognitu & curatu, plerumque in aſciten tranſit. Præter generalem hydropis curationem, hæc ſpecies diuretica, emmenagoga, & aperientia poſtulat.

Alii tumores. XLIV. Quomodo alii ventris tumores ſcirrhoſi, inflammatorii, carnei, ventoſi, molæ, & graviditates, & cognoſcuntur & ab his diſtinguuntur; ex comparatione horum manifeſtum evadet.

Hydrocele in integumentis. XLV. Si aqua colligatur in integumentis ſcroti, membrum etiam virile ſimul intumeſcit; tumor eſt mollis, albus, pellucidus, indolens; præputium tumefactum phymoſin & paraphymoſin producit; & membrum iſtud ſæpe miris modis contorquetur; infantibus & hydropicis frequentior. Applicatione fotus diſcutientis, ſuſtentatione per ſubligaculum, cavenda vero preſſio ſupra os pubis, curandus tumor: ſi non cedat, levi ſcarificatione, aut ſetaceo trajecto, aqua educenda ſimul.

In cellulis. XLVI. In cellulis vero pinguedinoſis ſi contineatur, præputium non intumeſcit, tumor minus pellucidus, & facta apertura humor ob lentorem non effluit. Si priori methodo non cedat, cauſtico inurenda eſt eſchara ſatis magna, apertura enim inciſione facta protinus collabitur, plaga clauſtico facta aliquamdiu turunda aperta eſt ſervanda, ut tota tunica adipoſa in ſuppurationem convertatur, & tunica vaginalis integumentis concreſcat.

In ſcroti cavo. XLVII. Si vero in alterutro cavo ſcroti, vel utroque hæreat, integumenta laxa, parum tumefacta, ſed veſica ſemiplena aquæ videtur; Teſtes & vaſa ſpermatica tactu facile diſtingui poſſunt; utplurimum virga contrahitur, ejuſque integumenta corrugantur: ſi diſcuti nequeat, pertuſione ad diſtantiam digiti tranſverſi a media linea burſæ, vel ſetaceo trajecto educendus eſt humor: verum recidivare ſolet, quare præſtantius per longitudinem ſecare, & implere cavitatem linteo carpto ſpiritu vini madido, ut omnia in unam maſſam conferruminentur.

In tunica vaginali & vaſis ſpermaticis. XLVIII. Si hæreat in ſubſtantia tunicæ vaginalis, vel in ejus cavo, tunc tumor mollior eſt, utplurimum ab inferiore parte circa teſtem intumeſcere incipit, ſenſim altius aſcendit, contra aliarum herniarum increſcendi modum, tandem herniæ ventoſæ pyriformem figuram acquirit, ſed teſtem involventem, nondum cedentem in decubitu horizontali. Diſſipando & ſecando ut præcedentes, vitatis vaſis, curandus. quandoque in vaſis varicoſis teſtium ſi hæreat, humor, *hygrocirſocele* dictum, vermiculari reptatu veluti, & figura pyramidali varicoſa, cum aliis notis hydropis dignoſcitur: ſolis diſſipantibus diſcutiendus tumor; quemadmodum etiam ille, qui teſtis ſubſtantiam occupat.

XLIX.

XLIX. In hydrope Aſcite frequens, preſſione & gravitate aquæ, interna lamella peritonæi per annulum muſculorum abdominalium truditur, & aqua impletur; ab inguinibus incipit, ſenſim deſcendit, & augetur mole; tumor eſt mollis, gravitate ſua contentum liquorem declarat, in ventrem committi poteſt ut aliæ herniæ, atque ſubligaculo curatur: ſin vero non procedit, ſaccus formatus aperiendus, turunda dura indatur annulo, ut partes excoriatæ probe coaleſcant. *In lamella peritonæi.*

L. Umbilico dilatato, prominet ſæpe in aſcite tumor aquoſus pellucidus, Hydromphalos dictus, qui ruptus felicem dedit curationem, & occaſionem præbuit ſine multo molimine in hoc loco inſtituendæ paracentheſis. *Hydromphalos.*

LI. Ad generalem hydropis curationem requiruntur. 1. Liquoris inviſcati attenuatio. 2. Liquidi abundantis diminutio, aucta quadam evacuatione. 3. Symptomatis urgentis lenimen. 4. Detractio pabuli novum ſuppeditantis, potus abſtinentia & diæta exſiccante. 5. Tandem corporis roboratio, ne recidivet. *Hydropis Curatio.*

LII. Quomodo viſciditas & ſcirrhus reſolvatur, proprio titulo docebitur, unde modus & medicamenta peti poſſunt. His ſæpe ſolis, cum victu exſiccante, potus abſtinentia, roboratione corporis, atque laboribus, ſuperatur hydrops. *Viſciditatis ſolutio.*

LIII. In iis, qui facile ferunt purgantia, alvuſque facile ſolvitur, ataxia ſpirituum non vexati, ſed venter detumeſcit ex aſſumpto purgante, aut non intenditur, neque hydrops oritur ex febre intermittente, tumor durus ſcirrhoſus alicujus viſceris adeſt, ne viſcera corrupta ſunt; a lenioribus hydragogis eſt incipiendum, ſenſim ad fortiora procedendum, ſæpe repetenda, forma præprimis liquida, donec omnis aqua exantlata ſit: ſi vero viſciditas adſit, ea prius ſolvenda. Haud tutum linimentis ventri inunctis alvum ducere. *Eductio per purgantia.*

LIV. Quum vomitus validam faciat concuſſionem, attendendum, 1. Num valeant vaſa hunc impetum ferre ſine ruptione; 2. Num æger facile vomat; 3. An ex vomitu levari ſoleat; 4. An nauſea adſit, & indicia accumulati humoris circa ventriculum; 5. An non laboret teneritudine ſolidorum; aliaque quæ vomitorii exhibitionem vetarent: dum vomit, id promovendum liquore tepido; ſi nimius ſit vomitus, ſpirituoſis aliiſque, ut in vomitu dicitur, compeſcendus. *Vomitoria.*

LV. In debilioribus, ataxiæ ſpirituum obnoxiis, qui non facile ferunt cathartica aut emetica, ſi viſciditas adſit, & maxime in fœminis menſium obſtructione laborantibus, hydropeque pectoris & uteri, tota evacuatio diureticis committenda, quando nullis catharticis hæc evacuatio eſt turbanda. *Diuretica.*

LVI. Quandoque in hac regione, ſpontanea aut artificiali ſalivatione mercurio excitata, hydropici ab aqua liberati ſunt. *Sialagoga.*

LVII. Quæ aqua veſicatoriis & cauteriis elicitur, præprimis in extremis partibus, gangrænam inducere ſolet, vel ulcus inſanabile. Sed in particulari hydrope capitis & ſcroti, inuſtio, ſetacea, puncturæ, ſi aliis non cedit, ſanationem attulere. *Veſicatoria. cauteria. puncturæ.*

LVIII. Diſcutientia vero egregia ſunt, attenuant & expellunt humores, roborant ſolida, & recidivam præveniunt. *Diſcutientia.*

LIX. Difficile eſt medicamentis internis ſudorem in hydropicis elicere, verum tamen accenſione ſpiritus vini, primo moderato, dein fortiori calore eductus ſudor multum levaminis attulit. *Sudorifera.*

LX. Pauci inſtituta paracentheſi ſanati ſunt, vel quod aqua hærebat hydatidibus omenti, meſenterii, ovarii; aut diuturniori mora corrupta aqua maceraverat viſcera; aut nimis ſero inſtituta paracentheſis viribus exhauſtis mortem prematuram accerſivit. In principio tutioribus curatur hydrops, in vetuſto, viſceribus corruptis, nullum auxilium adfert, niſi promineat umbilicus, qui viam aquis parare videtur. *Paracentheſis.*

LXI. In principio hydropis, & poſt aquæ eductionem, vel præveniunt, vel recidivam intercipiunt roborantia, ſtomachica amara, corporis exercitatio, frictiones, vectiones, potus abſtinentia, victus exſiccans: quæ ergo ſummi uſus in hydro- *Roborantia ſtomachica.*

hydrope habenda, imo natus hydrops quandoque his ſuperatur. Dum huic indicationi inſiſtimus, neque purgantibus, neque emeticis corpus turbandum.

Sitis fallenda. LXII. Moleſtiſſimum hydropicorum ſymptoma, ſitis nempe, lenitur, collutione oris cum aqua frigida vel acidula facta; tum ſucco citri, ſpiritu vitrioli, nitri, ſalis, ſulphuris per campanam; aut teneat in ore tamarindum, taleolam citri ſaccharo imprægnatam, vel fruſtulum ſalis prunellæ, neutiquam vero hæc deglutienda; aut maſticet maſtichen.

Quæſtiones. LXIII. Ex præcedenti deſcriptione hæc intelligi poſſunt.

1. Cur hydrops ex liene cum pedum tumore incipit?
2. Num ille, qui ex laterum mollitudine incipit, obſtructionem meſenterii arguit.
3. Cur vitia lumborum ſæpe hydropifica?
4. Quinam hydrops ab alvi fluxu intenditur, & nunquam ſanatur?
5. Cui hydropi alvi fluxus ſuperveniens ſolutio?
6. Cur mulieres gravidæ ſæpe laborant œdemate pedum?
7. Quænam differentia inter hydropem & œdema?
8. Cur ex ſcirrho glandularum ſubaxillarium ſæpe brachii tumor œdematoſus?
9. Num obſtructio oſculorum lacteorum in inteſtinis hydropis cauſa?
10. Cur a Tympanitide & doloribus colicis diuturnioribus ſæpe aſcites?
11. An ab hepatis frigiditate hydrops?
12. Cur quidam tumores pedum œdematoſi mane diſparent, alii vero perſtant?
13. Hydrops poſt quartanam diuturnam Cortice Kinæ Kinæ ſanatam, an febris vel medicamenti ſymptoma?
14. Num omnibus hydropicis purgantia præſcribenda?
15. An hydrops aſcites ſemper a vaſis ruptis?
16. Cur paracentheſi raro ſanantur?
17. An aquæ viæ e ſtomacho per omentum ad renes?
18. An aqua hydropicorum immediate tantum per ductum pancreaticum, mediate per ductus ſalivales in inteſtina derivatur?
19. An nunquam in hydrope vena ſecanda?
20. Cur urinæ paucæ malæ, copioſæ bonæ?
21. Cur urinæ lixivioſæ cum dyſpnœa ſunt hydropificæ?
22. Cur urina pauca & turbata mala?
23. Cur alvus conſtipata & profuſa mala?
24. Urinę ſtillicidium hydropicis cur peſſimum?
25. Hydropici a febre tentati cur periclitantur?
26. Cur abſceſſus & crurum macula hydropicis peſſima?
27. Cur ſuperveniens convulſio interficit?
28. Cur tuſſis hydropicis mala, maxime ſi tumores in cruribus habeant?
29. Cur inveteratus hydrops poſt curationem frequenter recurrit?
30. Cur hydropis recidiva valde timenda?
31. Cur infans ex hydropico natus ſæpe rachitide infeſtatur?
32. Quomodo hydropici liberantur, ſi aqua in ventrem confluit?
33. Cur bilis non educenda in hydropicis?
34. An rhabarbarum hydropicis non exhibendum, quod fœces flavo colore tingat?
35. Cur ab hypochondriorum concuſſione quandoque hydrops?
36. Cur bilis mutata indoles tandem ad hydropem diſponit?
37. Unde reſpiratio difficilis in aſcite?
38. Cur venter poſt purgationem ſæpe intenditur, quæ tamen intumeſcentia diſparet dato narcotico?
39. Quando refrigerantia exhibenda?
40. Cur fœminæ frequentius afficiuntur præprimis ſteriles, & annoſæ.

41.

41. Cur hyeme, & tempeſtate humida magis intumeſcunt, quam æſtate & tempore ſereno?

42. Num a ſanguinis debilitate hydrops?

43. Cur in pectoris & uteri hydrope diuretica, in aſcite potius cathartica exhibenda?

44. Cur cathartica hydropem augent, ſi ex nimia evacuatione proveniat?

TRACTATUS TRIGESIMUS SEXTUS.

De Urina.

I. QUum urinæ cognitio ad liquidorum generalem deſcriptionem pertineat, eam hoc loco pertractare ordo exigit.

II. Urina ſive lotium vocatur omnis liquor in renibus ſecretus; per ureteres in veſicam delatus, inde per urethram ex corpore emiſſus. *Definitio.*

III. In lotii inſpectione Medicum ad duo attendere opportet. 1. Liquorem ipſum: 2. Quæ in eo continentur. Antequam vero de urinæ nimia profuſione, crebra cupiditate, difficultate, ſuppreſſione & ſimilibus agetur, harum partium deſcriptio præcedere debet, quod in ſecunda parte Compendii exequi conſtituimus. *Diviſio.*

IV. In liquore attendimus; 1. Ad Calorem. 2. Odorem. 3. Saporem. 4. Senſationem. 5. Quantitatem. 6. Conſiſtentiam. *Liquor ipſe dividitur.*

V. Color in urina ſana & optima rufus eſt, niſi a potionis aſſumptione, qua lotium magis diluitur; teſtantibus Hippocrate & Celſo, ſeu potius dilute flavus, qualis eſt color corticis Citri maturi. in exercitatis coloratior, in otioſis dilutior. Verum talis in morbis cum multa materia indicat, cauſam morbi retineri in corpore; in peſte autem, morbiſque quibuſdam externarum partium vitia urinis non communicantibus, nihil indicii præbet. recedens autem ab hoc colore multa exhibet ſcitu neceſſaria. 1. *Color.*

VI. Si enim alba emittitur, in acutis, ardente, & catocho, cruditatem, retentionem materiæ, & periculum indicat, alba tenuis, clara, aquoſa, pellucida, in pleuritide, & ardentibus non ſolum prædicta indicat, ſed & materiæ translationem in cerebrum, & delirium portendit. in phrenitide aliiſque capitis malis, & convulſionibus, morbi augmentum indicat, ſive talis a principio mingatur, ſive etiam poſt coloratam urinam prius emiſſam, poſt peractam criſin recidivam portendit. in vetuſto morbo & anaſarca diuturnitatem, & periculum. in ſanis quoque talis emittitur aliquot horis a potione vel cibo, ſed vero candidior tunc eſt. *Alba & tenuis.*

VII. Verum alba & craſſa urina in acutis, ſi abſceſſus pone aures aut ad inferiora inſtant, liberat; &, ſi apparuerint parotides, ſanitatem promittit. In ſcorbuto autem, acrimonia acida, laxitateque ſolidorum & inertia, atque hydrope indicat virium defectum, cruditatemque humorum, morbi periculum & diuturnitatem. In nephritide, dolore lumborum & circa pubem, cum aliis ſignis, calculi præſentiam indicat, aut acrimoniam in eo humore, qui naturaliter ex lateribus ureterum & veſicæ ad has partes obliniendas deſtinatus eſt. Arthriticis & podagricis hujuſmodi urina ſanationem attulit, ex quo forſan infertur, acrimoniam horum latere in eo liquore, qui deponitur intra fibras nervorum. *Alba craſſa.*

VIII. Urina coloratior, ſubrubra, rubra, florida, prærubra & ſanguinea, ut gradus coloris differunt, ita quantitatem materiæ indicant; quo enim minor aquæ ad reliqua urinæ proportio, eo color magis intenſus; & cum augmento putredinis intenditur color: ita colorata urina vel manet pellucida, vel turbatur; cum levamento & ſubſidentia aut ſine iis, conſtans vel mutabilis, de quibus infra. *Rubra.*

IX. Ex humoris aquoſi penuria urinam colorari probat evaporatio Bellini; unde *Penuria humorum.*

de in rigidiſſima inedia & potus penuria coloratior urina conſpicitur. in alvi fluxu, ſudoribus, & quibus copioſior eſt perſpiratio, lotium fit rubicundius, quibus adjungitur hydrops colligens lympham in veſiculis vel cavo corporis quodam.

Putredine. X. Urinæ color quoque intenditur ſenſim, ſi putreſcat. ut in omni humorum putredine, ſcorbuto, laxitate & inertia ſolidorum, hyſtericis, hypochondriacis, ſcabioſis, hecticis, tabe nervoſa, fluxionibus, pleuritide lymphatica, acrimonia alcalina, dolore hæmorrhoidum, quibuſdam paralyticis, nephriticis, omnibuſque morbis chronicis, in quibus in principio urina alba cruda craſſa emittitur, ſi diutius durant, colliquefacta hæc materies & putreſcens rubedine tingit urinam; & quia ſimul acris, doloribus vagis, a fluxionibus dictis, vexantur. Curatio in propriis morbis quærenda.

Digeſtione. XI. Digeſta in calore rubet, etiamſi nihil humoris tenuioris amittatur, & quo calor major & diuturnior, eo magis quoque intenditur color. Ita in febribus ardentibus, inflammatoriis, Eryſipelatoſis, aliiſque acutis: ex hac cauſa multa cognoſcit Medicus & prædicit. in principio acutorum modice tincta ergo ſalutaris, quod morbi genius hoc exigit, maxime ſi habeat ſubſidentiam lævem & albam; ſi vero rubra ſit ſubſidentia, etiam periculo caret, ſed morbus fit longior; nam decolor notat tenuia tunc tantum tranſmitti: prærubra vero in principio validum motum indicat, aut tenue deficere; quare vehementiam & diuturnitatem indicat. Circa ſtatum vero ſi attenuetur, omnino mala, retinetur enim materia: ſi tenuis tunc maneat, quia hoc tempore craſſiora evacuanda ſunt, vel abſceſſum, vel acutiem, vel diuturnitatem, vel mortem, & in his ſi levamentum ſurſum verſus conſpicitur, delirium portendit. Poſt judicationem recidivam præſagit, & prava eſt in rigoribus acutorum: initium enim arguit morbi.

Suppreſſa alia evacuatione. XII. Coloratior in menſibus, hæmorrhagiis, hæmorrhoidibus, atque alvo ſuppreſſa conſpicitur, ſine periculo, imo cum ægri emolumento, quod hac via ſuccenturiatam ſubeat evacuationem: cave tamen ne ſanguis urinæ miſtus, ut in mictu cruento, pro urina cruenta aut ſanguinea habeatur: quum hic color præruber non provenit ex meri ſanguinis admiſtione.

Bilioſa fulva. XIII. Urinæ Color ad flavedinem accedens varia accipit nomina, ut urina bilioſa, flammea, crocea, fulva, citrina, flava, quæ vel eſt craſſa vel tenuis, pellucida vel caliginoſa, cum vel ſine ſedimento, lintea immerſa tingens vel non.

Defectu tenuis. XIV. Defectu alimentorum, & potionis penuria, flavedine tingitur urina, quod proportio aquæ in lotio fiat minor, quare humores circulatione inutiles facti maximam urinæ quantitatem præbent. quemadmodum hoc etiam fit in omni evacuatione copioſiori humoris tenuioris, per alvum, ſudorem & inſenſibilem perſpirationem; & humoris lactei in nimia lactatione.

Corruptione humorum. XV. Si materies chyloſa defectu virium non ſubigatur, ſpontanea corruptione in flavedinem convertitur, quemadmodum cacochymicis, & ſcorbuticis in ipſa cute eſt hæc materies per veſicam emiſſa, quo magis tincta, eo majorem cruditatem indicat, ſimili etiam modo in tympanitide crocea ſplendida mittitur. verum linteum intinctum non tingit ſuo colore, quo ab ictericorum urina diſtinguitur.

Eryſipelate. XVI. Flammea, clara, crocea, aurea redditur, ſi febris ab eryſipelate accenditur, quæ materies a veteribus bilis dicta fuit, corrupta enim materia oleoſa aut pinguedinoſa hanc materiem præbet, nunquam in pus abeuntem, magiſque ſævit quam materia phlogiſtica, non ſubit coctionem: quare hujuſmodi urina in febribus continuis, & tertiana intermittente & remittente bilioſa, viſa periculum & longitudinem portendit, & ut vocant cruditatem, qui non diſtinguunt febrem eryſipelatoſam ab Inflammatoria.

Inflammatione. XVII. Si autem vi circulationis in ardentibus, acutis, & inflammatoriis morbis eo uſque condenſatus ſit ſanguis, ut urinam flavam, fulvam & tenuem dimittat longo tempore, morbus in magna cruditate eſſe conſuevit, & ſæpe, antequam

tequam ſpatio matureſcat, hominem rapit; aut, ſi bona alia ſigna adſint, abſceſſum excitare ſolet ad partes inferiores; a criſi vero recidivam indicat.

XVIII. Ictericis ab obſtructione veſicæ felleæ urinæ flavæ, obſcuræ, & valde ſaturatæ minguntur, quod materies bilioſa ſanguine recepta hac via evacuetur: linteum immerſum flavo colore tingitur, qui difficile admodum elui poteſt. *Ictero.*

XIX. Æruginoſa, porracea, praſina, & nigra, quod in acutis denotant materiem phlogiſticam in ſphacelum abiiſſe, lethalem prognoſim præbent. Si vero ſubviridis aut vireſcens, longum & periculoſum morbum; in hac ſi ſedimentum album, & color magis dilutus, non valde periculoſa eſt. Verum in ſcorbuticis & hypochondriacis, a ſcabie retropulſa, cum dolore lumborum, ſine multo periculo nigræ urinæ evacuantur, materia ſcilicet atrabilaria liquefacta hac via evacuata. In menſium autem emanſione, & hæmorrhoidibus ſuppreſſis, cum euphoria ægri minguntur. Talis quoque fit a Caſſia fiſtula aſſumpta. *Nigra.*

XX. Urina pellucida, aquoſa, clara, limpida, maximeque diluta, indicat humoris tenuioris proportionem ſuperare reliqua principia: Talis, ſi fiat a copioſiori potionis calidæ ingurgitatione, nihil mali indicat, niſi quod cauſa perſeverante ſolidorum inertia & laxitas ſit exſpectanda. In Pueris, quibus naturaliter urina alba, craſſa, aquoſa prodit, indicat materiam craſſam & crudam retineri, a qua obſtructiones ſæpe meſenterii fiunt. A partu & hæmorrhagiis profuſioribus utplurimum ſine damno hujuſmodi urina emittitur. In morbis autem chronicis, quia indicat craſſiora retineri, morbum auget in hyſtericis & convulſionibus obnoxiis indicat incepiſſe motum convulſivum in tubulis renalibus, & præſagit paroxyſmum. ſolo animi pathemate in multis talis urina copioſe evacuatur. In morbis acutis, in quibus oportet urinam rubram ſedimentoſam eſſe, ſi tenuis & clara mingatur, convulſio aut delirium imminet, maxime ſi nubecula ſurſum vergat, quæ ſi fiant, lethale; alias parotides præſagiunt: cum enæoremate nigro, in phrenitide mors expectanda. Verum in nephriticis inter calculi ſigna cenſetur urina limpida. *Aquoſa.*

XXI. In urina ſingularis odor percipitur, quo facile a reliquorum animalium urina diſcernitur. ſi vero omnis odoris expers ſit, ſummam arguit debilitatem; alienum odorem ex aſſumptis in urina invenimus, ut ab eſu aſparagorum, aſſumptione terebinthinæ & ſimilium, quandoque vas, quo urina recepta fuit, quodam odore imbutum; ſed hæc ad cognitionem & prædictionem nihil, ad fraudem autem detegendam ſæpe multum faciunt. Odor acidus raro in urina invenitur, niſi in valetudinariis, & illis qui acidis delectantur. Verum fœtor ſæpe invenitur, quod humores noſtri ſponte corrumpantur; ſi ergo ex ceteris ſignis conſtat, urinam fœtentem talem a ſanguine ſeparari, ſummam arguit humorum putredinem, & morbum periculoſum. verum in calculoſis, ulcere renum, veſicæ, & pudendorum, decipit; quandoque talis odor admiſtione liquoris ex pudendis effluentis communicatur urinæ, quemadmodum frequenter in menſium & lochiorum ſuppreſſione: ulcere uteri, pudendorum, atque fluore albo & gonorrhœa. *2. Odor.*

XXII. Sapor ſubſalſus, urinoſus, alcalicus, putreſcens, urinæ naturalis, in acidum convertitur ſed raro, ut ſupra in odore indicavimus. alias vero ſubdulcis, melleus, ut in diabete Infantum dentientium, aut quibus eſt tanta tubulorum renalium laxitas, qua pars chyloſa corporis ſimul tranſeat. *3. Sapor.*

XXIII. Quoniam urethra mucilagine obducta eſt in ſanitate, nullum infert, etiamſi ſit urina acris, dolorem; verum abraſa hac mucilagine, urethra denudata dolet ab omni urina, de his in ſtranguria & Dyſuria. verum etiam in bilioſis morbis, quod urina fiat acris lixivioſa, mingendi difficultatem, impoſſibilem retentionem producit. omnis urina, quæ clam emittitur in acutis, vel quod inſenſibilitatem, vel paralyſin harum partium indicet, periculoſa. *4. Senſatio.*

XXIV. Turpiter errant multi in quantitatis ſupputatione vel acutiſſimi viri, non animadvertentes in homine ſano inſenſibilem perſpirationem majus pondus *Quantitas.*

liquoris auferre, quam urinæ evacuatio detrahit.

Minor. XXV. Quantitatem minui, defectu potionis, alia evacuatione copiosiore, humorum visciditate, lentore, tubulis renalibns obstructis, angustatis, vel compressis, minus motis, & quæ inde fiunt, descripsimus in nostro *Tractatu de Insensibili perspiratione*, *Titulo de urina* §. 14. *ad* 22. Quæ autem in hoc comma ulterius conferenda erant, reservabimus, donec de Ischuria & Dysuria acturi sumus. generaliter morbis pectoris, & hydropicis febribusque ardentibus, minor quantitas semper timenda.

Major. XXVI. Urina copiosior dicitur, si plus quam dimidia assumtorum quantitas hac via evacuatur: causas hujus notavimus in *Tract. de Insensibili perspiratione*, *Titulo urinæ* §. 5. *ad* 13. ab uberiorem autem cognitionem hæc pauca adjicere statui. Copiosiorem evacuationem, etsi sit urina tenuis, leucophlegmaticis, & hydropicis prodesse; verum catarrhosis, spasmodicis, hystericis, hypochondriacis, animi pathematibus exagitatis, prædicere paroxysmum, & morbum aggravare. Copiosam viscidam gelatinosam arthritidi, apoplexiæ, lumborum dolori, præcordiorum murmuribus, pituitosis, cachecticis, multum levaminis, imo integram sanitatem attulisse. In acutis, inflammatoriis febribus, peripneumonia, pleuritide, hepatitide, aliisque, resolutionem indicasse, etiam instantem abscessum præveniisse.

6. Consistentia. XXVII. Quum ex proportione contentorum ad partem aquosam desumatur consistentia, ea igitur distingui potest in urinam Crassam & Tenuem.

Crassa. XXVIII. Crassam urinam generari 1. Tenuis inopia; 2. Admistione muci viarum urinæ; 3. Materia cruda alimentorum; 4. Visciditate humorum ex materia colliquata, detrita a motu febrili, febre intermittente, febre acuta; 5. Materia purulenta; 6. Sphacelata; 7. Atrabilaria; 8. Scorbutica; demonstravimus etiam in *Tract. de Insensibili perspiratione*, *Titulo Urinæ* §. 24. *ad* 37. Quibus hæc addi possunt, si urina crassa turbida, qualis jumentorum, diu mingatur in acutis, semper capitis mala imminent; si his jungantur vigiliæ, sitis, capitis dolor, delirium imminet: sin vero adsit sopor, capitis gravitas, & pulsus debilis, lethargum prædicit; quandoque recidivam. pauca & turbida in hydrope cum febre pernicioſa. Icterici urina crassa, rubra, flava, multa, sæpe liberantur. Mensium, & lochiorum, & hæmorrhoidum obstructione laborantes, critice sæpe mingunt urinam crassam copiosam prærubram, vel quandoque nigram. materia arthritica per urinam crassam gelatinosam evacuata fuit.

Tenuis. XXIX. Huic opposita est urina Tenuis. 1. Talis fit ex majori humoris aquosi quantitate admista, quando aquosa clara & decolor vocatur (§. XX.) 2. Tam arcta admistione reliquorum principiorum, ut ubique pellucida maneat, nihilque deponat: hæc magis minusve colorata invenitur. non est æstimandum, minorem copiam contentorum in Tenui quam crassa urina contineri, sales enim in aqua soluti non obfuscant aut crassiorem faciunt liquorem; verum hæc principiorum accurata miscela tam diu in urina conspicitur, quamdiu in nobis increscit morbus: quare tenuis & colorata urina inter certissima cruditatis signa censetur; pessima ergo in hydrope cum febre, & in acutis, quæ mitescere videntur, horrorem enim & rigorem, aut recidivam portendit, in capitis morbis, mala; præsagit phrenitidem & delirium, præprimis si levamentum subnigrum in ea conspicitur: circa statum morbi longitudinem, periculum, dolorem, aut abscessum ad aliquam partem per metastasin præsagit. Talis quoque, sed conquassata valde spumans, conspicitur in febre hectica.

Bullæ. XXX. Secundo observanda sunt contenta in lotio, & quidem in urinæ superficie quandoque inveniuntur *Bullæ*, quæ ex levi conquassatione excitantur, & diutissime persistunt, indicant urinam nimis saponaceam esse, pinguedinem corporis colliquescere, unde macrescit corpus & languet, tandem atrophia & febre hectica perit: alias indicat nephritica mala.

Pellicula. XXXI. Quandoque quædam araneis similia supersident, seu pellicula quædam,

quæ

quæ uroſcopi inclinatione lateribus adhæret ; in ſcorbuto , febre intermittente diuturna, & febre hectica frequens ex colliquatione quoque humorum proveniens ; in acutis convulſiones ſæpe præſagit.

XXXII. In ſcorbuticorum urina , qui patiuntur dolores articulorum & circa lumbos, cum ſenſu frigoris partis dolentis, ſæpe inveniuntur particulæ ſcintillantes, per totam urinæ calentis ſubſtantiam diſperſæ, a Celso Miculæ dictæ, quæ refrigerata urina utplurimum cryſtallorum inſtar ſe lateribus matulæ applicant, difficulter poſtea abſtergendæ. *Miculæ.*

XXXIII. In ſcorbuticorum , nephriticorum , podagricorum , calculo veſicæ, aut dolore lumborum cum frigoris ſenſu laborantium , urina, ſæpe quædam corpuſcula minima arenoſa inveniuntur , quæ vel prudentiſſimis quandoque imponunt medicis, ſentientibus certiſſimum eſſe nephritidis ſignum : verum hæc corpuſcula non idem agnoſcunt principium : quippe ſi hæc arenoſa ſtatim in calida appareant urina, libereque fluctuant in matulæ fundo , nephritidis ſignum ; ſive facile conterantur, ſive lapideam poſſideant duritiem ; id enim a majori vel minori tenacitate materiæ glutinoſæ partes terreſtres , lapideas, vel arenoſas, nectentis dependet: verum ſi demum poſt refrigeratam urinam arenoſa appareant, ſive lateribus matulæ inſtar cryſtallorum tenaciſſime adhæreant ; ſive facile a lateribus dimoveantur , & tum demum in fundo fluctuent , ſalinæ materię concretionem in ſcorbuticis , nephritide notha , & podagricis indicant : hęc ſpecies in veros calculos ſępe convertitur : quandoque utrique morbi ſimul hominem infeſtant . *Arenulæ.*

XXXIV. Quibus in urina carunculę, a glandulis exiguis induratis , ſeparatis a reliqua ſubſtantia , vel & materia in lacunis harum partium prius concreta, urinę miſta, conſpiciuntur ; aut ſi maſſa carnea , aut polypoſa emittatur ; vel filamenta tenuia, vel pili ex materia concreta in renum tubulis ; aut merus ſanguis, iſque concretus, dilatatis vel ruptis oſculis arteriarum in renibus, vel ipſo ſanguine nimia tenuitate peccante emittuntur ; renum , vel veſicę morbo laborant . *Varia, vitio organi.*

XXXV. Quamvis puris evacuatio cum urina utplurimum renum & veſicę morbos indicet (ut Hipp. S. 4. Aph. 75. & 81.): veſicę dolorem & tumorem minuit , maxime in pueris a 7. ad 15. annum , non tamen ſemper hoc obtinet : quippe inflammationes , abſceſſus & ulcera , quod in calculoſis frequens , non ſolum hac via pus emittunt ; verum etiam in morbis acutis materiam purulentam vis vitę mandat quandoque renibus : in phthiſi, empyemate , imo aliis abſceſſibus magnis non raro pus ad renes ducitur , & cum urina evacuatur. *Pus.*

XXXVI. In inferna urinę refrigeratę parte multa ſępe continentur in morbis, quę ſcitu neceſſaria ſunt, quę ſedimina, ſubſidentia , reſidentia, ſubjecta , hypoſtaſes , & ſedimenta dicuntur. *Sedimentum.*

XXXVII. Si enim ſedimentum ſit album , lęve, ęquale , conſtans , in acutis ſolutionem , ſecuritatem , & citam criſim portendit ; ita etiam in inflammatione veſicę . Verum in morbis chronicis tumorem & dolorem circa articulos eſſe indicat . *Album.*

XXXVIII. Quum vero id album ſedimentum farinam craſſam , Grecis *Crimnodes* , refert, longam valetudinem prędicit, & indicat viſcera debilia, inertiam ſolidorum , ſtomachi coctionem inverſam , quibus ingeſta alimenta ſubigi nequeunt ; talis in pituitoſis , morbis multis chronicis , ſcorbuto , morbo regio ex pituita, qualis ab Hipp. b. 245. deſcribitur , emittitur ſępe : in acutis , ſed raro hoc fit , ſi talis reddatur, longitudinem & periculum indicat. *Farinoſum.*

XXXIX. Peſſima eſt urina , que furfuracea vel laminoſa continet in acutis, aut quæ tanquam ex furfuribus factas , Græcis *petaloides* , nubeculas repræſentat . eſt etiam ſignum veſicam ſcabie laborare ; ſi quis ſanguinem , pus aut ſquamulas mejat , & odor gravis eſt , veſicæ exulcerationem ſignificat. In vehementi podagræ dolore furfuracea vel laminoſa quoque evacuantur. *Furfuracea.*

Membranacea. XL. Membranacea urina, quæ cum horrore ſupprimitur, convulſionis prænuncia.

Grandinoſa. XLI. Grandinoſa & genituralis urina laborioſum; niſi poſt profuſas hæmorrhagias.

Sputiforme, limoſum. XLII. Quæ urina ſputiformem habet hypoſtaſin vel limoſam, horrorem denunciat. Periculoſa eſt urina, quæ ex compactis quibuſdam innatantibus ſubſidentiam habet ſublividam, limoſam. Num in talibus præcordium dolet? dextrum arbitror, aut etiam cum virore pallidi fiunt? & abſceſſus circa aurem dolentes? His paululum erumpens alvus pernicioſa eſt.

Lateritium. XLIII. Si in urinæ refrigeratæ fundo deponatur ſedimentum veluti ex farina, cui admiſtæ ſunt quædam particulæ rubræ inſtar lateris rubri comminuti, cum quadam pellicula in urinæ ſuperficie natante, certiſſimum ſignum eſt febris intermittentis, etſi ſub aliis ſymptomatibus lateat, ut docuit corticis peruviani uſus in his. hujuſmodi ſigna in ſcorbuto nunquam videre licuit. an vero alii viderint, non repugno.

Læve & æquale. XLIV. Sedimentum læve, æquale, conſtans, in febribus ſolutionem, in acutis ſecuritatem & brevitatem portendit: ex veſica dolenti, ſi purulenta urina proceſſit, inque eo læve & album ſubſidet, metum detrahit.

Aſperum divulſum. XLV. Quæ urina aſperum quid habet divulſum, recidivæ nuncia eſt aut ſudoris.

Bilioſum, fulvum. XLV.I Quibus in urinis bilioſæ ſubſidentiæ, ſuperne tenues, acutum morbum ſignificant. Si ſubſidet velut ervum fulvum, icteri ſignum.

Rubrum. XLVII. Si urina fuerit ſubrubra & ſubſidentia ipſius ſimilis & lævis, diuturniorem quidem hæc morbum ſignificat, ſed valde ſalutarem in acutis. Si hujuſmodi fiat ante ſeptimum diem, ſeptimanam febrim exſolvit: ſi autem ſerius, longiorem, aut omnino longam. vid. Hipp. a. 442, 580, & 457. In morbis, longis rubrum ſedimentum longam valetudinem indicat. Si ex judicatione facta urinam rubicundam rubram ſubſidentiam habentem minxerint, his recidiva febris fit eadem die; & pauci ex hac ſervantur. In Chronicis ſedimentum rubrum longam valetudinem indicat. In podagricis ſedimentum rubrum quaſi arenulis refertum ſæpe invenitur. Rubrum vel nigricans in menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſione, & ictericis frequentiſſime, atque in ſcorbuto.

Lividum nigrum. XLVIII. In quibus livida ſubſident, malum, nigra ſunt peſſima. Mortiferum eſt reddere urinam porraceam, quæ nigram hypoſtaſin habet.

Quantitas. XLIX. Si ſedimentum deficiat, urina tenuis & clara dicitur, de quibus actum: ſi copioſius in acutis obſervatur ſedimentum, indicat ſolutionem morbi, delirium & abſceſſum prevenit, præprimis ſi cetera ſigna bona adſint. Verum in ſcorbuto, multis morbis chronicis, febre quartana intermittente & meſenterica, magnam cruditatem arguit. qui multum ſedimenti viſcidi habent in urina diu, vel laborant calculo, vel facile in eum morbum incidunt.

Tempus. L. Quibus in urina cita hypoſtaſis, celeriter judicantur.

Varia. LI. Tenuis & aquoſa ſuccedens craſſæ & paucę bona. Quibus urinę craſſę, grumoſę, paucę non ſine febribus, ubi copia ex his ſucceſſit tenuis, prodeſt: Tales autem maxime prodeunt, qui ab initio aut brevi ſubſidentiam habent.

Varias reddi urinas longi eſt morbi.

Tenuis valde urina, ſi denſa fiat, num ſudorem futurum indicat?

Si urina intermiſerit, aliquando pura mingatur, aliquando ſubſideat album & lęve, diuturnior fit morbus & minus ſecurus.

Tenuis & bilioſa, ac ne vix quidem exiguam habens hypoſtaſin, tum modo in melius, tum modo in pejus mutatur, longi eſt morbi: ſi autem hęc longius ſe invicem conſequantur, & circa criſin tardiora ſunt omnia, certe periculo non vacat.

Pernicioſa eſt urina in principio quidem cocta, poſt quartum diem ſi attenuatur, maxime in peripneumonia.

Quæ

Quæ utilem hypoſtaſin habet, & mox non habet, laborem, dolorem, & mutationem oſtendit.

Si ab initio urinæ non ſimiles fuerint, ſed ex tenuibus craſſę fiunt, & penitus tenues, tales ęgre judicant, ac inconſtantes ſunt.

In parotidibus ſubito mutata urina, nec conſtans, mala, ac tum perfrigerari peſſimum.

Febres ardentes ſemper habent urinas tenues & coloratas, ſi hę attenuentur & albidiores fiant, & vigilię adſint, brevi futurum delirium.

Peſſimum erit ſignum, ſi circa initium ſtatus morbi urina valde rubicunda, & magna copia contentorum ſaturata, ſenſim mutetur in tenuem & pallidam.

Si in principio acutorum urinę ſint tenues & coloratę, ſenſim craſſiores fiant, & deponant laudabile ſedimentum, ſolutionem pręſagiunt.

LII. Quę nubeculę deorſum feruntur, bonę; quę ſurſum feruntur, malę. *Nubeculæ.*

In urina tenui ſi nubecula in medio conſiſtit, rigorem ſignificat.

Surditas & urinę conſidentes, valde rubicundę, innatantes, mentis emotionem portendunt.

In urina ſuſpenſio clara & ſublimis cum tinnitu aut ſonitu aurium, vel aliis ſignis phrenitidis phrenitidem portendit, maxime in initio morbi.

Si urina quarta die rubram ſuſceperit nubeculam, ſeptimanam exſolvit, ſi cętera convenienter ſint conſtituta.

Nubeculæ in urinis albæ quidem & infernæ commodæ ſunt, rubicundæ vero, & nigræ, ac lividæ difficiles ſunt.

In erraticis nigra nubecula quartanam deſignat.

In tertianis cum horrore velut nubeculæ nigræ horroris inconſtantis indicia ſunt.

Urinæ decolores, nigra innatantia in medio habentes, cum vigiliis & turbatione, phreniticæ.

LIII. Quid ſit urina cocta, & quibus cognoſcitur ſignis, haud facile eſt definire, quamvis veteres hoc vocabulo paſſim utantur. Citrinus enim urinæ color, cum alba quadam ſuſpenſione & turbinata, in ſanitate cocta dicitur urina, quia talis in homine ſano, abſoluta digeſtione, evacuari ſolet; hæc vero cruda dicitur in acutis. Urina rubicundior cum albo ſedimento, lævi & æquali, copioſo, in acutis cocta dicitur, adeo quidem, ut ſanguinis ſtillæ, quæ alias malum præbent præſagium, nunc vero cum tali urina apparentes, ſalubrem hæmorrhagiam præſagiunt: imo inſtantes parotides prævenit, & ipſum morbum ſolvit, ſi ſenſim talis fiat & judicationis tempore. Hæc vero in ſcorbuto multiſque aliis morbis chronicis cruditatis ſignum eſt: & ſtatim in principio acutorum veniens materiæ copiam & periculum indicat. In quartana intermittente vidi copiam ſedimenti indicaſſe vehementiam febris, nihilque ad ſolutionem contribuiſſe. Eſt ergo urina cocta, quæ cum levamine ægri evacuari ſolet, & quidem varia pro natura morbi & temporis. *Urina Cocta*

LIV. Ex ſignis contrariis cognoſcimus cruditatem. Tenuis & colorata in acutis; rubra & craſſa urina in febribus putridis; alba & craſſa in morbis chronicis frigidis; tenuis, aquoſa, in convulſivis, cruda dicitur. adeo ut ſemper non eadem ſint ſigna cruditatis. cruda in principio morborum acutorum periculum, diuturnitatem & abſceſſum prædicit, quod morbi materies retineatur: in ſtatu morbi & abſceſſu periculoſiſſima: a judicatione recidivam vel mortem prædicit: In pituitoſis diuturnitatem: In convulſivis de inſtanti paroxyſmo monet. *Crudæ.*

LV. Si urina aliquamdiu retineatur in matula aliove vaſe, latera vaſis cruſta quadam obducuntur, ut tartarus vini accreſcit dolio: hoc præprimis in ſcorbuticis, podagricis & nephriticis obtinet, quibus hæc materies copioſior, quam in aliis morbis, lateribus vaſis apponitur: adeo quidem, ut allui nequeat, veramque cruſtam lapideam exhibeat: hæc quoque materies cuicunque corpori ſolido in renibus vel veſica contento apponitur, atque calculum producit. *Matulis adhærens.*

LVI.

Quæſtiones. LVI. Qui cum judicio hæc omnia perſpexit, ad ſequentia facile reſpondere poterit.

1. Num imperiti ſine fraude poſſint ex urinæ inſpectione veras morborum cauſas eruere?

2. An prorſus negligenda urinæ inſpectio, quod impoſtores & agyrtæ uromantiam cum fraude exerceant?

3. Num inutile urinæ examen, quod omnes morbi non cognoſcuntur ex urina? vel multis in morbis ſimilis emittitur urina?

4. Num urinæ inſpectio fallax; quod urina ſana ſæpe conſpiciatur in ſummo periculo, ut in peſte & anginoſis?

5. An urina ſola vel cetera quoque ſigna in morbis conſulenda?

6. An non plura indicia morborum ſuggerit urinæ inſpectio quam pulſus exploratio?

7. Quando urina alba & craſſa bona, quando mala?

8. An in Aſcite ſemper urina alba, craſſa, & in Tympanite rubra, clara?

9. Quomodo urina rubra in acutis ſalutem & periculum præſagiunt.

10. An omnis urina rubra febrem indicat?

11. Cur abſtinendum a Kinæ Kinæ uſu in febribus intermittentibus, quamdiu urina rubra & clara?

12. Cur urina rubra aut flava mala in Hydrope?

13. Cur hecticis & tabidis utplurimum urina flava?

14. An omnis urina nigra lethalis?

15. An icterici tantum reddunt urinam croceam?

16. An urina tota poteſt eſſe major, minor, & æqualis potui in ſtatu ſano?

17. An urina cocta omni tempore bona?

18. Num in omni morbo eadem coctionis ſigna?

19. Num ſemper calculi criterium, ſi arenoſa in urina ſubſident?

20. Cur uſus carnis, ſalium volatilium, & antiſcorbuticorum, atque corporis exercitatio, ſanat dolores nephriticos, quibus in urina arenulæ multæ, vel cryſtalli, aut miculæ, lateribus matulæ adnaſcuntur?

21. An ſedimentum copioſum coctionis vel cruditatis ſignum?

22. Cur in acutis urina intenſe rubra; ſi bullæ ſuperſtant; continuo mutatur; cruenta in principio; tenuis & decolor; ſedimentum craſſioris farinæ partes referens; morbi *Longitudinem* indicat?

23. Cur urina turbata, qualis jumentorum, *Capitis dolorem* vel alia capitis mala indicat vel præſagit?

24. Cur urina diu cruda manens, cum aliis ſignis bonis, abſceſſum prædicit ad partes inferiores?

25. Cur in ardentibus urina tenuis & colorata, ſi albidior fiat & attenuetur cum vigiliis; vel in acutis turbida cum vigiliis, dolore capitis & ſiti; vel ſuſpenſio clara & ſublimis cum aurium tinnitu; vel urina decolor cum nigris ſuſpenſis & vigiliis; vel in prærubra urina ſi quid ſublime petierit occultato coxendicis vel femoris dolore, cum aurium ſonitu aut ſurditate; vel urina tenuis cum capitis pulſu, *Delirium* præſagiunt?

26. Cur in morbis pectoris urina parcior; lixivioſa cum dyſpnœa, *Hydropem* prædicit?

27. Cur urina rubra cum tali ſedimento ſero apparens; poſt peractam criſin tenuis & colorata; perturbata, quæ non ſubſidet; deficiente febre & ſudore accedente ſi urinam fulvam minxerint albam ſubſidentiam habentem; *Recidivam* portendunt?

28. Cur urina aquoſa, alba innatantia habens, & quæ varie exalbida & fœtida, *Parotides* præſagit?

29. Cur urina in febre albam & lęvem habens hypoſtaſin atque conſtantem; ſi quę quaſi nubeculę innatarint in unum deferantur; ſubrubra, cum ſimili ſedimen-

dimento atque lęvi ante ſeptimum diem ; ſi nubeculam rubram quarto die ſuſceperit ; citam *dimiſſionem*, morbi *ſolutionem* & *ſalutem* oſtendunt ?

30. Cur urina prava, quę mox a potu effluit ; quę clam effunditur a non recordantibus aut commonefactis ?

31. Cur mictio noctu multa contingens modicam alvi egeſtionem ſignificat ?

32. Cur urina multa in valetudinariis denotat infirmitatem & minutam perſpirationem ?

33. Cur podagrici & ſcorbutici frequenter calculo laborant.

TRACTATUS TRIGESIMUS SEPTIMUS.

De Putredine.

Definitio.

I. SI corpora a motu inteſtino ita immutantur, ut abeant in pultaceam maſſam, ſi ſolidiora, vel liquamen fœtens, ſi liquidiora fuerint, quod deſtillatum præbet ſalem volatilem cum oleo attenuato fœtente, hęc actio putredo dicitur.

In vegetabilibus.

II. Nec vegetabilia denegant hanc ſubire mutationem, etiamſi manifeſtam habeant aciditatem, ut acetoſę genera. Hęc enim congeſta, preſſa, ſi modo ſucculenta & tenera ſint, in meditullio ſponte ſua calere primo, dein incipiunt fervere, ebullire, flammam concipere, quandoque olere inſtar cadaveris putrefacti, cum deteſtabili & nauſeoſo ſapore, ſi deguſtetur liquamen. Oleoſa vero & acria citius liqueſcunt & corrumpuntur.

Ex animalibus.

III. Omnes humores noſtri corporis, ſanguis, ejuſque ſerum, ſaliva, bilis, urina, ipſaque ova, ſi modo triduum in tepore conſerventur, in putre liquamen convertuntur. Urina rubet, fœtet, materiem calculoſam ad latera deponit. Albumen ovi liqueſcit, fœtet. Si modo paullulum de tali maſſa deguſtetur ; nauſeam, ructum, vomitum, alvi fluorem, horrorem, vertiginem, cibi faſtidium excitabit inſtar veneni : imo diutius in tali tepore detenta ſuo halitu, vel applicatione ad noſtrum corpus in toxicum inquinat. Præprimis ſi bilis hoc modo tractata fuit. Verum in majori fervore album ovi & ſerum ſanguinis retenta in coagulum convertuntur, coagulatum id tepore fotum iterum liqueſcit : admiſtio ſalis neutrius, alcoholis, vel ſpiritus acidi, horum putredinem coercet.

Analyſis Chemica.

IV. Putris hæc maſſa arte Chemica deſtillata, ſive ex vegetabilibus, ſive animalibus deſumpta, quæ cum omnibus acidis efferveſcebat, præbet ſal alcalinum volatile ex omnibus idem ; & oleum volatile fœtidiſſimum acerrimum ; demum aliud ponderoſius piceum ; remanente in fundo carbone inſulſo, quamvis in tali maſſa ante putredinem multum ſalis fixi fuerit.

Sal & oleum putreſcunt.

V. In putredine ergo aqua & terra non mutantur, ſed ſalia fiunt volatilia ; olei vero una pars redditur volatilis, altera fixa gravis. Varios odores, ſapores, acrimoniam, & alios effectus præbet oleum ; 1. Ex longiori & breviori retentione in calore, & vehementia ignis. 2. Ex natura materiæ putreſcentis, quæ putredinem ſubiit.

Putredinis cauſæ.

VI. Duplici modo putris humor in nobis generatur. 1. Sponte ſua ex probis noſtris humoribus. 2. Ingeſtione vel admiſtione eorum, quæ putrefaciunt.

Spontanea putredo.

VII. Omnes noſtri corporis humores putreſcunt. 1. Si ſtagnant in quodam loco corporis, ut pus in abſceſſu, ſanies in cancro, medulla oſſium in carie, aqua in hydropicis, effuſus ſanguis, ſi non privetur parte tenui, alias abit in maſſam ſolidam. 2. Motu circulatorio minore, quam requiritur in corpore ſano, (hæc ſola circulatio quum ſit in hominibus viventibus cauſa, quæ corpora a putredine ſervat,) corrumpuntur ſed tardiſſime humores, ut quiete, otio, infirmitate, exercitatione intermiſſa, ſomno longiore & decubitu protracto, mœſtitia, timore, triſtitia, aliiſque circulationem retardantibus. 3. Citius vero a motu majore putreſcunt humores, quod in febribus acutis, motuque corporis majore

expe-

experimur. 4. Et calor ſive artificialis ſive naturalis ad coagulationis gradum uſque ſuſcitatus citiſſime ad putredinem diſponit humores, quum frigus eandem cohibet. 5. Agitatorum humorum diu actione vitali evacuatio intercepta, ut in alvo adſtricta, urina intercepta, & maxime in adiapneuſtia, accumulat putre. 6. Idem fere fit, ſi novo chylo non ſatis renovatur cruor, in rigidiſſima inedia, potus penuria, obſtructione meſenterii, ruptione ductus thoracici, aut eductione per alvum. 7. Vel receptus chylus ſi non remoretur ſatis diu, ſed protinus, per mammas in lactantibus, per veſicam in diabete, per cutem forſan in ſudore colliquativo, aut ulcere vel abſceſſu magno, evacuetur iterum.

Septica. VIII. Quædam venenorum genera Septica dicta, quæ non expedit propalari, noſtris humoribus miſta, eodem modo corrumpunt, ac ſi veram putredinem ſuſcepiſſent. Omnia quoque putrefacta cruori miſta, eum citius putrefacere ſolent. forſan aer peſtilentialis, & epidemicorum morborum tempore, hujuſmodi miaſmate impræg̃natus eſt, quod ſuo contagio homines ſubito interficit, & morborum epidemicorum cauſa exiſtit haud perſcrutabilis, de quibus in morbis malignis, peſtilentialibus, & epidemicis amplius.

Promoventia. IX. Tandem putredinem promovent, quæ continent ſalem alcalinum volatilem, vel ſponte ſua & facile in alcalinum volatile convertuntur, quæ in ſale alcalino deſcripta habentur.

Effectus in primis viis. X. Putredo in noſtro corpore recepta hæc generalia producit, quæ pendent ex ſale alcalino volatili cum oleo corrupto; anorexiam; horrorem deteſtabilem; nauſeam; vomitum; ſingultum; ructum, eructationem nidoroſam, fœtentem, amaram, fauces adurentem; anxietatem; cardialgiam; inquietudinem; vertiginem; ſitim; linguæ ſiccitatem; oris ſorditiem; & halitum fœtentem; gingivarum corruptionem, cum dentibus nigris vacillantibus; ventriculi ardorem; dolores colicos, iliacos; putrida fætentia ſtercora ſplendentia & ſoluta, fuſca, nigra, ſtomachum inflatum.

In reliquo corpore. XI. In reliquo autem corpore, ſanguinis diſſolutionem, tenuitatem; corporis extenuationem; urinam putridam fœtentem rubram ſpumantem acrem, craſſam, fuſcam, vix retinendam, parva copia emittendam; calorem corporis mordacem magis quam ardentem; ſaporem urinoſum, putrefactum, cadaveroſum, ab infecta ſaliva; eroſionem cinericiam, plumbeam, nigram; cito prorepentem; puſtulas rubellas, ichoroſas fuſcas, plumbeas, nigras, ſubito gangrænoſas; bubones; anthraces; maculas purpureas; efflorescentias; petechias.

Curatio. XII. Putredo varias ſubit mutationes, quæ propriam expetunt curationem, a medicis non ſatis diſtincte propoſitam.

Adſtringentia. XIII. Si enim putredo abierit in ſal volatile & oleum tenue urens, a veteribus bilis acris & tenuis dictum, ut in febribus bilioſis & eryſipelatoſis, ab acidis præprimis fixis mineralium, adſtringentibus refrigerantibuſque temperatur.

Reſolventia; Refrigerantia. XIV. Verum humores corrupti materiæ tenaci juncti, cum corporis calore, refrigerantia indicant, quæ ſimul reſolvunt.

Cardiaca. XV. Quod ſi a putredine vires deficiunt, corpuſque potius refrigeratur, quemadmodum in quibuſdam morbis malignis, putridis, & ſphacelo humorum, antiſepticis cardiaca grata miſcenda.

Reliqua. XVI. Reliqua vero, ut ea, quæ abſorbendo tenue putredinem coercent, & ſcirrhum prohibent ne abeat in cancrum; quæ puris infectionem cohibent; quæ aeris contagium peſtilentiale emendant; quæ condiunt humores, ut alcohol, gummi, reſinæ; quæ ſingularem corruptionem ſcorbuticam corrigunt; quæ ſua admiſtione intercipiunt putredinem, ut ſalia neutra; quæ corruptos humores per os, alvum, veſicam, cutem educunt, propriis ſuis titulis indicanda.

Quæſtiones. XVII. Ex his intelligimus.

1. Unde tanta Ichoris copia ex oſſis carie?

2. Num putres humores per totum corpus diſperſi, per ulcera evacuentur, an vero ibidem ſtagnando tales fiant?

3. Quo-

3. Quomodo ſcirrhus incurabilis palliatur exſiccantibus?
4. Cur vetus ſcirrhus emollientibus convertitur in cancrum?
5. Cur diatheſis phlogiſtica ſolvitur tepore; frigore autem & majore calore condenſatur?
6. Unde tandem tanta putredo in Chronicis?
7. Quæ putredo ſtimulantibus curatur?
8. Unde tam ſubito in morbis acutis ichor.
9. Num febribus putridis laborantes in calore majore conſervandi?
10. Cur pinguia applicata augent putredinem?
11. Cur dolor nervorum a reſinoſis & balſamicis miteſcit?
12. Cur olea mollia & dulcia nervis inimica?
13. Cur morbi eryſipelatoſi nequeunt ferre pinguia?
14. Num in putridis potus detrahendus?
15. Quomodo ex nimia lactatione & diabete generatur febris putrida?
16. Cur ſapor ſalſus in ore bonum ſignum in putridis?
17. Unde tanta cancri corroſio?
18. Quid indicat fætor exhalans?
19. Cur fætor cadaveroſus in corpore morbo acuto laborante tam malus?
20. Qualis circulatio requiritur ut præveniatur putredo?
21. Cur pus, ichor, aqua inſtrumenta tingens, mali ominis?
22. Quid expectandum, ſi pus diu relinquatur in abſceſſu?
23. Num multi morbi autumnales pejores, quod aer miaſmatibus impletus calore æſtivo excitatis, quæ ob frigus ſuperveniens, non ſatis attolluntur, ſed roris inſtar circa terram hærent?
24. An non magis hæc maligna aeris qualitas in morbis epidemicis accuſanda, quam abuſus fructuum horæorum?
25. Cur urinæ ſuppreſſio tandem cerebrum corrumpit?
26. Cur pinguia mollia cuti applicata in quibuſdam puſtulas excitant & pruritum
27. Quamdiu pus relinquendum in abſceſſu?

TRACTATUS TRIGESIMUS OCTAVUS.

De Salibus & acrimonia ſalina.

I. COrpora ad ignem liqueſcentia; & quæ in aqua ſolvuntur, Salia dicuntur; ſuntque ſapidiſſima, inſipida ſapida ſæpe reddunt, & quandoque mutant ſaporem. *Definitio.*

II. Salia triplicia inveniuntur. 1. Neutra; 2. Alcalina; 3. Acida. *Quotuplicia.*

III. Salia Neutra vel inveniuntur, ut ſal nitrum, ammoniacum, borax, gemmæ, fontanum, marinum, ſeu Commune: vel arte comparantur multis modis. *Sal neuter.*

IV. Arte chemica ex vegetabilibus acquiritur ſal neuter, ſi ſuccus herbæ cujuſcumque ſucculentæ, haud acris expreſſus, depuratus quiete & filtro, ad mellis diluti craſſitudinem inſpiſſatus, oleo tecto vaſe terreo receptus, in loco ſubterraneo quietus per ſemiannum retineatur; creſcent enim cryſtalli nitroſæ obſcuri coloris ad latera vaſis; nec acidæ nec alcalinæ, ſed virtutem utcunque ſingularem plantæ exhibentes, ex acido auſteris plantis tartari rhenani adinſtar; ex lacteſcentibus ſimiles nitro, inde ſalia nitroſa dicta. *Sal nativus ex liquore expreſſo.*

V. Hujuſmodi etiam ſalia in liquoribus fermentatis, *Tartarus* dictus, ad latera vaſis deponuntur, niſi vina nimis oleoſa ſint. *Ex liquore fermentato.*

VI. Herba recens viridis, vel & prius ſiccata, in vaſe ferreo per operculum fere clauſo, ſupra ignem uſtulata in carbonem nigrum, dein vaſe aperto ſupra eundem ignem retenta, virga ferrea agitata, in cineres albos non amplius ſcintillantes converſa, more Tachenii, elixatione, extinctione, ſal ut plurimum fu- *Sal medicatus Tachenii.*

ſcum præbet, quod in crucibulo ad ignem inſtar nitri fluit, facilius in igne fluens iterum, in aere & aqua multo difficilius, quam ſalia alcalina, ſolvendum.

Vires. VII. Ita parata ſalia vix alcalina ſunt, miſcibilia noſtris humoribus, coagulata reſolvunt, modice ſtimulant, aperiunt, abſtergunt, acido reſiſtunt; *purgant* a ℈i ad ℥iij præprimis adjecto ſtimulo purgante, verbi gratia aloes, ſcammonei, Rhabarbari, ſenæ, radicis Jalappæ. Egregie hypochondriacis, viſciditate impletis, aut alvo adſtricta laborantibus opitulantur. *Diureſin* movent ambulanti in aere frigidiuſculo, cum aqua tepida aſſumpta; Et *Sudores* excitant cum decocto ſudorifero calido ab ægro in lecto decumbente aſſumpta; ita febribus ex viſciditate humorum natis medentur. Abſtergunt viſciditates primarum viarum, imo totius corporis; externe ulcera ſordida mundificant; putredini reſiſtunt; appetitum erigunt, lentos tumores reſolvunt.

Salis marini abuſus. VIII. Quum multi homines in longis navigationibus coacti ſint nimiam *ſalis marini* copiam aſſumere, morbo quodam peculiari vexari ſolent: patiuntur hi atrophiam, rigiditatem, dolores rodentes, eroſiones lentas, pruritum, rubedines, ſitim, ſaporem ſalſum in ore, alvi fluxum ſeroſum, debilitatem, raucedinem: his pulſus frequentior & debilior, parvus; urina fulva cum pellicula ſalina innatante.

Curatio. IX. Quia muriatica hæc acrimonia aqua facile diluitur, & per urinam evacuatur, ſola aquæ dulcis potione ſæpe ſuperatur; maxime ſi interim corpus exerceatur, & pro alimentis aſſumantur inſulſa, jura carnium, ova ſorbilia, fructus horæi maturi, farinoſa, gelatinoſa, inſulſa. Inter medicamenta præſtantiſſima ſunt ſalia volatilia, aromatica, antiſcorbutica calida.

Sal alkali. X. *Sal alkali* duplex eſt vel fixum vel volatile: utraque cuti applicata eſcharotica ſunt; ſaporis urinoſi, colorem violarum in viridem commutant, effervescunt cum acidis.

Fixum. XI. *Sal alkali fixum* eſt, quod ab igne moderato non attollitur, nullibi exiſtens, ſemper ignis ſoboles, ſal lixivioſum & lixivum, quod ex lixivio paratur, dictum & alkali, ab herba kali juxta flumen Nilum creſcente, ex qua Ægyptii concremata ſal conficiebant, cum adjecto articulo Arabico Al, appellatum, male vero ſal urinoſum quoque dictum. Sed ſalia ex vegetabilibus ſolis, ſi excipias ex mineralibus nitrum, quod cum carbone aut tartaro combuſtum in alcali convertitur, huic præbent materiem. in animali enim regno nulla inveniuntur.

Modus præparandi. XII. Salia Tartarea, medicata Tachenii, vel ex cineribus herbarum ſiccatarum igne aperto combuſtis, elixatione parata, (quando multo minor quantitas, hac vulgari methodo, ſalis acquiritur, ſed magis alcalini) crucibulo indita, ſi in igne fluunt diu, ſenſim per gradus magis alkalina fiunt, tandem ad rubedinem calcinata, acerrima fiunt cauſtica; vehementi igne calcinata omnia vaſa penetrant; vel, ſi terra adſit, in vitrum abeunt.

Dotes. XIII. Hujuſmodi ſal, ex quavis planta fere ejuſdem virtutis, inodorum, urinoſi ſaporis, qui ex ſale ammoniaco noſtrorum humorum & ſalivæ, ab admiſto ſale alcalino fixo, talis fit; ſæpe in aere liquefactum & igne exſiccatum tandem amittit acredinem, & ſalis neutrius naturam induit: ſpiritibus acidis mineralibus commiſtum, ut aluminis, nitri, ſalis communis, poſt effervescentiam ea regenerat; acetum in aquam convertit; olea & reſinas ſolvit, & cum iis in ſaponem abit; cum lacte coctum id aliquantulum coagulat, & primo flavum dein rubrum fit; reliquos noſtros humores ſolvit.

Uſus medicus externus. XIV. Salia alkalia diu calcinata, vel cum calce viva in ſal acerrimum facile liqueſcens in aere converſa, ad uſum tantum externum adhibentur; ſi aliquid exedendum, vel in eſcharam convertendum; gangrænæ limites ponendi; ulcera ſordida cacoethea expurganda ſi ſint: interne autem ſumpta venena ſunt.

Uſus medicus internus. XV. Salia vero alcalia combuſtione ad minorem acrimoniam evecta, qualia in officinis proſtant, poſt effervescentiam acidum extinguunt; obſtructiones a materia viſcida, auſtera pinguedinoſa reſerant; lentum glutinoſum reſolvunt, abſter-

ſtergunt; ad ulcera ſordida depuranda, puſtulas extinguendas, furfures, maculaſque cutaneas depurgandas, quæ ex acido, auſtero, vel glutinoſo oriuntur, præſtantiſſima: ſecretiones, excretiones, alvum, urinam & ſudorem, excitant; menſes movent, appetitum ex viſcido dejectum excitant; fami caninæ & malaciæ, ciſſæ ex acrimonia acida medentur; flatus diſcutiunt; ſtomachi concoctionem promovent; in omnibus morbis chronicis a viſcido, glutinoſo, acido, auſtero defectu bilis ſaponaceæ, magni uſus; febres meſentericas dictas, Chloroſin, cachexiam, ſcorbutum, curant.

Volatile.

XVI. Salia alcalia volatilia, & ſalia urinoſa dicta ex odore & ſapore, multiplicia ſunt, quamvis non omnia vere alcalia ſint, ſed ob nonnullas proprietates ad hæc referuntur.

Ex animali regno, deſtillatione.

XVII. Regnum animale copioſiſſima ſuppeditat, nulla enim pars animalis, quin putrefacta ſalem volatilem alcalinum exhibeat; ita ex unguibus, oſſibus, carne, cornubus, ſanguine ejuſque ſero, ſaliva, ſucco pancreatico, bile, excrementis, urina, ovis, vel ſola deſtillatione ſal volatile alcalinum eliciunt Chemici, licet ne veſtigium quidem alcali ante deſtillationem præbuerint, & inde alcaleſcentia dicta; illa autem animalia præ ceteris alcali pollent, quæ aliis nutriuntur animalibus, ſive quadrupedes, ſive piſces fuerint. Potuit ergo major ignis vis materiam non alcalinam animalium convertere in alcali volatile; ut & major noſtri corporis calor.

Putrefactione.

XVIII. Hæc omnia in leni calore ſervata putreſcunt, ut & lac animalium aliis animalibus paſtorum, quæ corrupta maſſa multum ſalis alcalini volatilis exhibet deſtillatione: poſſunt ergo ſtagnatione noſtri humores alkalinam induere indolem.

Ex vegetabili putrefactione.

XIX. Nec putrefactio in alcali volatili producendo ex partibus animalium ſubſiſtit, ſed ex herba qualibet ſucculenta, tenera, in acervum congeſta, preſſa, etiam conficit materiam pultaceam fœtentem cadaveris inſtar, quæ deſtillata ſal ſimile ac ex animalibus profert omni dote. In reſiduo vero tunc nihil ſalis fixi remanſit. & omnis ſpecifica vis earum plantarum periit, quæ tamen poſt fermentationem utcumque ſuperſtes erat.

Combuſtione.

XX. Ex vegetabilibus igne aperto combuſtis, in fumum elevatis, & fuligine collecta, ſal volatile alcalinum parare norunt Chemiæ periti. Patet ergo ſalia fixa vegetabilium igne aperto elevari poſſe, & quædam horum in volatilia converti.

Deſtillatione.

XXI. In quibuſdam plantis ſal alcali volatile nativum invenitur, quod ſola deſtillatione ex retorta vitrea colligitur, ut ex Armoracia, Naſturtio, Cochlearia, Raphano, Thlaſpi & ſimilibus acribus plantis, quæ ſolæ ex retorta deſtillatæ igne arenæ per gradus, primo aquam fœtidam, dein ſpiritum oleoſum, poſtea oleum flavum ſupernatans, denique ſal volatile oleoſum, album, lateribus excipuli adhærens, ſub ſpecie fumi albi prodeuns, remanente in retorta oleo craſſo, piceo, quo expulſo, ſolum carbonem ſine fere ullo ſale alcalino fixo exhibent.

Ob convenientiam huc quoque aromatum acrimonia conferri poteſt.

An ergo hæc cum aceto infuſa & deſtillata ejus aciditatem intendunt?

Mineralibus.

XXII. Ex mineralibus ſolum nitrum ſalem volatilem quantum ſcio ſuppeditat, ſi paratur ex ſpiritu nitri cum ſpiritu ſalis ammoniaci. ſal enim ammoniacum potius ad ſal animalium referendum.

Virtutes.

XXIII. Salia alcalina volatilia pura omnia eadem ſunt, varietas ab oleo adhærente dependet. Singulares ergo virtutes deſumendæ ex deſcriptione eorum ſimplicium, ex quibus deſumptæ ſunt. Pura hæc cum acidis effervelcunt, abeuntque in ſalem ammoniacum, ſtimulantia ſunt ſed brevi tempore. Reſolventia diuretica; Sudorifera; cuti applicata, Cauſtica; fumi ſpecie pulmonibus recepta ſuffocant; nares expurgant; ſenſus excitant, ut in apoplecticis, hyſtericis, ſyncope prehenſis; verrucas extirpant; odores exaltant; aſſumpta corporis calorem

non adaugent ut alcalia fixa, quare in fervidioribus regionibus, ad nimium corporis calorem temperandum, hi homines ſalibus volatilibus ſæpiſſime utuntur.

Sapones naturales. XXIV. Sapones denique alcalini inveniuntur vel naturales vel artificiales. Naturales ex animalibus ſunt vitellus ovorum, bilis, ſaliva; ex vegetabilibus aloe, omneſque ſucci plantarum, quæ abſterſivæ dicuntur.

Artificiales. XXV. Artificiales vero fiunt ex alcali fixo cum oleo expreſſo vel deſtillato: vel ex ſale alcalino volatili cum oleo preſſo & deſtillato, atque alcohole in offam Helmontianam. huc conferendi ergo ſapo niger, venetus, ſtarkeianus, ſales volatiles oleoſi, aromatici & ſpirituoſi, ſapo ſapientum.

Vires. XXVI. Solvunt hi viſciditatem, ſtimulant, in acido auſtero domando egregii; bilis defectum ſupplent, ſtomachi coctionem promovent, abſtergunt ulcera ſordida; nocent humoribus putridis, & peſtilentialibus, & nauſeam creant.

Acrimonia Alcalina. XXVII. Quum duplex inveniatur alcali, alterum fixum, alterum volatile, duplex quoque genus morborum ex acrimonia alcalina videtur in nobis ſuſcitari poſſe; verum quia alkali fixum actione noſtri corporis non generetur, ſolaque ingeſtione ſuſcitari poſſit, haud credendum eſt, hoc genus acrimoniæ in nobis morbos creare frequenter, quum raro ſalia alkalina fixa in tanta copia aſſumantur; & ſi aſſumpta ſint, brevi iterum extinguerentur actione noſtri corporis.

Origo. XXVIII. Verum duplici modo ex alcali volatili in nobis morbi fiunt. 1. Si ingeruntur alcalia volatilia ſuperius recenſita, vel quæ ſponte in alcali convertuntur, alcaleſcentia dicta. 2. Ex ſpontanea mutatione noſtrorum humorum.

Ex noſtris humoribus. XXIX. Omnes enim noſtri humores, ſi chylum & lac poſt acidorum & acescentium uſum excipias, alcaleſcentes ſunt, alcalinamque naturam tandem induunt. 1. Si poſt diuturnam circulationem non expellantur e corpore. 2. Si detrahatur aquoſæ & acidulæ potionis ſufficiens quantitas. 3. Calore corporis nimio, ſive externe conciliato, ſive interno, ut in ardentibus. 4. Circulatione vehementiore, ſive hoc fiat motu vitali majore in acutis, ſive animali in exercitationibus. 5. Stagnatione diuturniore humorum in quocumque corporis loco. Hæc omnia citius perficiuntur, ſi alcalia vel alcaleſcentia ſimul ingeruntur.

Curatio. XXX. Quum hæc alcalina acrimonia ſola raro in nobis producat morbos, ſemperque aliquid oleoſi ſive pinguedinis adjunctum habeat, hujus itaque cognitio & curatio ex ſuperius deſcripta putredine (T. 37.) facile peti poſſunt.

Corollaria. XXXI. Ex his cognoſcimus

1. Cur ſpiritus ſalis ammoniaci miſtus ſpiritui ſalis marini abeat in ſal ammoniacum?

2. Quomodo nitrum fit volatile?

3. Quomodo in alcali fixum convertitur?

4. Num ſalia alcalina ſoluta ad nervos non poſſunt venire?

5. Cur in podagra ſæpe ſummi uſus?

6. Cur ſalia alcalina cum calce viva redduntur acerrima, ignea, cauſtica?

7. Cur minus ſalis fixi comparatur ex plantis vetuſtis, exſiccatis, & combuſtis, quam recentibus?

8. Num ſal alcali fixum nativum, vel ignis ſoboles?

9. Num ſal acidum ſola combuſtione non poteſt converti in alcali? exemplo ſit Tartarus.

10. Num impoſſibile ſal alkali fixum poſſe volatile fieri? Docet deſtillatio ſaponis ex ſale fixo cum oleo volatili facti.

11. Num ſal alcali, ſal nativum plantarum?

12. Cur plus ſalis acquiritur ex plantis vaſe clauſo combuſtis, quam igne aperto?

13. Quanti interſit ſcire, num ſalia parum vel multum calcinata ſint?

14. Num ſalia acida, vel alcalia fixa, vel volatilia, in noſtris humoribus ſanis inveniuntur?

15. Num ſalia alcalia & acida ex noſtris humoribus producta fermentatione, putre-

putrefactione, & combuſtione, demonſtrant hæc antea extitiſſe?

16. Cur urinæ ſuppreſſio nociva in morbis acutis?

17. Num illis, qui febre acuta laborant, acidulorum potatio prohibenda?

18. Cur alvus adſtricta in acutis mala?

19. Num rigidiſſima inedia in morbis putridis imperanda?

20. Num Aer calidus vel frigidiuſculus in ardentibus eligendus?

21. An corpus multis vel paucioribus ſtragulis cooperiendum in acutis?

22. Num tales ægri in lecto coercendi, vel aeri magis perflato exponendi?

23. An ſtragula & veſtimenta renovanda, aut iiſdem continuo utendum, quamdiu morbus durat?

24. Num calefacientia & ſtimulantia in acutis exhibenda & applicanda.

Definitio acidi.

XXXII. Corpora humida vel ſolida; quæ ſaporem acidum exhibent, cum alcalicis efferveſcunt, & colorem florum violarum, borraginis, aut cichorei, in rubrum convertunt, acida dicuntur.

Vegetabilium naturalia ſaponacea.

XXXIII. Talia copioſiſſima in regno vegetabili inveniuntur naturalia: ut acetoſa, acetoſella, tamarindus, ceraſa, ribeſia, berberis, mala, pyra, aurantia, citria, limonia, omphacium, ſuccus acaciæ, ceterique fructus horei aciduli, quæ ſale nitroſo ſaponaceo, & auſtera quadam adſtrictione æſtum ex oleo bileque exaſſatis, putridis, egregie temperant.

Artificialia aceſcentia. fructuum horæorum.

XXXIV. Aut ex non acidis acida fiunt fermentatione; ut omnes ſucci fructuum ſucculentorum, qui in fermentationem adigi poſſunt: 1. Ex baccis, fructibuſque acido-dulcibus; ut ſunt ceraſa, ribeſia, ſambuci & ebuli baccæ, poma, pyra, pruna, poma aurantiorum Chineſium, meſpila, melo, melopepo, ananas, fraga, mora, baccæ rubi Idæi, mala armenica, perſica, cydonia matura, ſebeſten, ficus, uvæ. quorum maturorum ſuccus a fermentatione vix poteſt coerceri. inter hæc vina Moſellanum & Rhenanum excellunt: ante fermentationem ſunt ſaponacea, reſolventia, refrigerantia, oleoſum aduſtum, & phlogiſticum incidentia, refrigerantia: poſt fermentationem ut cetera vina vel aceta operantur.

Succi plantarum.

XXXV. Simili modo ex ſuccis expreſſis plantarum ſucculentarum omnium, & decoctis, quarum vix ulla acrimonia deprehenditur, ſuccus acidus fermentatione præparatur & vinoſus, ejuſdem virtutis ut præcedentium.

Succi concreti.

XXXVI. Ex ſuccis quibuſdam inſpiſſatis, dein aqua dilutis, acida quoque fiunt: ut ex melle, ſaccharo, manna, caſſia, reliquiſque ſaponibus aceſcentibus, qui reſolvendo viſcidum, etiam alvum movent.

Farinoſa diluta.

XXXVII. Farinoſa omnia non nimis oleoſa, vel pinguedine aliquantulum orbata, cum aqua diluta, vel concocta, fermentatione abeunt in vinum, vel acidum glutinoſum. hæc farinoſa macerata, humida ſic collecta in acervum, donec progerminant, & aere vel igne ſubito exſiccata, malta vocatur, ex qua zythopeptæ cum aqua cereviſiam concoquunt.

Succi ſtillantes.

XXXVIII. Succi ſtillantes vitis, betulæ, juglandis & ſimilium, & forſan quædam aquæ fluminum ſucco vegetabili impregnatæ, fermentatione in acidum abeunt.

Ex vino.

XXXIX. Ex vino quoque nova ſuſcitata fermentatione paratur acetum: quod promovetur ſtipitibus, caulibus, foliiſque plantarum acido-auſterarum, fermento piſtorum, fæcibus vini acidi vel aceti, tartaro, ejus cremore & cryſtallis, aceto ipſo & vaſe eo impregnato, loco calido; quo generoſius vinum vel zythus, eo acetum fortius. vaſe hermetice clauſo etiam in acetum abit, ſed vini ſpiritus ſi evolaverit, non fit acetum.

Ex tartaro.

XL. Acidum hæret quoque in tartaro crudo, præprimis rhenano, ejus cryſtallis & cremore.

Ex lignis deſtillatis.

XLI. Sola deſtillatione ex ligno juniperino, guajaco, quercino & ſimilibus, paratur liquor acidus, volatilis, oleoſus.

Aceti exaltatio & ſuppreſſio.

XLII. Acetum deſtillatione ſenſim debilitatur, a majori igne amaricat; verum

ſi a nitro, ſale marino vel ammoniaco abſtrahatur, vel a pipere, ſinapi, eruca, & ſimilibus, acrius fit.

Ex animalibus. XLIII. Ex animali regno nulla inveniuntur acida, ſi chylus & lac ex vegetabilibus natum excipiantur, quod præbet lac aceſcens, cremorem aceſcentem, ſerum lactis, lac defloratum, ebutyratum, caſeum; ſal enim ammoniacale in animalibus acidum manifeſtum non prodit.

Ex mineralibus. XLIV. Ex mineralibus deſtillatione ponderoſiſſima acida, ut ex ſulphure, nitro, ſale marino, gemmæ, & vitriolo, eliciuntur.

Effectus. XLV. Acida putredini reſiſtunt atque corruptioni; putridaque ulcera & gangrænas coercent, quæ maligna dicuntur; virulentiam multorum medicamentorum, venenatorum, emeticorum, purgantium, opii, & eorum, quæ in ſale volatili ſeptica maligna conſiſtit, temperant, corrigunt; ſalem alcalinum volatilem & fixum in ſalem neutrum convertunt; unde in febribus malignis eryſipelatoſis, inflammatoriis, ardentibus, & bilioſis, atque ictero ex tenui corrupta bile, & ipſa peſte febribuſque peſtilentialibus, magni uſus; ſpiritus fermentatos inflammabiles ſupprimunt, unde in ebrietate, ſyncope & apoplexia atque delirio ex hac cauſa utplurimum adhibentur; virulentiam inſectorum & animalium atque multorum vegetabilium extinguunt, ut applicatio & exhibitio in his caſibus comprobat; menſium profluvium, libidinis venereæ œſtrum acribus proritatum, compeſcunt, cur ſperma extinguere creduntur; narcoſim ex opii abuſu, & putredine in febribus malignis, cohibent; cum regimine exhibita ſudorem & urinam cient; inappetentiæ & nauſeæ ex humoribus putrefactis in ventriculo, vel bile corrupta regurgitante, aut humoribus putridis in ſtomachum depoſitis, medentur egregie; tumores ſcirrhoſos & œdematoſos ſolvit aceti vapor, vel gummi miſtum, craſſam mucilaginem & pituitam attenuat & diſcutit, abſtergit, ad pulmonis vero pituitam abſtergendum dulcibus permiſcetur; incidens penetrans & optimum peſtis prophylacticum acetum; motum oſcillatorium inordinatum compeſcit, qua virtute refrigerat, hæmorrhagiamque compeſcit, falſo a ſanguinis coagulatione deductam, ſanguini enim miſtum diluit, ſed fortiora, ut oleum vitrioli, coagulant ſanguinem.

Spiritus ſalium. XLVI. Spiritus nitri, & ſpiritus nitri dulcis præprimis, ſolvunt tophaceas concretiones, quare in nephritide tanti uſus. In eundem quoque uſum extollitur ſpiritus ſalis marini, & præprimis in anorexia & gangræna ex putredine; ſpiritus ſulphuris per campanam coagulando & refrigerando, ut reliqua acida agit, & ad vitam prolongandam laudatur. Spiritus vero vitrioli ſimul modice adſtringit, unde in hæmorrhagiis præ aliis excellit.

Experimenta. XLVII. Acida præcipitant alcalia, & debiliora acida: Ut coralia in aceto ſoluta præcipitantur ſpiritu ſulphuris; Oculi cancrorum ſpiritu nitri ſoluti præcipitantur ſpiritu vitrioli. Acida & alcalia pura miſta efferveſcunt: impura & abſcondita fermentant. Oleum vitrioli cum oleo aniſi abit in reſinam. Fæces aceti alcali præbent. Sæpe pinguedine abſconduntur, ut in ſulphure & vino. Oleoſa acidis miſta albeſcunt, ut ſulphuris ſolutio; acida non indifferenter omnia corpora ſolvunt. Acidum vitrioli & ferri abit cum auſteris in atramentum, quod exuit colorem admiſtione ſpiritus vitrioli, ſulphuris, nitri, & ſalis marini. Spiritus ſalis ammoniaci ab acidis in ſalem fixum mutatur. Hæc ad cognoſcendos, & curandos morbos, ſæpe magni momenti, præprimis in præſcribendis medicamentorum formulis.

Acidæ acrimoniæ materia. XLVIII. Quum in nobis deficiat materia ad acidum producendum, ejus ergo origo ex ingeſtis petenda: quæ vel ipſa acida ſunt aut naturalia aut artificialia, vel quæ ſponte ſua in loco calido in acidum abeunt, inde aceſcentia dicta: hæc omnia ſuperius recenſita ſunt.

Cauſa. *1. Ingeſtionis.* XLIX. Omnes noſtræ corporis actiones quoniam acida extinguunt, etiamſi pura ingerantur; hujus itaque generatio in defectu functionum, & ingeſtione acidorum, vel aceſcentium, poſita eſt.

2. Ipſius corporis. L. Si ergo homo talia ingerat, cujus viſcera debilia, laxa, inertia, humores amiſe-

amiſerunt ſaponaceam naturam, vel copia deficiunt, quacumque evacuatione profuſiore: aut cui motus vitalis animaliſque languidus, minuſque exercitatus; huic ſemper generabitur acida acrimonia.

Effectus in ventriculo.

LI. Acidum in corpore natum multa producit mala, maxime in primis viis, ubi copioſius, minuſque mutatum, actionemque viſcerum & humorum vix paſſum. Rodendo ventriculum cardialgiam, bulimum, appetentiam caninam producit, alimenta ingeſta in ſimilem corruptelam mutat; lactis concreti revomitum, anxietatem præcordiorum, flatus, murmura, ructus & eructationem humoris, dentibus ſtuporem inducentis, generat.

Inteſtinis.

LII. Ex ventriculo ad inteſtina delatum, ſi a bile & ſucco pancreatico non ſubigatur, tormina; rugitus, & murmura ventris, dolores colicos, iliacos, frigidos, rodentes excitat; ipſius quoque bilis ſuccique pancreatici ſaponaceam naturam extinguit; bilem æruginoſam, imo atram producit; fæces alvinæ torminoſæ, æruginoſæ, aut albæ flatulentæ, acidum ſæpe ſpirantes emittuntur; & ex conſenſu harum ſæpe totum corpus convellitur.

Curatio.

LIII. Hic ſi hæreat materia, vel expellenda, vel corrigenda eſt.

Vomitoria purgantia.

LIV. Expellitur Vomitorio mitiſſimo vel purgante per alvum ſemel tantum aut bis, quum corpus debilitent, & inde cauſam acidum generantem adaugeant.

Antacida.

LV. Corrigitur antacidis 1. Evitando omnia ea, quæ ſponte in loco calido in acidum vergunt, ſuperius citata. 2. Cibo & potu eorum, in quibus alcali prædominatur, aut quæ ſponte non abeunt in acidum. 3. Medicamentis acidum abſorbentibus. 4. Diluentibus. 5. Obvolventibus. 6. Obtundentibus & corruptionem inhibentibus. 7. Convertentibus in ſal neutrum. 8. Subactione acidi majore robore, motuque corporis.

Diæta.

LVI. Diæta non aceſcens ex vegetabilibus aromaticis, ſpirituoſis, cum pauco ſalis alcalini; animalibus, maxime parum bibentibus, aliiſque animalibus nutritis; quadrupedibus, avibus, piſcibus; horum caro præprimis aſſa, gelatina, jus, ova quoque aſſumenda.

Acidum abſorbent.

LVII. Sunt corpora quædam inertia bibula, quæ acidum in ſe recipiunt & ſimul ita infringunt, ut nihil acidi reſtet, inde acidi abſorbentia dicta: qualia ſunt oculi cancri, oſtracodermata, conchæ mytulorum, coralia alba & rubra, creta alba, rubra, bolus, oſteocolla, oſſa animalium, tam quadrupedum quam piſcium, mandibula lucii, margarita, lapides, marga, cornua cervi calcinata, mater perlarum, limatura ferri, ſtanni, ſaturnus, aurum, lapis hæmatitis, ſanguis draconis. Hæc omnia extinguunt quidem acidum, ſed, ſi viſcidum adſit, in lapideam molem ſæpe concreſcunt; aut ſi multum acidi inveniant, moleſtam ſuſcitant efferveſcentiam; quædam cum acido abeunt in auſterum conſtringens. ultra primas vias vix operantur, quum orificia lacteorum penetrare haud queant, unde horum uſus & damna patent.

Diluunt.

LVIII. Diluentibus etiam acrimoniam acidam mitigari quiſque intelligit; verum quia laxando ſolida, minuendoque corporis actionem, acidi cauſam adaugeant, plus damni hæc quam emolumenti adferre ſolent.

Obvolvendo.

LIX. Eodem ferme modo pinguedinoſa oleoſa mollia obvolvendo acre acidum, muniendoque partes contra roſionem, leniunt dolores, ſed ſæpe exhibita ſolida laxant. Attendendum, acre rodens num ſit ex oleo vel pinguedine corrupta, quod multis impoſuit: faces enim accendet malo, ſed ſi ſimul aromatica ſint & ſpirituoſa, præſtantiſſima ſunt anodyna. Mucilaginoſa ex animalibus idem fere agunt; ſed glutinoſa vegetabilium, quamvis ingeſta mollia, brevi in eandem degenerant acrimoniam.

Obtundendo.

LX. Obtunditur acidum, reſinis lignorum, atque balſamis, gummique aromaticis; ſulphureis fixis; corruptionem enim ingeſtorum prohibent, condiunt humores, nervis gratiſſima, & corpus intrare poſſunt. quibus ſæpe ſolis, utpote mitiſſimis, tota abſolvitur curatio, præprimis ſi viſcidum ſimul adſit.

Immutantia.

LXI. Immutantia acidum in ſal neutrum ſunt omnia alcalia fixa & volatilia, eorum-

eorumque ſapones, quæ in acida acrimonia hoc incommodi habent, quod nimis efferveſcant; quare parva doſi, ſæpe repetita, exhibenda; egregia ſunt, ſi acidum cum auſtero vel viſcido junctum ſit. Naturalia ex animalibus ut bilis, vitellus ovi, ſaliva; ex vegetabilibus plantæ acres aromaticæ, alcalinæ, abſterſivæ, antiſcorbuticæ, earumque ſucci condenſati, expreſſi, coctive, alcaleſcentes, vel & alcalini, utplurimum ſine efferveſcentia opus ſuum peragunt.

Subigendo. LXII. Tandem propria corporis actione omnis deſtruitur aciditas. Solida ergo roboranda, ſtimulanda, movenda, motu exercitationis, frictionis, vectionis majore, ſtimulantibus ſtomachicis exhibitis & applicatis acido contrariis. In quibus obſervandum, ne nimis cito & fortiter fiant, acria enim in actum ducta intolerabiles inducerent dolores, & ipſa ſæpe vaſa diſrumperent.

Sanguini miſtim. LXIII. Acidum ex inteſtinis per lactea delatum ſanguinem corrumpit cum pallore, omnes ſæpe inde ſecretiones inficit, hinc urina alba turbida, quandoque acida ſtrangurioſa: ſudores, materiaque inſenſibilis perſpirationis acida, coralia rubra geſtata dealbans: ſcabiei, puſtularumque quædam genera in cute, & efflorescentias generans; humoremque acrem tenuem rodentem in ulcera deponens.

In nervis. LXIV. Præprimis ſuccum nerveum inter fibrillas nervorum circulantem, a tunicis eorum ſecretum, inquinare videtur, tam nervorum vitalium, quam animalium, unde ſyncopen, vertiginem, cordis compreſſionem, anxietatem, palpitationem, oſcitationem, aurium tinnitum, convulſionem, dolorem, arthritidem, & forſan podagram, producere ſolet, vellicando nervoſas fibrillas externe.

Curatio. LXV. Curatio hujus, in ſanguine & nervis concepti, eadem ut ſupra, niſi quod ſudorifera, diuretica, diaphoretica, & applicationem ad cutem, prioribus poſſimus addere.

Sudorifera & diaphoretica. LXVI. Sudorifera & diaphoretica ex ſuperioribus petuntur, cavendum ne nimium inſtiges aut evacues, omnis enim evacuatio copioſior officit.

Duratio. LXVII. Diuretica ex balſamicis, quum nervis admodum grata & humorum corruptionem inhibent, præ reliquis excellunt.

Topica. LXVIII. Topica, ad pruritum puſtulaſque minuendas, convulſiones atque dolores mitigandos, multa adhibent practici.

LXIX. Cognoſcimus inde

1. Num acida conſtituunt principia corporum, ut multi Chemici?
2. Num acetum calefaciens, quod ſpiritum inflammabilem contineat?
3. Num acetum contineat acidum nitroſum vel vitriolicum.
4. Num acida in alcali mutabilia?
5. Num chyli color albus ab acido?
6. Quid in fermentatione prædominatur acidum vel alcali?
7. Cur acidum frequens in infantibus nunquam acido utentibus?
8. An in morbis acutis, ubi valida habetur circulatio, acidum accuſandum?
9. Num variolæ & morbilli ab acido prædominante?
10. Num acida omnia ſanguinem coagulant?
11. Unde ſapor ſalſus in ore in fine acutorum ab exhibitis acidis & aceſcentibus?
12. Num aphthæ albæ benigne ab acido?
13. Num ſanguis menſtruantium niger ab acido, ut multi ſtatuunt?
14. An acidum phthiſis cauſa, cujus optima prophylaxis lac & lacticinia?
15. An æſtus febrilis ab acido derivandus?
16. Num ſanies ex oſſe carioſo & fiſtulis profluens acidum arguit, vel pinguedinem, aut medullam corruptam?
17. Num acidum mercurii extinguit acidum luis venereæ?
18. Cur melancholicis, hyſtericis, podagricis, morbis nervorum laborantibus, nociva.
19. Num ſpirituoſum exhalat, ſi vinum abeat in acetum?
20. Num piper aliaque acria aceto miſta aciditatem intendunt vel minuunt,

cum

cum acetum ad guſtum penetrantius ex his fiat?

21. Cur acida, a ſanis & morbis acutis laborantibus aſſumpta, nihil acidi præbent excrementis?

22. An ex partibus animalium nunquam acidum deſtillari poteſt?

23. Num acida ſemen extinguunt?

24. Quando ſtomachica præſtantiſſima?

25. Num ſcirrhus a coagulo acido?

26. Num acida compeſcendo motum, vel attenuando, vel incraſſando ſanguinem, refrigerant?

27. An omnia acida eundem effectum præſtant in noſtro corpore?

28. Cur acidi ſymptomata in primo coctionis organo frequentiora?

29. Cur caſtoreum excellit in morbis convulſivis ab acido.

TRACTATUS TRIGESIMUS NONUS.

Crudus Humor.

I. CRuditas a medicis ſupponitur duplex: 1. Minor ingeſtorum ſubactio, quam requiritur ad nutritionem: 2. Materiæ morboſæ ineptitudo ad eductionem: De priori tantum hic poteſt agi. *Differentia.*

II. Generatur: 1. Vitio ingeſtorum: 2. Ipſius corporis defectu. *Cauſæ.*

III. Ingeſta tenaciora, quam ut poſſint ſubigi; aut 2. in tanta copia ingeſta, quæ ſuperat vires, cruditatem generant.

IV. Ipſius hominis aſſumentis culpa naſcitur; 1. Laxitate ſolidorum; 2. Vi vitæ debili; 3. Defectu humorum vitalium; 4. Amiſſa eorum naturali ſaponacea natura; 5. Exercitatione corporis omiſſa in otio, ſomno longiore, ſtudio, mœſtitia; 6. Senili & puerili ætate; ſexu ſequiore; 7. Defectu maſticationis, ſalivæ, ſucci ſtomachi, bilis, eorumque amiſſa ſaponacea natura; 8. Stomachi & inteſtinorum infirmitate & inertia; 9. Multis morbis chronicis, qui viſcidum generant, ſolida enervant, debilitant & laxant. his omnibus, ex alimentis probis tamen generatur cruditas.

V. Crudus talis humor in ſtomacho, inteſtinis, vel meſenterio, collectus, deſtruit appetitum; nauſeam creat & vomitum; alvus copioſora deponit excrementa, venter intumeſcit; novi ingeſti aſſimulationem impedit; bilis ſuccique pancreatici & inteſtinalis ſaponaceam vim exſtinguit; in glandulis meſenterii facile hæret, eas opplet, lumbi gravitate dolent, ſpirandi difficultas, ob impeditum ſepti medii deſcenſum. *Effectus in primis viis.*

VI. In ſanguine receptus pallorem, tumorem, inertiam, obſtructiones, defectum ſpirituum, urinam craſſam albam, contentis ſaturatam, inodoram; animi deliquium, functiones omnes languidas, motus intolerantiam, anhelitum ad minimum motum producit, os humidum tenui & alba pellicula obductum; ſæpe vertigo, ſyncope, capitis dolor gravativus, crurum laſſitudo, cita defatigatio, imbecillitas, laxitas ſolidorum, tumores œdematoſi extremorum & faciei, præprimis ſub oculis, & in fœminis menſtrua tarda fiunt, minuiturque perſpiratio. *Effectus in ſanguine.*

VII. Hæc materia, vel quod ingeſta tali indole prædita ſint, vel ſponte longiori mora in corpore alienas ſubeant qualitates; 1. Inviſcatur, glutineſcit, vel craſſam, piceam, atrabilariam naturam, aut ſcirrhoſam, lentam pituitoſam, gypſeam induit: aut 2. Acrimoniam acquirit, manente craſſa cruditate, vel ſimul liqueſcit, unde multi & ſæpe contrarii morbi naſcuntur ex eadem materia.

VIII. Curatio hujus, antequam in aliam abierit naturam, abſolvitur in primis viis. *Curatio in primis viis.*

1. Eductione eorum, quæ in primis viis hærebant, purgantibus mitioribus quæ ſimul roborant: vel vomitoriis leniſſimis, cum omnes evacuationes validiores noceant.

2. Ingeſtione eorum, quæ ſunt facilis digeſtionis, parciori quantitate.
3. Stomachicis & aromaticis promovendo concoctionem.

In reliquo corpore. IX. In ſanguine vero receptus haud facile educitur, quare evacuantibus per alvum non ita inſiſtendum, ſed in aliis continuandum, ut bonus ſuppeditetur chylus.

X. Hoc obtinemus: 1. Si ea ingeſta cruda, defectu virium vitæ non ſatis ſubacta, ulterius vi noſtri corporis ſubigantur, quum nullum ſit cognitum medicamen, quod crudum concoquat, ſed virium vitæ id eſt opus: itaque vires erigendæ ſtimulantibus, roborantibus, exercitatione corporis, frictionibus, vectionibus; in his obſervandum, ne nimis ſubito talis inducatur motus, quo impingantur cruda vaſculis minimis, & ibidem obſtructiones, ſuffocationes, aut ſimile quid producant; quare a leniſſimis incipiendum, donec ſatis fluxilis ſit facta materies, dein ad fortiora tranſeundum: adjuvanda eſt ſolutio ſaponaceis, præprimis alcalinis, quæ fiunt ex ſalibus lixivioſis & neutris, atque ſaponibus artificialibus & naturalibus, tam ex vegetabilium ſuccis inſpiſſatis, decoctiſque, quam animalium bile. 2. Cavendum ab omni nimia ingeſtione alimentorum, præprimis eorum, quæ glutinoſa, tenacia, dura, valde pinguia, fumo ſaleve indurata ſint, ne nova ſuppeditentur, quæ difficulter in noſtro corpore ſubigi poſſunt.

Quæſtiones. XI. Cur poſt profuſas evacuationes generantur cruditates?
2. Cur a febre quartana aliove morbo diuturno tanta crudorum accumulatio?
3. Cur aſthmatici, aliove vitio pulmonis laborantes, ita humorum cruditate opplentur?
4. An non bilis defectus & inertia cruditates generare poſſit?
5. Cur otioſi, mœrentes, & qui ſtudiis nimiam dant operam frequenter cruditatibus laborant?
6. Cur pueri, ſenes, & mulieres, frequentius cruditates generant.
7. Num pectoris dolor ſemper venæ ſectione levandus?
8. Num urina cum ſedimento craſſo ſemper coctionis ſignum?
9. Quid febris meſenterica? an ea Cortice peruviano curanda?

TRACTATUS QUADRAGESIMUS.

De Viſciditate Humorum & Pituita.

Definitio. I. VIſcidum ſeu *glutinoſum* in nobis dicitur, ſi partes liquidum conſtituentes inter ſe, & cum aliis adjacentibus, tenacius hærent, quam requiritur in ſanitate; & ea quidem lege, ut hanc exuant utcunque naturam, ſi id phlegma majori calore foveatur, vel circulatione validiore agitetur; atque tunc in liquorem facilius fluentem convertatur.

Pituitæ 4. genera. II. A Veteribus quatuor *Pituitæ* genera numerabantur. 1. *Inſipida*, *Dulcis*, *Cruda* inſtar muci craſſa, majori copia peccans, ex alimentis nata, quæ quoque *glutinoſum ſpontaneum* poteſt vocari.

2. *Vitrea* vel pellucida vel opaca, utplurimum in inteſtinis hærens, priori magis denſa, ſæpe in morbis per alvum emiſſa; ex eadem materia ingeſtorum, ſed magis compacta; vel ex collecta mucilagine inteſtinorum, nata.

3. *Gypſea*, veluti corpora firma, compacta, quæ grandinis inſtar e pulmonibus cum tuſſi ejiciuntur: vel & in glandulis indureſcens, ſcirrhos, ſcrophulas, ſtrumas, ſimileſque tumores frigidos, duros, albos, indolentes producens: eandem agnoſcit, ſed magis compactam, materiem.

4. *Salſa* tenuis. ſi priora genera ſponte colliqueſcant, ſuſcepta putredine; quando ſæpe acerrima & cancroſa fit, tunc quoque atra bilis dicta, licet retineat album colorem: vel liqueſcens admiſtione ſalium ſolventium, unde catarrhi, dolores rheumatici frigidi derivantur, circa partes glanduloſas, & involucra nervorum & tendinum, atque membranas, ludens.

III. Du-

III. Duplici modo hæc obſervatur pituita viſcida, vel cum, vel ſine acredine, unde mira facies horum morborum. *Duplex pituita viſcida.*

IV. Viſcidum hoc ſeu pituita, vel ex ingeſtis glutinoſis, farinoſis, tenacibus, acido-auſteris; vel ex propriis noſtris humoribus provenit. *Cauſæ.*

V. Si talia glutinoſa, vel quæ ſponte in gluten abeunt, majori copia ingeruntur, aut quotidie aſſumuntur; vel ſi mediocris horum ſit quantitas, verum ſi vis vitæ circumagens deficiat; aut ſaliva, ſuccus ſtomachi, pancreatis, & bilis, minus ſaponacea; aut ſi torpeat motus animalis, & tempeſtas ſit frigida & humida. *Ingeſta.*

Omnes noſtri humores quadam quoque viſciditate præditi ſunt, quæ actione circulationis, & motu vaſculorum ſanitatis ſolvitur. ſi hic humor viſcidus minus agitatur, concreſcit, & ita ex bonis humoribus viſcidum generari videtur, quoties motus vitalis deficit: imo deficiente hoc motu, & maxime pulmonum labefactata actione, quia ingeſta non commutantur in bonos humores, & ipſi boni humores degenerant a ſolita craſi, ingens materiæ viſcidæ & pituitoſæ copia per totum corpus, aut in quadam parte, accumulatur; quæ majori motu & calore iterum ſolvitur, quo a Lentore ſeu phlogiſtica Diatheſi diſtinguitur. *Noſtri humores.*

VI. Hæc materies in noſtro corpore nata, quia difficilius ſolvitur, magiſque adhæret lateribus partium ſolidarum, varia producit, prout partem aliquam obſidet. *Effectus.*

VII. In ore colligitur multum viſcidi circa dentes, & in faucibus; multumque viſcidi excreatu ejiciunt; mane os pituita plenum: in naribus mucus copioſior, gravitas oculis incumbere videtur, cum capitis gravitate & frigore, & viſus obſcuratione: facies & palpebræ tumidiores, pallidæ: in faucibus tumor pallidus tonſillarum, uvulæ, quæ liberam reſpirationem intercipit, quando *Angina pituitoſa* appellatur, in his locis frequens. *In Capite &c.*

VIII. Stomachus a pituita oppletus tumet, inflatur, multique flatus in eo continentur; tument præcordia ſine dolore, a minima aſſumptione ſtatim implentur; anxietas; inappetentia; ingeſtorum cruditas; nauſea; vomitus materiæ glutinoſæ; ſitis fere nulla; flatuum eructatio multa ſine levamine. *Stomacho.*

IX. In Inteſtinis vero & meſenterio ſi accumuletur, venter intumeſcit & inflatur; circa lumbos gravitas a meſenterii pondere, anxietas; murmura, flatus, ructus, chyli tardior digeſtio; infarctio lacteorum, qua corpus deſtituitur ſuo pabulo & macreſcit; bilis ſuccique pancreatici ſaponacea vis exſtinguitur; copioſa pituitæ per alvum ejectio: ſæpe in inteſtino colo colligitur, quando tumor quaſi circularis, maxime in infantibus & pueris, ventrem occupans obſervatur: ſi Inteſtina tenuia ſimul impleta ſunt, totus venter infarctus eſt, qui tumor tunc Belg. EEN RIJF-KOEK dicitur. In hac pituita frequenter *vermes* nidulantur, & ſæpe in lævitatem inteſtinorum & obſtructionem meſenterii incidunt. *Inteſtinis.*

X. In ſanguinem delata viſciditas in minimis vaſis obſtructiones, tardiorem circulationem, colorem pallidum, frigus, anxietatem, gravitatem, ſolidorum laxitatem & inertiam, cutem laxiorem, molliorem, pallidam, frigidam, tumentem, qui tumor foveam impreſſam diu retinet, leucophlegmatiam, œdema pendentium quod decubitu horizontali parum cedit, ſecretiones omnes & excretiones tardiores, viſcidiores, crudiores producit, unde minuitur inſenſibilis perſpiratio; urina alba, cruda, contentis ſaturata, vel pallida tenuis; menſes tardi, albi, aut eorum loco fluor albus; hepatis, lienis & glandularum infarctio, inceſſus tardior, ſedendi & decumbendi amor, pigritia; vox tardior, tremor, ſtertor, ſenſuum torpor, ſomnolentia, incubus, vertigo, ſopor, paralyſis, apoplexia, oculi caliginoſi, hebetes. *Sanguine.*

XI. Quoniam omnis ſanguis per pulmones ire debet, illi ab hujuſmodi ſanguine facile obſtruuntur, unde aſthma humidum, Dyſpnœa, Orthopnœa, ad minimum motum anhelitus cum narium pinnis compreſſis, pulmonia lethargica, quæ fallaci lenitate hominem quandoque ſubito rapit. *Pulmonibus.*

Curatio. XII. Evitandæ; 1. Omnes cauſæ viſcidum producentes ; 2. Potus & cibus ſit bene fermentatus , aromatis conditus ; 3. Aer ſiccus , ſerenus, apricus, modice calidus, eligendus; 4. Corpus nunquam in otio torpeat, ſed exerceatur levi ambulatione, vectione modica , agitatione brachiorum ; 5. Neque ſomnus neque vigilia modum excedant.

In ore. XIII. Si prædominetur in ore & faucibus, os colluendum, morſuli maſticandi , pulvis in fauces inſpergendus , dentes pulveribus fricandi , qui fiunt ex ſtimulantibus, abſtergentibus, phlegmagogis: veſicatoria nuchæ applicanda .

In naribus. XIV. In naribus , anteriori capitis parte , tota membrana Schneideriana , & oculis , ſi hæreat ; ex iiſdem adhibentur errhina , pulveres ſternutatorii , maſticatoria, veſicatoria, ſuffitus.

In ſtomacho. XV. Si hæreat vero in ſtomacho , præſtat ſaburram vomitorio prius educere , dein reſolventibus ſtomachicis, amaris , gummoſis , bilioſis , ſaponaceis , aromaticis, ſalibus lixivioſis, materiem ulterius ſolvere; atque medicamentis roborantibus & adſtringentibus,calidis, tonum roborare, addito ſtimulo , ut partes hæ magis moveantur.

In Inteſtinis. XVI. In Inteſtina delata pituita inde expellenda purgantibus ſolventibus phlegmagogis , quibus ſolis parca copia ſimul exhibitis tota ſæpe ſuperatur ; ſi vero tenacior, conducit aliquo tempore uti reſolventibus , dein purgantibus evacuare. Educta materia , ea ſunt exhibenda, quæ ſuperius (XV.) deſcripta ſunt, quibus linimenta ventri inungenda addi poſſunt. Hac quoque methodo vermes expelluntur deſtructo nido.

In ſanguine. XVII. Sed ſanguis ceterique humores hac materia imprægnati difficulter in ſolitam ſanitatem reducuntur . ſi enim moves magis, pituita in actum ducta ſubito vaſa minima , & pulmones , atque alia viſcera obſtruit , unde mors inexpectata : ſi vero parum moves , non ſolvitur phlegma : adeoque a lenibus incipiendum , ad fortiora pergendum : petuntur ex reſolventibus , attenuantibus , aperientibus , amaris , gummoſis , ſaponaceis, lixivioſis , aromaticis , ſtomachicis , inſtituantur frictiones cum pannis aſperis , fumo aromatico vel ſpirituoſo aſperſis ; applicentur veſicatoria ; foveantur partes fomento , balneo , ſemicupio , cataplaſmate , ex ſimilibus ; epithemata , cucuphæ , linimenta , emplaſtra , lotiones , ex ſimilibus conſtantes externe adhiberi poſſunt . ſoluta tenacitate utendum roborantibus, calefacientibus , quibus partes eo uſque roborantur , ut nova generatio viſcidi præveniatur .

In pulmonibus. XVIII. Si pulmones phlegmate obſeſſi ſunt , potus , quantum ferri poteſt, calide ſumendus ; vapor etiam ore aperto hauriendus ; veſicatoria cruribus applicanda, ingerenda talia pectoralia , quæ ſimul reſolvunt : materies viſcida potius per diureſim quam alvum evacuanda .

XIX. Ex his ad quædam , alias difficilia , commode reſpondetur.

1. Cur in aere ſicco ſentiunt levamen?

2. Cur hyeme plus , æſtate minus, hic morbus regnat?

3. Cur hi homines plus mingunt , minus perſpirant?

4. Unde tanta materiæ viſcidæ evacuatio in quibuſdam per os, nares, alvum & urinam , ſine viſcidi ingeſtione ?

5. Num ex humoribus bonis nequit generari phlegma?

6. Num pituita nunquam poteſt in acrimoniam atræ bilis evehi?

7. Quid portio inteſtini a longa dyſenteria emiſſa?

8. Cur calculoſi multum glutinis emittunt ſine levamine?

9. An vero hoc a pituita morboſa , vel a mucilagine harum partium naturali, per calculum abraſa?

10. Cur podagricis pituitæ craſſæ evacuatio prodeſt quandoque?

11. Num liquor craſſus glutinoſus , exſtillans ex læſo tendine vel nervo , eſt gelatina ſana , vel phlegma vitioſum?

12. Cur hujus mucilaginis ex articulis copioſa evacuatio debilitat ; & phlegmatis viſcidi levat?

13. Quæ-

13. Quænam differentia inter pituitam inſipidam & ſalſam?
14. An ſemper opus pituitæ eductione, ut curatio obtineatur?
15. Qualis differentia inter viſcidum & lentorem?
16. Quæ anginæ ſpecies maſticatoriis & inſperſione in fauces maſtiches & olibani curatur?
17. Quæ viſus obſcuratio errhinis & ſternutatoriis ex euphorbio diſcutitur?
18. Quæ inteſtinorum lævitas ſaponaceis & purgantibus curanda?
19. Cur amara & ſaponacea vermes expellunt?
20. Quomodo adſtringentia calida pituitam attenuant?
21. Quæ pleuritidis ſpecies Camphora præprimis curatur?
22. Num ſaccharata pituitam generant, quod ex eorum uſu copioſius prodit?
23. Cur diluentia nocent pituitoſis?

TRACTATUS QUADRAGESIMUS PRIMUS.

De Lentore ſeu Phlogiſtica Diatheſi.

I. ALiud genus tenacitatis in humoribus comperitur, quod *lentorem*, *Diatheſin phlogiſticam* ſeu *Inflammatoriam* appellamus; habet quidem id commune cum præcedente, quod partes hunc liquorem conſtituentes tenacius cohærent, verum hæc cohærentia majori calore & aucta circulatione augetur, & non ex materia eadem producitur. *Definitio.*

II. Sanguis hac materia infectus craſſior eſt & gravior; color magis purpureus vel lividus; in vaſe receptus citius concreſcit, & tenacius cohæret; infra fere nigricans, ſuperne format cuticulam denſam glutinoſam, liveſcentem, vel vireſcentem, aut albam, tenaciſſimam, ut cultro vix ſcindi poſſit, corii inſtar, vel calli pellucidi. *Sanguis.*

III. Quo circulatio fuit vehementior, cum corporis incaleſcentia, ſiccitate, pulſu duro frequenti, eo hæc magis recedunt a ſano ſanguine. In initio morborum, qui cum tali pulſu & corporis æſtu incipiunt, vix obſervatur, ſenſim vero pergente morbo naſcitur: etiam a motu corporis animali majore idem fieri obſervatur.

IV. Hæc Diatheſis phlogiſtica ex materia gelatinoſa noſtri corporis generatur, quæ eandem, ut albumen ovi, poſſidet indolem, quum omnes reliqui humores calore & circulatione attenuantur, ne quidem glutinoſa ingeſta excipiuntur: globuli vero rubri ſanguinis quoque compinguntur his cauſis, ſed tunc atrum colorem, congregatis globulis, producunt. *Materia.*

V. Lentor ergo hic effectus eſt violentioris motus vitalis, nam non ingeri poteſt ob exilitatem oſculorum lacteorum; augetur & fit cum majori vitali motu; ſolvitur iterum motu ſedato. *Eſt effectus motus.*

VI. Omnium arteriarum motus auctus per totum corpus excitat Inflammationem generalem, ſeu febrem ardentem: ſi vero in quadam tantum parte fiat, Inflammatio fit particularis, quæ pro parte varia nomina accipit. *In toto vel in parte.*

VII. Cauſæ hujus lentoris ſunt omnes eæ, quæ hunc motum excitant, (Tract. 25. II.) præprimis ſi exſiccantes ſimul accedant cauſæ vel præceſſerint, ut penuria potus maxime æſtate, & in exercitiis. *Cauſæ.*

VIII. Effectus, qui ſimul ſigna exhibent, proveniunt; 1. Ex ipſo lentore; 2. Ex motu vitali majore; 3. Vel utriſque ſimul. primum tantum perſequemur, cetera in motu humorum majore proponentur. *Effectus.*

IX. Quia ſanguis craſſior eſt, difficilius tranſit per arteriarum extrema; arteriæ majores ſanguine implentur; vaſcula in lateribus arteriarum comprimuntur; ſecretiones ſiſtuntur; lingua, os, nares, ſicca; urina tenuis pellucida, rubra, quandoque aquoſa; cutis ſiccitas, durities, ſplendor; debilitas, moleſtia, coma, pulſus durus, inquietudo, anxietas, reſpiratio cita laborioſa, laſſitudo, vox clangoſa,

goſa, frigus extremorum, lingua aſpera, flava, nigra, ſitis inextinguibilis, quandoque nulla, ſed tunc non percipitur; peſſimum, ſi tanta ſit humorum tenacitas, ut potio ingeſta ei admiſceri nequeat, & ſtatim per urinam dimittatur liquor; facile fiunt obſtructiones, maxime in pulmonibus, cerebro, hepate, liene, aliiſque viſceribus.

Exitus. X. Sanguis ita compactus, quiete inducta ſeu potius motu moderato, iterum ſolvitur; juvatur hæc ſolutio ſalibus & ſaponaceis ſolventibus, quæ ſimul motum vitalem aliquantulum minuunt; vel diluitur aquoſis: ſoluta materies ducitur per inſenſibilem perſpirationem, ſi condenſatio non valde magna fuit, alias dimittitur per ſudorem, urinam vel alvum, exhibetque in his ſigna critica ſeu coctionis, vel ſi natura non valeat eo hunc liquorem evacuare, in aliquam partem deponit, quando dicitur *metaſtaſis*. Si vero Diatheſis phlogiſtica magis fuit alienata, convertitur in *pus*, quod tunc quoque per ſenſibiles evacuationes excernitur, vel colligitur in quadam parte, vel metaſtaſin facit. At vero ſi motus vitalis major pergat compingere materiem, convertitur in materiem tenacem, glutinoſam, ſubnigram *ſphacelatam*, cum ſumma corporis debilitate. Vel compacta materies expulſo tenuiore, congregata in parte præprimis glanduloſa *ſcirrhum* producit, in parte vero carnoſa vel membranoſa infert *indurationes* vix ſolubiles.

Curatio. XI. Reſolutio hujus materiæ requiritur, priuſquam aliam indolem induerit, ea enim acquiſita ceſſant quoque ſequentes indicationes.

XII. Ut hanc obtineamus reſolutionem. 1. Laxanda ſunt ſolida, ut minus prematur maſſa. 2. Circulatio velocior eſt compeſcenda. 3. Impetus a tergo urgens eſt minuendus, ut vaſa lateralia arterioſo-lymphatica evacuentur motu retrogrado. 4. Materies concreta ſolvenda iis, quæ ſolvunt ſine ſtimulo, ut ſunt ſapones aceſcentes, nitroſa, & multi ſpiritus acidi, amara frigida. 5. Concretum diluendum potione largiori ex aquoſis, ſaponaceis, farinoſis, acidulis.

Venæ ſectio. XIII. Inſtituitur ergo venæ ſectio, non vero poſt ſeptimum diem; &, ſi unica non ſufficit, repeti poteſt; quo latiori vulnere ducatur ſanguis eo melius, quod ſubita evacuatio magis minuat motum, quam ſi tarda fiat eductio: & forſan aliquantulo magis de hac materia ſimul educatur.

Purgantia. XIV. Purgantibus quoque minuitur quantitas & motus ſolidorum, ſi ſint ex iſtis, quæ antiphlogiſtica dicuntur: verum tantum non juvant, quantum ſanguinis eductio: tenue enim ſolum educitur, & craſſius relinquitur. vitanda vero ſunt omnia ea purgantia, quæ ſimul ſtimulant, & a quibus corpus incaleſcit.

Laxantia & humectantia. XV. Laxantia ſolida, & humectantia, magni uſus, non modo hoc efficiunt, verum etiam ſolvunt lentorem, & minuunt motum.

Refrigerantia. XVI. Refrigerantia ea, quæ antiphlogiſtica dicuntur, ingerenda & applicanda; verum ea, quæ actu frigida ſunt, omnino vitanda, quod ab his ſolida ſtringuntur, & lentor magis condenſatur.

Revellentia. XVII. Revellentia adhibenda, ſi timor ſit lentorem ferri ad aliquam partem principem; vel quando materies ad pedes eſt derivanda; illa ergo plantis pedum applicantur.

Sudorifera & Diuretica. XVIII. Diureticorum & ſudoriferorum ea adhibentur, quæ majorem quantitatem humorum tenuium ſuppeditando, vel reſolvendo cum refrigeratione, humores ducunt, quæ vero communiter ſub hoc titulo proſtant, ſemper damnum inferunt; quare ſelectu opus in his.

Quæſtiones. XIX. Intelligimus ex his.

1. Num omnis humorum tenacitas eadem reſolventia poſtulat?

2. Quænam differentia inter viſcidum in morbis chronicis, & lentorem morborum acutorum?

3. Num cuticula in ſuperficie ſanguinis natans ex chylo concreto, vel ex materia viſcida, vel humore gelatinoſo ſano præaſſato?

4. Quæ cauſa lentorem generans?

5. Num

5. Num ſudoriferis, & calefacientibus, hujus materiæ ſolutio tentanda, ut multi?
6. Num vires debilitatæ ab hoc lentore alexipharmacis refocillandæ?
7. Num frictionibus, quibus motus ſolidorum augetur, ſolutio tentanda.
8. Num lentor talis in quadam parte hærens inde medicamentis repellentibus, frigidis, adſtringentibus, expellendus?
9. Num lentor hic majorem circulationem & calorem inducit, vel ab iis producitur?
10. Num calor in parte inflammata ab obſtructione vaſorum, quæ fit ab hoc lentore quum alia materies obſtruens frigiditatem producat?
11. Cur talis lentor frequentiſſime in robuſtis & exercitatis?
12. Cur facile producit peripneumoniam, hepatitidem, & phrenitidem?
13. Unde tanta quantitas materiæ glutinoſæ ſubnigræ circa dentes in acutis? & quid indicat?
14. Cur actu frigida vel adſtringentia, applicata Inflammationi, ſcirrhum & indurationem relinquunt?
15. Cur venæ ſectio omittenda, ſi morbus diu duraverit?
16. Quare febres intermittentes & continuæ ſæpe in ſcirrhos viſcerum deſinunt.

TRACTATUS QUADRAGESIMUS SECUNDUS.

De Coagulatione & Polypo.

I. SI particulæ humorem conſtituentes, libere juxta ſe fluentes, ita concreſcunt, ut in corpus ſolidum videatur maſſa abiiſſe, hæc mutatio coagulatio dicitur. *Definitio.*

II. Duplici modo hæc coagulatio fit. 1. Vel quando omnes partes liquidum conſtituentes ita cohæreſcunt, ut fieri vidimus in ovo cocto. 2. Vel ſi pars una hujus liquoris tali modo concreſcit, reliqua portione remanente intacta, vel quandoque liquidiore facta: ita ex lacte coagulato conficitur caſeus, & ex ſanguine fiunt thrombi, grumi ſeu polypi, remanente ſero. *Duo modi.*

III. Sanguis noſtri corporis, & in eo pars gelatinoſa inſtar albuminis ovi, a majori frigore, ſive id fiat ex cauſa morboſa, ut in principio febrium intermittentium & continuarum; ſive fiat a cauſa externa, ut eſt ingeſtio aquæ gelidæ vel aſperſio ejus, ut & aer nimis frigidus corpori applicatus, in corpus ſolidum veluti convertitur. *A frigore.*

IV. Idem ſanguis quoque ſtagnans, aut minus agitatus per vaſa, in corpore noſtro concreſcit, præprimis autem in vaſis majoribus, quod particulæ ſanguinem conſtituentes tanta potentia cohærendi ſunt præditæ, quæ non poteſt ſuperari niſi ſola circulatione (T. 31, IX.) *Stagnatio.*

V. Ex contraria quoque cauſa concreſcit: major calor conciliatus vel aucta circulatione ſuſcitatus, vel & motus violentus voluntarius, condenſant ſanguinem, tandemque quaſi coagulant. *Calore.*

VI. Admiſtione adſtringentium ſtypticorum, alcoholis vini, & multis aliis coagulatur, quæ tamen omnia non omnes coagulant humores noſtros. Quare non inutile eſſet inquirere per experimenta, quæ hunc vel illum humorem coagulant vel incraſſant, ad ſiſtendas evacuationes ſpeciales, ut factum eſt in reſolventibus. *Admiſtione.*

VII. Quæ coagulatio provenit ex ablatione partis tenuioris, potius inſpiſſatio dicenda.

VIII. Sanguis ab his cauſis concretus in magnis vaſis tandem in corpus veluti membranoſum compingitur, qualia ſæpe in vena cava, vena pulmonali, arteria aorta, arteria pulmonali, & in ipſis ventriculis & auriculis cordis inveniuntur: *Loca.*

tur: alias effusus in quoddam cavum thrombum format nigricantem : hoc cum fiat in bronchiis, & dein tussi & excreatu fuerit emissum, quosdam fefellit, putantes portionem pulmonis emissam fuisse, verum in hujusmodi thrombis deficit cavitas, quæ in vasis ita excretis inveniretur.

Effectus. IX. In vasis majoribus hærens polypus transitum intercipit per ea; in corde hærens ejus integram evacuationem & sufficientem sanguinis receptionem non admittit, cor palpitat, pulsus fit inordinatus, intermittens, sentitur anxietas, maxime si circulatio ab alia causa velocior fiat, ut in motu corporis vel æstu febris. Si sit in vena cava vel jugulari regressum sanguinis e capite impediens, caput redditur grave & tumens, & omnia fiunt, quæ ex abundantia sanguinis in capite fieri solent. Si vero hæreat in arteria carotide, fiunt vertiginosi, facile animo linquuntur: si portio ejus abrumpatur, protrudaturque, brevi tempore apoplectici pereunt, nulla arte curandi: si hæreat in arteria pulmonali, cor quoque palpitat, & anxii sunt; portio ejus separata, & propulsa in arteriam, subito suffocat hominem. in partibus glandulosis concrescens, transit plerumque in scirrhum. Cetera ex cognita partium functione intelliguntur.

Curatio. X. Indicationem invenire facile est, adimplere medicamentis vero difficile; sanguis hic concretus est enim solvendus, quod minus procedit, quam multi imprudentes judicant: salia lixiviosa, gummosa & resinosa primaria sunt; quæ vero de sanguine hircino, oculis cancrorum, & similibus narrant, fidem nullam merentur.

Quæstiones. XI. Cognoscimus tamen inde.

1. Num liquor nullus possit fieri crassus sine amissa parte ejus tenuiore?
2. An necessarium, ut ea, quæ sanguinem coagulant, assumantur, in chylum primarum viarum operentur?
3. An non potest sisti una evacuatio a coagulante assumpto, reliquis intactis?
4. Cur homines æstuantes in aquam prolapsi, vel aquam frigidam bibentes, sæpe tota vita valetudinarii vivunt?
5. Cur aer frigidus superveniens aeri calido toties pleuritidem & peripneumoniam inducit?
6. Cur homines sæpe lipothymiam passi, tandem subito extinguuntur?
7. Cur tam frequens scirrhus ex quartana?
8. Cur in operariis & robustis frequens pleuritis, & alii morbi inflammatorii?
9. Num spirituosa incrassant vel solvunt sanguinem?
10. An unquam portio pulmonis per sputum ejecta?

TRACTATUS QUADRAGESIMUS TERTIUS.

De crassitudine Humorum.

Qualis crassitudo. I. QUum in homine vivente sanguis ceterique humores jugi fluxu circumducantur per vasa determinata, quæ forsan omnibus hominibus non sunt ejusdem amplitudinis, certa quædam unicuique propria requiritur in humoribus crassitudo & Tenuitas, ut homo maneat sanus.

Quid Crassitudo. II. Quoties humorum vitio hæc proportio inter magnitudinem particularum & amplitudinem vasorum pereat, vel quod particulæ liquorem constituentes sint majores, vel quod liquor ipse sit densior, toties a sanitate declinat homo, & Crassitudine laborare dicitur.

Causæ. III. Densantur humores multis modis; 1. Aucta vi attractrice inter partes ut in coagulatione (T. 42.) dictum; 2. Compingendo; 3. Defectu potionis; evacuatione humoris tenuioris copiosiore per insensibilem perspirationem, urinam, sudorem, alvum, os, ulcus; 4. Collectione similium partium inter se; 5. Depositione tenuis humoris in quibusdam locis corporis.

Effectus. IV. Si ita spissi sunt facti humores, facile pariunt obstructiones; humor tenuis

nuis deficit, vasa minora exarescunt, secretiones sistuntur, sitis intensa, nisi mens ægrotat; fauces aridæ, saliva spumescens, præcordia æstuant, corpus macrescit, vires prosternuntur; urina pauca, crassa, rubra; sudor nullus, arida cutis, vox clangosa, rauca; respiratio densa, anhelosa, cita; alvus adstricta, dura; humores, qui evacuantur, sunt flavi; inappetentia; vigilia.

V. Duo indicantur ad curationem, Dilutio scilicet & resolutio, quod ita congregatæ partes firmius cohærent ob propiorem attactum. *Curatio.*

VI. Talia ergo Diluentia sunt ingerenda, quæ post miscelam cum humoribus non coeunt; & ut melius misceantur, corpus simul movendum: sed quia sola aqua est diluens, ea est potanda; verum in hac crassitudine sæpe adest laxitas, non ergo semper expedit multum potare, præprimis si humor tenuis in cavitatibus coacervatur. *Diluentia.*

VII. Resolventia ea sunt eligenda, quæ indicantur ex vario genere spissitudinis. Semper observandum, si crassitudo proveniat ex evacuatione aucta, ut ea supprimatur. *Resolventia.*

VIII. Ex his intelliguntur

1. Num certa spissitudo omnibus hominibus sana?
2. Cur in debilibus, otiosis, sanguis tenuis; & in robustis, atque operariis, sanguis crassus, sanus?
3. Num Ars transfusoria sanum restituat sanguinem?
4. Cur ex diarrhœa vel urinæ profluvio ita conqueruntur de faucium siccitate?
5. Quomodo fit mucus narium crassus, qui tamen per exilissima vascula tranat?
6. Quid indicat sitis intensa in hydropicis? num potu placanda?
7. Quomodo hydropici, in quibus abundat humor tenuis, tamen possunt dici crassitudine humorum laborare?
8. Quid indicat urina rubra, crassa, parva copia simul emissa;
9. Quid indicat cutis arida in acutis?
10. Quid præsagit respiratio densa anhelosa in morbis acutis?
11. Cur ex his causis quoque producitur atra bilis?

TRACTATUS QUADRAGESIMUS QUARTUS.

De tenuitate Humorum.

I. TEnuis dicitur humor, si particulæ sanguinem constituentes minores sint, vel minus cohærent, vel minor quantitas globulorum majorum continetur in sanguine. *Definitio.*

II. Talis humor in nobis generatur. 1. Si nimia quantitas sanguinis rubri auferatur, sive arte, sive natura. 2. Ingurgitatione potionis copiosioris, præprimis aquæ tepidæ. 3. Abusu resolventium, ut fructuum horæorum, mercurii. 4. Contagio aeris pestilentialis. 5. Defectu circulationis in debiliori motu solidorum, exercitiis minoribus, otio. 6. Stagnatione cum subsequente putredine. *Causæ.*

III. Ita facti humores mites manent, vel simul acquirunt aliquam acrimoniam, quod frequentissime fit, unde duo hæc genera signorum concurrunt; ea vero sola producenda, quæ ex tenuitate oriuntur. *Effectus.*

IV. Quoniam oscula vasorum determinatam amplitudinem habent, humores tenuiores facti sponte effluunt, unde hæmorrhagiæ sine læsione vasorum, diarrhœæ, urinæ profluvium, sudores copiosi. Vasa majora, quæ aperta servantur, quod globuli sanguinis majores expelli nequeant, nunc vero ob minorem eorum quantitatem contrahuntur, corpus macrescit, venæ disparere videntur: & ob inopiam sanguinis rubri corpus pallescit. quia vero omnis liquor in minima vasa derivari possit, ibidem pellitur & stagnat, tumet humore molli, aquoso, pallido. Perit quoque gelatina naturalis humorum, ex qua spirituum origo, un-

de debilitas, tremor, languor, impotentia, laxitas carnis & membrorum; imo ſæpe membra non rigeſcunt a morte, quod incantationi utplurimum adſcribitur; tandem ita homo pelle veluti tectus inſtar ſceleti, cum ſumma atrophia aut maraſmo, ſine vix alio morbo notabili perit.

Curatio. V. Magna cautela opus in hac curatione, ſola vis vitæ aucta reſtituit debitam ſpiſſitudinem humoribus; quem motum ſi agitas nimis, copioſe educuntur humores. Si incraſſantia aut adſtringentia adhibeas, ſpiſſior quidem poteſt fieri ſanguis, ſed talis non fit, qui requiritur in ſanitate.

Roborantia. VI. Quum aucta circulatione & vigore ſolidorum reſtitui poſſit tantum requiſita ſpiſſitudo in humoribus, ideoque eadem methodus medendi adhibenda, quæ deſcripta eſt in ſolidorum *laxitate* (T. 6. VI.) *Inertia* (T. 8. IV.) *Debilitate virium* (T. 23. paſſim) & *motu ſolidorum languido* (T. 21. IV.) ſed a leniſſimis incipiendum, ſenſim ea adhibenda, quæ aliquanto magis agitant, talia etiam ſunt adhibenda adſtringentia, quæ ſimul calefaciunt; vel chalybeata miſcenda aromaticis neutiquam auſteris. Si vero copioſior fluat ſanguis, adſtringentia etiam frigida juvant, quod hoc in caſu ſimul minuendus eſt motus. Si vero anteceſſerit putredo, roborantibus antiſeptica addenda ſunt, quæ in Putredine (T. 37.) allegata ſunt.

VII. Ex his ad ſequentia facilis eſt reſponſio.

1. Cur tanta requiritur magnitudo globulorum ſanguinis in homine ſano?

2. Cur major cohærentia inter globulos ſanguinis viget, quam inter alias particulas cujuſcunque humoris in noſtro corpore?

3. Cui uſui tantus numerus globulorum rubrorum in ſanguine?

4. Num in omnibus tenuitati humorum ſtudendum?

5. Qui morbi facilius curantur, qui ab humore craſſiore, vel a tenuiore producti ſunt?

6. Num omnes morbi ab obſtructione?

7. Num debilibus, frigidis, pallidis, aquæ tepidæ potatio concedenda?

8. An motus vel quies imperanda?

9. Num alimentis farinoſis aut gelatinoſis incraſſanda nimia humorum tenuitas?

10. Quæ corpora non rigeſcunt a morte?

TRACTATUS QUADRAGESIMUS QUINTUS.

De particulis liquores noſtros conſtituentibus.

I. QUoniam humores noſtri conſtant ex particulis parum inter ſe cohærentibus, & mutabilibus, ex partibus elementaribus congregatis in corpuſcula majora, quæ tali modo a noſtro corpore configurata & compoſita humorum particulæ dicuntur, in his ergo conſideranda, 1. Magnitudo, 2. Gravitas, 3. Cohærentiæ gradus, 4. Figura.

Magnitudo aucta.

II. Si hæ partes ſolito majores fiunt, multi inde fiunt morbi.

Cauſæ. III. Tales autem in noſtro corpore fieri conſtat, quod majores non poſſunt ingeri, quam quæ tranſeant per oſcula lacteorum minutiſſima.

IV. Sed ut majores in noſtro corpore fiant, id a congregatione plurimarum particularum in molem majorem, vel rarefactione ſeu intumeſcentia ipſius particulæ provenit.

V. Si multæ particulæ congregantur in unam, decreſcit proportio ſuperficiei ad quantitatem materiæ; verum ſi hoc fiat ex particulis variæ gravitatis, moles ita facta gravior & levior ſolito eſſe poterit.

VI.

VI. Coaleſcunt hæ partes minores in molem majorem ; 1. Majori contactu particularum ; 2. Propiori locatione juxta ſe ; 3. Aucta vi attractrice, ſive acceſſu mutuo ; 4. Minuta cauſa, quæ ſeparata tenebat partes, motu minore conciliato ; 5. Et in nobis ex aucta circulatione.

VII. Si cetera eadem ſunt, cohærentia eſt ut punctorum contactus, ſeu ut ſunt ſuperficies tangentes ; id probant lapides politi juncti, & altior aſcenſus liquoris in tubulis exiliſſimis, & inter duo vitra plana. Si ergo figura globoſa globulorum ſanguinis complanatur, ut forſan fit in viſciditate, tenacius cohærent partes. *Contactu majore.*

VIII. Quia vis congregandi inter partes non longe extenditur, & pluſquam quadratum diſtantiæ decreſcit in receſſu, ſi ergo auferatur medium, quod partes removebat, concreſcunt firmiter, ut vidimus fieri in cryſtalliſatione, exhalatione aquæ. Si ergo tenuiſſimi humores e noſtro corpore educuntur, reliquæ partes, quod minus diſtant, concreſcunt in majorem molem. *Propiore locatione.*

IX. Vim attractricem majorem & minorem fieri poſſe, vel inter omnes partes liquidum conſtituentes, vel inter partes quaſdam ejus, imo omnino auferri & addi poſſe, magnes cum ferro, electrum cum feſtucis, coagulationis & præcipitationis hiſtoria, & multa alia comprobant, ut & experimenta, cum noſtris humoribus capta, hoc idem confirmant : quid autem addatur aut dematur neſcimus : fieri tamen poſſe certum eſt. *Aucta vi attractrice.*

X. Quamvis concreſcerent partes in quiete, tamen ſi turbetur continuo liquor, quod major addatur partibus motus, quam qui a vi attractrice & cohærentia inter partes poteſt compeſci, ſolutus manebit liquor. ſi ergo minuatur ille motus, ſponte coeunt partes, ut fit in Cryſtalliſatione & coagulatione : poſtquam concreverint partes, non poſſunt iterum ſeparari ab eo motu, qui antea concretionem prævenire potuit. ex minori ergo humorum motu & ſtagnatione concretiones fieri ſolent, quod frequens in noſtro corpore. *Minuto motu.*

XI. Singularis ſane in noſtro corpore ex majori circulatione fit condenſatio humorum in lentorem, ut diximus (T. 41.) *Aucta circulatione.*

XII. Alius præterea additur modus ab auctoribus, qui *Rarefactio* dicitur : ſi nempe particula, ſeu globulus ſanguinis, increſcat mole, ſine aucta gravitate ; vel quando moles plus quam gravitas augetur. In priori caſu tantum fit receſſus particularum globulum conſtituentium, ſine additione materiæ ; in poſteriori recedunt quoque partes, ſed alia inſuper materies adjungitur ; ſive quod minor materiæ quantitas accedat, quam eſt incrementum globuli, vel quod accedens materia ſit levior. tali modo vidimus in nobis mutari humores in putredine, & minori compreſſione vaſorum : an vero id quoque in nobis obtineat ex fermentatione, calore ſolis, balnei, ignis foci, effervescentia, frigore glaciali, ut multi aſſerunt, inquirere reſtat. *Rarefactione.*

XIII. Differunt effectus tribus modis ; 1. Si eadem maneat gravitas particularum ; 2. Si leviores fiant ; 3. Si graviores factæ ſimul ſunt. ſed duo poſteriora genera ex gravitatis differentia (XVII.) petenda. *Effectus.*

XIV. Si Humores omnes, in omnibus ſuis particulis, hanc acquiſiverunt magnitudinem majorem, idem effectus fiunt. qui propoſiti ſunt in Craſſitudine ; (T. 43.) ſed ſi hoc tantum obtineat in quibuſdam partibus ; tunc minuitur, vel ſiſtitur illa ſecretio, vel excretio iſtius humoris, qui ex his conſtat partibus.

XV. Si fiat ex mutata figura particularum, quod majori ſuperficie ſe invicem tangant. hujus curatio infra (XLIII.) patebit. *Curatio.*

Propior locatio Diluentia exigit.

Vix attractrix major in Coagulatione (T. 42.) tradita eſt.

Quæ vero fit ex ſtagnatione & motu minore, in ſequentibus proponetur.

Ea, quæ fit ex majori circulatione, ſupra in lentore (T. 41.) propoſita eſt, atque ulterius in aucto motu (T. 46.) patebit.

XVI. Cur omnibus in morbis cum pulſu duro & frequenti, atque in majori *Quæſtiones.*

motu muſculorum, ſanguis fit denſior?

2. Unde Hydropici acquirunt ſanguinem craſſiorem, quum tamen lympha abundant?

3. Unde calor hecticus, & ſanguis denſus, poſt diarrhœam, urinæ profluvium, & ſudorem colliquativum?

4. Cur otioſi pallent, exercitati colorantur?

5. Quo tempore & cui ætati morbi inflammatorii frequentiores?

6. Num globuli majores facti medicamentis reſolventibus & calefacientibus attenuandi?

7. An non experimenta coagulationis, ſolutionis, præcipitationis Chemicorum ad praxin medicam referenda?

8. An non poſſunt eſſe medicamenta, quæ partem ſanguinis reſolvunt, aut incraſſant, reliquis intactis?

9. Num partes elementares increſcunt magnitudine in rarefactione?

10. An ſpatia inania relinquuntur inter partes?

11. An ſpatia ea implentur materia leviori?

12. Cur cadavera animalium in aqua ſubmerſa tandem ſupernatant?

13. Unde tanta intumeſcentia in Tympanitide?

14. Cur pars corporis congelata a calore accedente deſtruitur?

15. Cur eſu fructuum horæorum & farinoſorum ventris inflatio & anxietas?

16. Quibus hominibus ſanguis levior, vel exercitatis vel otioſis; robuſtis aut debilioribus?

17. Cur uſu ſpirituoſorum & aromatum ſæpe ſubſidet ventris tumor, & diſcutiuntur flatus?

18. Cur ab aere calidiore ſuperveniente frigori tanta corporis oppletio & gravitas?

19. Num partes concretæ in quiete, & majori motu, eodem medicamento poſſunt ſolvi?

20. An ſemper opus, menſtruum manifeſta qualitate ſit præditum?

Magnitudo minuta.

XVII. Contrarius ſtatus, & forſan pejor præcedente, inducitur humoribus, ſi tanta fiat particularum ſeu globulorum humores conſtituentium parvitas, ut ſanitati obſit; requiritur enim juſta partium magnitudo, amplitudini vaſorum conveniens, in ſanitate, qua deſtructa difficiles curatu introducuntur morbi.

Cauſæ.

XVIII. Minuuntur globuli. 1. Si unuſquiſque globulus dividitur in alios minores. 2. Si condenſetur, expulſo leviore & tenuiore, compacto craſſiore & graviore. 3. Si tota moles in anguſtius redigatur ſpatium; ut hoc fit in corporibus elaſticis aere & aliis, quæ comprimi & condenſari poſſunt. In primo caſu eadem manet humoris ſpecifica gravitas. in ſecundo augetur gravitas in particulis vel in tota maſſa, ſi tenuis craſſiore levior eſt; ſi ejuſdem ſit ponderis, permanet quoque gravitas liquoris ſolita; ſi gravior, maſſæ & particularum gravitas ſpecifica minuitur. In tertio caſu & particula, & tota maſſa fieri debet gravior.

Vis allata non ſemper ſeparat.

XIX. Dividuntur globuli majores in alios minores, ſi vis allata ſuperat particularum cohærentiam in globulo, quia vero in nobis æque a motu majore condenſantur globuli, quam diſſolvuntur, difficile eſſet definire, num ſolutio a motu majore eſſet exſpectanda vel condenſatio. In genere obſervatur, Chylum & nutrimentum bonum in ſanguine receptum, atque globulos rubros, & partem gelatinoſam ſanguinis, a motu majore compingi: Chyli portio cruda, non ſatis ſubacta, materies per circulationem inutilis facta, materia cruda cacochymica, atque pituita, viſcidum & ſimilia, ab hac agitatione diſſolvuntur & attenuantur.

XX. Secundus modus compingendi, expulſo tenuiore, raro ſi unquam ſit in

no-

noſtro corpore: ſi id poſſet inſtitui cum una particula, procederet, verum quia in nobis hac actione multæ particulæ ſimul compinguntur, denſatur quidem humor, exprimitur tenue, ſed quia multæ tunc ſimul in maſſam majorem coeunt, raro ab hac cauſa tenuitas exſpectanda.

XXI. Dubito quoque, an tertius modus minores producat globulos, noſter enim ſanguis non poteſt tali modo, ut aer, externa compreſſione in minus ſpatium redigi.

XXII. Sed detracto nixu mutuo particularum in humoribus, ſponte ſecedunt partes; ita agunt menſtrua multa, ita ſapones, putredo, & ſimilia: hoc fieri poſſe ſupra indicavimus. *Minuta vi attractrice.*

XXIII. Præterea diluentia non ſolum totam maſſam faciunt tenuiorem ſeu dilutiorem, ſed etiam magnitudinem particularum minuunt; quod particulæ longius diſtantes, interveniente materia diluente, minus congregentur, & coalitæ facilius recedant, ut ſalia liqueſcunt in ſuo vehiculo. *Dilutione.*

XXIV. Ut in augmento particularum omnes particulæ totius maſſæ non augentur, idem quoque ſtatuendum videtur in earum decremento: ſed quando ſpecies aliqua humorum in ſuis particulis hoc admittit, reliqua maſſa intacta. *Non in omnibus particulis.*

XXV. Nimia particularum parvitas, quamvis tranſitui nullibi præbeat impedimentum, graviores tamen morbos, & difficiliores curatu, quam particulæ auctæ, producit: in vaſis enim majoribus vix quidquam retinetur ad circumagendum; humores undique qua data porta effluunt: minus quoque cognita ſunt medicamenta, quibus ſine damno augetur particularum magnitudo, quam quibus minuitur: &, quæ coagulando id efficiunt, damnoſam inferunt condenſationem. *Effectus.*

XXVI. Qui perſpectam habeat tenuitatis (T. 44.) curationem, non hæſitabit, quid in hoc genere ſit agendum. *Curatio.*

XXVII. Præſtat ex his quædam deducere corollaria. *Quæſtiones.*

1. Num impoſſibile, ſolvi poſſe calculum veſicæ felleæ, aut veſicæ urinariæ, a menſtruo, quod alias partes non lædit?

2. Cur cachecticis & hecticis magnæ ſæpe pravorum humorum tenuium evacuationes ſine levamine: imo cum incremento morbi?

3. Quomodo obſtructiones ab humore craſſo, eductione humoris tenuioris, quandoque ſolvuntur?

4. Cur in peſte tam ſubito humorum omnium tenuitas?

5. Quid ſudor colliquativus, & quid indicat?

6. Quid aphthæ ſalivoſæ, & quid denotant?

7. Cur fructuum horæorum uſus ſæpe diarrhœam excitat?

8. Num mercurius deſtruendo particulas gravitate ſua, vel alio modo, ſalivationem excitat?

9. Cur cantharides Diureſin; mercurius ſalivationem; ſenna alvi fluxum, producunt, ingeſta vel applicata, imo venis injecta?

10. An medicamenta ſecretiones nullas augere poſſunt ſine ſolutione totius maſſæ?

Gravitas particularum & humoris aucta.

XXVIII. Si moleculæ quædam ſub eodem volumine majus pondus præbent ad ſtateram, & plus continent materiæ, graves dicuntur: quod etiam obtinet in tota humorum maſſa. *Definitio.*

XXIX. Tales fiunt; 1. Ingeſtione eorum; quæ noſtris humoribus graviora ſunt; 2. Aut tales fiunt in noſtro corpore. *Cauſæ.*

XXX. Noſtris Humoribus graviora ſunt ſalia omnia, partes metallicæ ſolutæ, attenuatæ; lapides contriti in pollinem, (ſi intrare poſſint vaſa lactea) & mineralia; olea ponderoſiſſima foſſilium & nonnullorum aromatum. Hæc omnia humoribus raro tanta copia admiſcentur, ut inde tota maſſa ſpecifice fieret gravior: *Graviora noſtris humoribus.*

vior: & copioſe aſſumpta nobis veneno ſunt, imo in minori quantitate aſſumpta haud carent periculo.

Effectus. XXXI. Talis humor ex partibus gravioribus permiſtus quid faciat, expoſuimus in *Secretione Humorum* §. 13,

Graviora fiunt. XXXII. Gravior fit liquor in noſtro corpore: 1. Propria actione corporis; 2. Ingeſtione eorum, quæ ſua virtute id efficiunt.

Propria actione. XXXIII. Omnia fere quæ ingeruntur, ut aquoſa, farinoſa, oleoſa, pinguia, vel quibus in victu quotidiano utimur, una vigeſima quinta parte noſtris humoribus leviora ſunt: ex quibus tamen ſanguis conficitur gravior ab homine ſano: imo ipſi liquores multis in morbis chronicis leviores facti aquoſi, recuperatis viribus, ad ſolitam rediguntur gravitatem: ſolum ergo corporis noſtri opus eſt; quo actiones magis inſtigatæ vel robuſtiores tandem fluida ita compingunt, ut ſanitati obſint.

Compactus vi corporis. XXXIV. Condenſatio hæc ex aſſumptis & propriis noſtris humoribus fit; 1. Validiore compreſſione vaſorum in liquores contentos; 2. Motu circulatorio majore a cordis contractione violentiore, & arteriarum, maxime ſi ſimul per fines arteriarum difficilior fiat tranſitus; 3. Motu ſuperaddito in frictionibus, motuque animali, & exercitationibus corporis omnibus; 4. Evacuatione humoris, dum remanens maſſa ſimul compingitur; 5. Defectu liquoris tenuioris & levioris ingerendi, in ſiti nimis diu tolerata, vel adipſia, penuria potionis.

Vi medicamenti. XXXV. Hæc denſatio ſi uſu medicamentorum fiat, vel id agunt augendo prædictas corporis actiones, ut quædam ſtimulantia & roborantia; vel conciliando majorem vim coadunandi partibus quibuſdam, vel omnibus.

Effectus. XXXVI. Tota ſic maſſa humorum ſpecifice gravior facta, eadem velocitate e corde pulſa, diutius ſervare tentat motum ſecundum lineam rectam; obſtacula reſiſtentia magis urget, eaque commovet, agitat, oſcillare facit; unde calor, ſiccitas vaſorum lateralium, & ſolida, imparia hunc impetum ferre, ſeparantur divelluntur.

Curatio. XXXVII. Curatio reſpicit cauſas; ingeſtione enim aquoſorum ſine ſtimulo, qualia ſunt refrigerantia dicta; intermiſſione exercitii cum ſomno longiore, & humectantium & laxantium frequenti uſu, ſolidis laxatis & ad quietem adductis; reſolutione denſitatis ſanguinis, diluentibus & ſaponaceis nitroſis; demum eductione ſanguinis copioſiore, ſolita comparatur gravitas humorum.

Interrogata. XXXVIII. His facile reſolvuntur quæſtiones.

1. Num mercurialia & ſalina ſolvant humores ſola ſua gravitate?

2. In quibus ſanguis gravior, in robuſtis vel infirmis?

3. Num mercurius ſalivam, & cantharides urinam, fundant gravitate ſua, an alia ſua virtute?

4. Num ſalia graviora ſanguini miſta, ut ſal in muria, propria gravitate referant obſtructiones?

5. Num venena metallica ſua gravitate, vel rigiditate partium acutarum, interficiunt?

6. Num medicus exhibitione liquoris ſpecifice gravioris tuto ſanguinis levitati ſuccurrat?

7. Quomodo leviora ingeſta tamen humores graviores reddere valent?

8. Num Chalybs in Chloroſi, ſua gravitate, vel vi adſtringente graviorem & coloratiorem facit ſanguinem?

9. Cur viris robuſtis ſanguis denſus, gravis, craſſus; fœminis vero & pueris atque valetudinariis, tenuis, floridus, levis?

10. Cur aquoſa refrigerant?

Levitas Particularum & Humoris.

XXXIX. Levior fiet pars; 1. Si augeatur moles ſine additione materiæ, ut fit in rarefactione; vel ſi partes accedentes minorem gravitatem habent; 2. Si aliquid auferatur de ea particula, & aliud quid addatur, ut maneat eadem magnitudo cum minori tamen gravitate. Si minuatur gravitas & moles ſimul, non dicitur partem leviorem fuiſſe factam, ſed minorem. *Differentia.*

Cauſæ.

XL. Levitas ſeu raritas fit in noſtris humoribus; 1. Si cauſa compingens minor fiat, ut in tardiori circulatione & debilitate corporis; 2. Si copioſe ingerantur, quæ ſunt leviora ſanguine, qualia fere omnia, quæ aſſumuntur, ut aquoſa & oleoſa, verum ſalina & terreſtria graviora ſunt, aer autem non pervenit in ſanguinem; ſi ergo talia leviora magna copia aſſumuntur, & non ſubiguntur, humores ſpecifice leviores fiunt; 3. Huc quoque pertinet putredo, rarefactio, atque fermentatio, ſi fiant in noſtro corpore.

Effectus.

XLI. Ex Hydraulica novimus, partes leviores in ſtagnatione ſupernatare; in motu per canalem cum reliqua maſſa ſuperiorem partem canalis petere.

XLII. Tota vero maſſa levior facta, per canalem pulſa, minus urget in latera canalis, magis retardatur in ſuo motu, quod motus acceptus citius pereat, ſi moveatur juxta latera.

Curatio.

XLIII. Unum cognoſco modum, quo particulæ poſſunt in nobis fieri graviores, ſi nempe compingantur vi vitæ; ergo circulatio facienda celerior, ſimulque ſolida ſunt roboranda; quod fit roborantibus, quæ ſimul calefaciunt; corpus ſæpe exercendum; nunquam copioſius aſſumenda alimenta, ſic ſponte ſua compinguntur, & graviores fiunt humores.

Queſtiones.

XLIV. 1. Num ſalia, aliaque graviora noſtris humoribus ingerenda, ut debita concilietur gravitas humoribus?

2. Cur ſubito ingruente calore corpus magis impletum videtur?

3. Cur debilibus ſanguis levior?

4. Cur corpora putreſcentia intumeſcunt?

5. Ad quamnam corporis partem leviora præprimis feruntur?

6. Num ſpirituoſa ebrietatem inducunt ſua levitate, vel quod coagulant eam materiem, ex qua ſpiritus conficiuntur, vel conſtringunt fibras nervorum.

Figura particularum mutata ſeu acrimonia.

Duplex mutatio.

XLV. Quum omnes partes, quantum oculis aſſequi poſſumus, figuram globoſam obtineant, duplici modo recedere ab ea figura queunt. 1. Si figuram planam magis induant, qua partes ſe mutuo tangentes tenacius cohærent; ſed de eo in viſciditate & lentore egimus. 2. Si commutantur in figuram acutam, quando acre vel acrimonia adeſſe dicitur.

Acris definitio.

XLVI. Acris ergo eſt humor, cujus partes rigidæ talem figuram habent, qua ſi in aliud corpus vel obſtaculum impingant, omnis impetus a parvo puncto ſuſtentari debet: hoc raro in omnibus partibus liquoris ſimul, ſed ut plurimum in quibuſdam tantum obtinet, quare acrimoniam ad particularum vitia pertinere judicavi.

Origo.

XLVII. Acria ingeruntur, vel fiunt in noſtro corpore, vel retinentur, quæ evacuari ſolebant.

Admiſtione.

XLVIII. Sanguini aliiſque humoribus commiſcentur acria, ingeſtione per os, applicatione ad cutem, inſpiratione, raro vero per injectionem.

Acria manifeſta, latentia, & facta.

XLIX. Quæ tali modo commiſcentur: vel ſunt acria 1. *Manifeſta*, quæ nempe in aliis quoque experimentis ſuam acrimoniam oſtendunt: vel ſunt 2. *Latentia*, quæ ſcilicet tunc demum agunt, ſi inveniant cauſam procatarcticam, alias

vero

vero non manifeſtantur; ut aer peſtilentialis, materia varioloſa, morbilloſa; ſuo contagio non omnes homines, ſed quoſdam tantum afficiens; ſive quod acre iſtud viſcido obvolutum tum demum agat, ſi illud ſolvatur; vel quod ſua natura non ſit acre, verum admiſtione alterius acre fit: de his in morbis contagioſis: vel oriuntur. 3. Ex non acribus, ſpontanea corruptione, vel actione noſtri corporis, acria facta.

Manifeſta. L. Manifeſta Acria tam copioſa inveniuntur, ut vix recenſeri poſſint, lubet quaſdam eorum claſſes delibare. 1. Mechanica, ut fragmenta lapidum, vitri, metallorum, mineralium. 2. Vitriolata. 3. Aluminoſa. 4. Metallicæ partes attenuatæ. 5. Spiritus fermentati. 6. Spiritus plantarum acrium & herbæ urentes. 7. Inſecta acria. 8. Partes animalium acres. 9. Aromata. 10. Salia neutra, alcalia, acida, tam volatilia quam fixa. 11. Olea nativa acria, deſtillata vel expreſſa, rancida combuſta. 12. Saponacea. 13. Spiritus acidi. 14. Rubefacientia, eſcharotica, veſicatoria. In his duplex actio: agunt enim omnia vi mechanica, vel alia quadam qualitate conjuncta, unde varii ex his proveniunt effectus.

Acria facta. LI. Ex non acribus acria generantur tam ex iis, quæ aſſumuntur, quam ex noſtris humoribus. Sed aqua nunquam acrimoniam, induit, raro terra; verum olea & ſalia frequentiſſime in acrimoniam evehuntur.

Cauſæ. LII. Commutatio hæc producitur. 1. Circulatione majore, minore, turbata, ſtagnatione, 2. Retentione eorum, quæ evacuanda erant per inſenſibilem perſpirationem, urinam, alvum, ulcera, vel alia emunctoria naturalia vel artificialia. 3. Defectu alimentorum vel abundantia. 4. Somno interrupto, longiore, aut breviore, vigilia immoderata. 5. Igne adurente, & frigore glaciali cum ſubſequente calore: hæc enim ita mutant ſæpe particularum figuram, ut inde acrimonia fiat ex iis, quæ antea acria non erant.

Diviſio. LIII. Quiſque facile videt, ex variis his infinitas ſpecies acrimoniæ produci poſſe; ad cognitionem tamen & curationem juvat acria in claſſes diſtinguere. 1. *Salina* (T. 38.) 2. *Putrida* (T. 37.) 3. *Saponacea* venenata, (verum de his in venenis poſtea). 4. *Oleoſa* (vide de his putredinem) (T. 37.), & quæ dicenda ſunt in olei deſcriptione. 5. *Spirituoſa* (vid. proprium titulum.) 6. *Aromatica* (de his quoque proprius tractatus videndus). 7. *Morboſa*, ut ſcorbutica, venerea, rheumatica, pituitoſa, cholerica, melancholica, podagrica, arthritica, eryſipelatoſa, herpetica, cancroſa, ſanioſa, purulenta; ex ipſis morbis petenda. 8. *Mechanica*, omnium optime cognita.

Effectus. LIV. Ut ſunt cauſæ variæ, ita quoque effectus ſeu ſigna differunt, quædam vero horum ſunt communia omnibus, alia vero ſunt ſingularia, non niſi ex propria iſtius acrimonia deſcriptione vel morbo ipſo explicanda.

Diſtinctio. LV. Iſti generales effectus iterum differunt. 1. Pro parte quæ afficitur. 2. An ſimul motum vitalem, quod frequentiſſime adaugent, vel minuunt, quod minus frequens.

Effectus generales. LVI. Acria mechanicha (L. 1.) (LIII. 8.) cum noſtris humoribus circumacta, deſtruunt cohærentiam liquoris, eum diſſolvunt, attenuant, circumrotatione ſua latera vaſorum, in quæ impingunt, lacerant, deſtruunt; unde humorum effuſiones, hæmorrhagiæ, dolor: vel infiguntur lateribus, impetum transfluentis humoris accipiunt, ſiſtunt partes, quibus adhærent, tendunt, deſtruunt; hinc varia fiunt, prout variant functiones illarum partium, quæ vel augentur, vel minuuntur, vel omnino ſiſtuntur; vel turbantur.

Ex auctu motu vitali. LVII. Si his effectibus addantur illi, qui proveniunt ex motu vitali (T. 18. §. LIX.) irritato a ſtimulo hoc mechanico, quos exponemus in motu humorum majore, multa alias obſcura clariſſime perſpicientur.

In ſucco arteriarum. LVIII. Si acre hoc nidulatur in eo præprimis ſucco, qui ex arteriarum glandulis (T. 19. §. XLII.) ſecernitur, deſtinatus ad internam ſuperficiem oblinendam, ſua irritatione, vel omnes arterias ſimul, vel ramum tantum arterioſum partis alicujus vehementius moveri facit; unde inflammatio generalis, ſeu febris ardens,

ardens, & particularis facile concipitur inflammatio.

Nervorum.

LIX. Si ſuccus ille, qui ex dura matre & nervorum involucris (T. 15. §. XII.) ſecernitur, acri inquinatus ſit, mirabilia conſpiciuntur : ob varium enim nervorum curſum, dolores inſolita loca perreptant ; vellicatæ fibræ nervoſæ ab hoc ſucco alluente, calores, phlogoſes, eryſipelata, convulſiones, ſpaſmos, dolores verſatiles tenuiter conſiſtentes, fluxiones, flatus, tremores producunt. In capite dolorem, vertiginem, vigiliam, animi deliquium, catarrhos ; oculorum dolores, ſcintillas ; faciei intumeſcentiam, aurium dolorem, tinnitum ; ſputationem humoris tenuis, ſæpe ſtuporem dentibus inferentis, gingivas exulcerantis : in pectoris integumentis & pleura dolorem pleuritidi ſimilem ; in pulmone aſthma, tuſſim, raucedinem ; in corde palpitationem, tremorem : in ventre inferiore colicam convulſivam, cardialgiam, teneſmum : lumborum dolorem ſæpe deſcendentem ſecundum ureterum ductum, vel urinæ ſubpreſſionem, vel ardorem excitantem ; diarrhœam ſeroſam & dyſenteriam producunt : ſi alicubi ulcera patent, ſanies vel lympha acris effunditur : ſi fibras nervoſas ad motum vitalem deſtinatas præprimis afficiat acre, ingentem inferre ſolet anxietatem ; ut podagrici in repulſione materiæ ex articulis ad interna viſcera cum ſuo periculo experiuntur. Ad omnia hæc loca, per nervos, vel arterias, quod minus crederem, & ad multas alias partes, fertur hic liquor acer, qui multa ingenia torſit ſuo mirabili curſu.

Acrimonia frigida.

LX. Alia præterea generalis in nobis invenitur acrimoniæ ſpecies, quæ has omnes quoque aggreditur partes, ſed quam partem occupat, ejus motum vitalem minuit ; invenitur in iis, quorum corpora longa valetudine, evacuationibus copioſioribus, diu fuere debilitata ; vel ſi viſcidum colliquefactum fuit. Quo pars magis dolet eo magis ſimul friget, & pulſus debilitatur (vid. Cap. 7. §. 22. in Inſenſibili perſpiratione noſtra).

Curatio.

LXI. Generalis Curatio, nam ſpecialis ex propriis titulis petenda, his abſolvitur. 1. Auferendo. 2. Diluendo. 3. Obvolvendo. 4. Corrigendo. 5. Obtundendo. 6. Derivando. & 7. Motum compeſcendo quandoque.

Auferendo.

LXII. Aufertur, ſi externe hæreat, eximendo, abſtergendo, abluendo : quandoque pars inurenda, ut progreſſus impediatur, ſi timor ſit veneni : in ſtomacho hærens per vomitorium cum dilutione copioſa : ex inteſtinis ducitur, diluentibus, & purgantibus, quibus addere ſæpe debemus anodyna : ex glandulis & vaſis cutaneis, per diaphoretica, ſudorifera & lotiones : ex oculis abſtergendo, eluendo, immitendo inter palpebras cancri lapillum : ex pulmonibus per expectorantia, vaporem ore hauſtum : ex ore & faucibus per gargariſmata, collutiones, abſterſionem, quandoque ablationem, ſi ſolidum ſit : ex renibus per potionem mollem, mucilaginoſam, oleoſam, leniter diureticam, copioſiorem : ex veſica per eadem, ſi autem calculus major, ſectione opus : ex uretra eximendus calculus ſi fieri poſſit ; alias per injectionem olei mollis in uretram, quæ pone calculum digito clauſa eſt, educendus ; ſi vero aliud acre ſit, injectione diluente & emolliente abſtergendum : ſi vero hæreat in auribus, utero, cavitateve artificiali vel morboſa in corpore, injectione liquoris abſtergentis & emollientis acre educendum.

Diluendo.

LXIII. Acrimonia diluitur, ſi admiſceatur ei liquor tenuis, qui intime miſceri poteſt humori acri, ſicque totam maſſam faciat dilutiorem ; ita enim acerrima cauſtica mitigantur. In his requiritur 1. Ut diluentis partes inter ſe minus cohæreant. 2. Ut quædam ſit convenientia inter diluens & diluendum ; ita oleoſa & pinguedinoſa non diluuntur aquoſis ; neque ſanguis nimis denſatus a mera aqua. 3. Ut non ſolum fiat confuſio, ſed & exacta permiſtio ; ita tepor, calor & corporis motus adjuvant dilutionem. 4. Prævidendum, ne diluens ipſum acri admiſtum brevi induat idem genus acrimoniæ, aut aliud malignius. 5. Reſolventia admiſcenda utplurimum, ſi optimam dilutionem deſideramus. His quidem non minuitur acre, nec mitigatur, ſed ſeparatur tantum, unde in principio juvare videntur, ſed poſtea, expulſo vehiculo, eodem modo ſævit acre. adeoque

nitendum, ut ita dilutum acre educatur ſimul, & ut nunquam talia diluentia ingerantur, quæ poſt miſcelam ipſa in acrimoniam convertantur, quod ex corrigentibus cognoſcitur: nocent vero hæc diluentia in omni genere acrimoniæ, quod ex minuta actione ſolidorum producitur, & in eo, quod frigus infert (§. LIX.) quoniam a diluentibus ſolida magis laxantur & enervantur, & ita cauſam acrimoniæ adaugent.

Obvolvendo. LXIV. Obvolvitur & ita miteſcit acre iis, quæ ſua viſcoſitate & tenacitate ita obvolvunt & tegunt acre, ut ſua ſpicula non amplius emineant. In his obſervandum, ne ipſa obvolventia ſimilem acrimoniam foveant, vel præſentem acuant poſtea: ita in alcalina acrimonia obvolventia eliguntur ex farinoſis, oleribus molliſſimis, mucilaginoſis, glutinoſis, quæ ſponte in alcali non convertuntur: In acida acrimonia autem gelatinoſa animalium, ut ex cornibus, & oſſibus, & carne, coctis; pinguedines & medullæ animalium; in acrimonia Mechanica præcedentia omnia valent, & olea mollia. In his obſervandum, omnia oleoſa & pinguedinoſa brevi ranceſcere, & tunc acerrima fieri, quare in acrimonia ea, cui adjunctus eſt magnus calor, omnino nocent.

Corrigendo. LXV. Utinam talia haberemus multa, quæ ſua indole ita extinguerent acria, ut inertia fiant, quemadmodum in ſe mutuo agunt acida & alcalia: ſed quia in his proponendis omnes ſpecies acrimoniæ prius eſſent explicandæ, ſatius erit ea in hoc loco non tradere.

Obtundendo. LXVI. Obtunditur acre, ſi major vis applicatur eminentibus ſuis partibus, quam poteſt ferre earum partium cohærentia, ſive quod anguli eminentes abraduntur, vel complanantur, quoniam actio noſtri corporis ſola hoc producit, inducto majori motu, hinc maxima cautela opus, ſi acre tam rigidum, ut majori hoc motu deſtrui nequeat, brevi enim deſtruerentur omnia. verum ſi ſubigi poſſit acre majori circulatione, & exercitatione corporis, optimam ſanationem producit hæc methodus: ſimul enim roborantur ſolida, & præparantur humores.

Derivando. LXVII. Si non poſſumus ſuperare acre, vel non ſatis cito educere, ad alia loca minus periculoſa ducendum: ita a viſceribus ad articulos in podagricis; ex internis ad cutem in ſcabie retropulſa; ab oculis ad brachia, in ophthalmicis; a pectore ad crura in aſthmaticis, optima fit derivatio.

Motum compeſcendo. LXVIII. Si acrimonia inducat criſpationem ſolidorum, & hinc dolores, flatus, & murmura, ſæpe non ſuccedit eductio, niſi prius ſedato motu per anodyna, ita calculus dum vellicat ureteres, diureticis ſtimulantibus non educitur urina, ſed dato anodyno ſponte elabitur; dolor colicus cum alvo adſtricta ab humore acri rodente non auſcultat purgantibus, niſi dato opio vel iis admiſto; hoc quoque obtinet in convulſionibus hyſtericis ab acrimonia humorum.

Quæſtiones. LXIX. Intelliguntur ex antecedentibus

1. Unde tantus effluxus humoris acris ex corpore, quod nunquam aliquid acre ingeſſit?
2. Num acria calorem inducunt concuſſione partium ſolidarum, ut in corporibus elaſticis, vel irritando motum vitalem?
3. Cur acria ſicca cuti applicata non agunt, quam diu ſicca manent?
4. An acria cuti applicata non ingrediuntur corpus, & permiſcentur humoribus?
5. Quibus vaſis in pulmonibus recipitur acre cum aere attractum?
6. Cur inquinans aer non omnes homines & animalia inficit?
7. Cur in quibuſdam inſitio variolarum variolas non producit?
8. Cur quædam venena poſt longum tempus tandem virus ſuum proferunt?
9. An non omnia acria vi mechanica operantur?
10. Unde tam varii effectus a diverſis acribus?
11. Num terra nunquam in acre poteſt mutari?
12. Num noſtri humores blandi nunquam in acre poſſunt mutari?
13. Num inedia rigidiſſima medetur acrimoniæ?

14. Quo-

14. Quomodo ex glaciali frigore generatur acrimonia?
15. Quid facit ignis & calor in acri producendo?
16. An omnia acria calorem excitant?
17. An ea acria, quæ frigefaciunt, iſtud frigus ſua natura ſtimulante, vel alia qualitate, producunt.
18. Per quæ vaſa tranſitus humoris acris ad varia loca, qualem viam non ſervat arteria?
19. An falſum, catarrhos acres in cerebro natos ad alias partes deſcendere?
20. Num acre podagræ hæret in ſucco nervoſo vel ſpiritibus?
21. Unde flatuum oberratio per corpus acri ſcatens.
22. Quid arthritis vaga?
23. Per quæ vaſa tanta ichoris tenuis affluxus in ulcere rheumatico?
24. Unde tanta anxietas in podagra vetuſta, ſi retropulſa ſit materies ex articulis, vel antequam eo deponitur?
25. Cur opium ſæpe addendum purgantibus?
26. Cur oleoſa & aquoſa primo ſæpe mitigant dolorem, poſtea vero vehementius ſævire faciunt?
27. Cur humoris acris eductio per purgantia infideles inducias ſæpe promittit?
28. An univerſale medicamentum corrigens acrimoniam.
29. Cur ea, quæ augent diaphoreſin, optime medentur acrimoniæ frigidæ?
30. Cur olea mollia, & medullæ animalium, opitulantur doloribus arthriticis vagis?
31. Cur uſu ſalis volatilis & gummi miteſcunt ſenſim dolores diuturni chronici?

TRACTATUS QUADRAGESIMUS SEXTUS.

De accelerato humorum motu.

I. QUamdiu homo vivit, quidam motus ſanguinis fit per cor & omnia vaſa, quo ceſſante, ceſſat etiam vita: verum quia omnibus hominibus non æqualis eſt velocitas hujus motus, poteſt ergo eadem velocitas ſana eſſe & morboſa in diverſis hominibus. Si vero talis ſit velocitas, qualis ſolet fieri in tali homine ſano, ea pro fundamento motus requiſiti poteſt poni. hic motus ſanguinis a Medicis *Circulatio* dicitur. *Motus naturalis.*

II. Si ſanguis ceterique humores æquali temporis ſpatio ad longiorem diſtantiam pelluntur; vel minori tempore ad eandem diſtantiam perveniunt, quam ſolet fieri in tali homine ſano, motus acceleratus dicitur. *Quid motus acceleratus.*

III. Sanguis celerius propellitur: 1. Si major quantitas ſingulis ictibus e corde pellatur in arteriam. 2. Si cor ſingulis ictibus æqualem ejiciat quantitatem, verum frequentiores rhythmos faciat. 3. Si Cor majorem vim exerceat in ſanguine pellendo. 4. Si major quantitas ſanguinis per venas derivetur ad cor. 5. Si fluxus ſanguinis in ipſis vaſis adjuvetur. *Cauſæ.*

IV. Si major quantitas ſingulis ictibus ejiciatur, velocior motus eſſe debet per canalem determinatum; ſi enim capacitates canalium non differunt, eorum canalium longitudines erunt inter ſe, ut ſunt quantitates liquorum: quoniam in hoc caſu quantitas eſt major, ergo longitudo canalis erit major; ſeu ad longius ſpatium eodem tempore pelletur liquor. Cor ſingulis ictibus majorem quantitatem ejicere poteſt, ſi ſanguis copioſius derivetur in cor, ut fit per frictiones, & motum muſculorum, propellentem ſanguinem per venam cavam: & per reſpirationem frequentiorem pleniorem, quæ propellit ſanguinem per venam pulmonalem ad ſiniſtrum cordis ventriculum. *Ex recepta majori quantitate.*

V. Si ſingulis ictibus cordis æqualis quantitas ejicitur, quantitates certo tempore per arteriam trajectæ erunt ut ictuum numeri: quoties ergo frequentior numerus, *Frequentiori rhytmo.*

merus, ut ſæpe fit in ira, furore, gaudio profuſo, & ſimilibus animi pathematibus, aliiſque cauſis pulſum frequentiorem (T. 20. XVIII.) excitantibus; velocitas quoque ſanguinis major erit: ſed quandoque minuitur velocitas cum frequentiori cordis contractione, ſi minor quantitas ſingulis rhythmis expellatur.

Majori vi. VI. Quum fluxus ſanguinis præprimis dependeat a cordis impulſione, quo itaque cor majori vi urget, eo velocior quoque eſt motus: velocitates enim increſcunt cum potentia pellente, ſi cetera eadem ſint: non tamen duplo major eſt velocitas, ſi duplo major vis applicatur, ſi liquores ire debent per canales, quorum latera motum retardant.

Derivatione ſanguinis ad cor. VII. Quando major quantitas frictionibus, motu muſculorum, reſpiratione pleniore & frequentiore, per venas, propter earum ſitum valvularum, ducitur ad cor, non ſolum augetur velocitas, quod ſingulis ictibus major quantitas ejiciatur (IV), ſed etiam, quia ſanguis in venis minus reſiſtit ſanguini in arteriis, illum itaque ab eadem cauſa pellente celerius fluere neceſſe eſt.

Auxilio vaſorum. VIII. Cordi vero ſoli non poteſt adſcribi omnis totius circulationis cauſa; injectio enim aquæ in arteriam alicujus viſceris vel partis mortuæ, potius rumperet arteriam, quam ut iret per omnia minutiſſima iſtius partis vaſa; juvatur vero in hac operatione blanda & alterna compreſſione manus, quod fere facit idem, quod vis vitæ faceret in viventibus: neque cor valet in uno ramo arteriæ celeriorem producere fluxum, qui ab eodem venit trunco, quemadmodum fit in nobis, quam in ceteris omnibus, quod tamen vidimus fieri in inflammatione particulari, læſione nervorum, acri applicato parti, & ſimilibus; verum confitendum, ipſa vaſa motu quodam vitali donata eſſe, quo ille fluxus promovetur ulterius; hunc motum elaſticitati vaſorum adſcribere alienum eſſe ſentio; elaſticitas enim in fibris non extinguitur cum noſtra vita; neque corporum elaſticorum reactio ſuperat cauſam impingentem: hæc vero vis vermicularis, forſan illi ſimilis, qui obſervatur in inteſtinis, brevi a morte quoque ceſſat, quando etiam denegatus eſt tranſitus humorum per viſcera.

Cauſæ hunc motum excitantes. IX. Multæ ſunt cauſæ, quæ hunc motum vitalem vaſorum augent, & ita accelleratam faciunt circulationem: ut omnia ſtimulantia acria, niſi quæ ſimul frigoris ſenſum inducunt; mucilaginis vaſa interne oblinientis acrimonia vel defectus; rubefacientia; frictiones; epiſpaſtica; dolorem facientia; irritatio nervorum; & ſimilia, irritando vaſorum fibras celeriorem motum faciunt, quandoque in parte ſingulari, alias per totum corpus.

Denegata via per quoſdam ramos. X. His adiunguntur eæ cauſæ, quæ intercipiendo tranſitum per ramum arteriæ notabilem faciunt, ut per reliquas arterias velocior fiat motus, quemadmodum eſt compreſſio, anguſtatio, obſtructio, ligatura rami notabilis: quia vero in ramulo hæc vix valent aliquam inducere mutationem, verum quoniam hæ cauſæ magis remorantur motum ratione totius maſſæ, eas potius ad motum impedientes cauſas referri debere ſentio.

Effectus. XI. Ex rapidiori ſanguinis fluxu, validiori & frequentiori motu ſolidorum, hæc fieri ſolent in noſtro corpore. ſolida ſe mutuo atterunt, unde calor, detritus callus; viſcidi attenuatio; lentoris condenſatio; tenuiſſimi expulſio; aquoſi, ſpirituoſi, exhalatio; olei attenuatio, corruptio, ranciditas; ſalis exaltatio in ſalem volatilem alcalinum; ſanguis compingitur, denſatur in diatheſin phlogiſticam; globuli rubri pelluntur in arterias lymphaticas; arteriæ diſtenduntur, comprimunt vicina; vaſa lymphatica arterioſa ſanguine turgent; vaſcula in tunicis arteriarum comprimuntur; accumulatio ſanguinis in arteriis; Chyli citior ſubactio, mutatio; tenuiſſimorum nudorumque vaſorum ruptio; in locis, quæ cedere nequeunt, ſuffocata circulatio; ſolida ſiccat, roborat, rigida facit; humores ſtagnantes, & ex veſiculis aut cellulis, in actum ducit; unde reſpiratio celerior, anheloſa; pulſus durus, plenus, frequens; bilis exuſtio; macies; defatigatio; dolor; febris ardens, inflammatio; ſuppuratio; gangræna, ſphacelus; eruptiones ſanguinis; anxietas; debilitas; pulſatio & palpitatio in locis non conſuetis; moleſtia;

leſtia; incendium internum ; calor inæqualis diverſis partibus ; urina intenſe rubra, pauca, acris.

XII. In parte ſingulari producit calorem, tumorem, ſiccitatem, dolorem, rubedinem, duritiem, ſplendorem, pulſationem. *In parte ſingulari.*

XIII. Si in caput ruat ; facies intumeſcit, rubet ; oculis truces, ſcintillantes, protuberantes fiunt ; aures tinniunt, ſonitum ſuſurrumque percipiunt ; nares rubent, pruriunt ; vident ſcintillas, anguillas rubras, vertigo tenebricoſa, pervigilium, phrenitis, delirium, coma, apoplexia, colli & capitis dolor tenſivus, gravativus ; lucis averſatio ; temporum gravitas, pulſatio ; ſanguinis ſtillæ, hæmorrhagiæ ; tenſio in cervice.

XIV. In curatione attendendum, num expediat minuere motum ; ſæpe enim in viſciditate humorum, laxitateque ſolidorum, aliiſque in morbis chronicis optimam ſanationem præſtant. *Curatio.*

XV. Si vero nimius ſit & morboſus, ſedatur. 1. Eductione humorum ſine ſtimulo. 2. Quiete muſculorum & animi. 3. Ablatione, vel correctione ſtimuli, ſi adſit. 4. Humectantibus, laxantibus, diluentibus, refrigerantibus compeſcendo motum. 5. Motum in aliam partem revellendo, ſi opus. 6. Frigidorum lenta & blanda applicatione.

XVI. Quum ſolida validiſſime agant, ſi tenſa ſunt ; quantitas humorum minuenda, ut motus compeſcatur, præprimis ſanguinis miſſione, clyſmatibus, aliiſque purgantibus, quæ ſimul refrigerant. *Eductione.*

XVII. Quia vero laxata ſolida minus oſcillant, ea procuranda humectantibus, diluentibus, & laxantibus medicamentis, maxime ſi calor adeſt cum ſiccitate: verum, ſi faciat motus major ſanguinis eruptionem, evitanda, *Laxantibus.*

XVIII. Motus revellendus in aliam partem epiſpaſticis pedibus applicatis, ſanguinis miſſione in parte remota, alvi ductione, cucurbitis cruribus applicatis, ſi ſimul copia humorum detrahenda, ut in ſanguinis majori impetu ad caput : verum ſi ſanguis non ſit detrahendus, ligaturis membra modice ſtringenda, ne ſimul comprimatur iſtius partis arteria, atque actu frigida pudendis aliiſque partibus applicanda, quemadmodum fit in immodico ſanguinis profluvio. *Revulſione.*

XIX. Si humor tenuis acer calidus, qui non facile a frigore inſpiſſatur, motum nimium excitat, ut in eryſipelate, pars tam diu actu frigidis refrigeranda, donec ad naturalem teporem redeat : verum in inflammationibus damnoſa eſt methodus, quia in his condenſando ſanguinem, vel ſphacelum, vel ſcirrhum generat. *Refrigerantibus.*

XX. Si reſtet motus major, ablata cauſa ſtimulante, quies inducenda narcoticis, & opiatis. *Anodyna.*

XXI. Si cum motu majore adſit ſanguinis craſſitudo ſeu lentor, refrigerantia reſolventia applicanda & exhibenda, ut acida ſaponacea, nitroſa. *Refrigerantia reſolventia.*

XXII. Verum ſi jungantur cum humorum tenuitate, refrigerantia & adſtringentia adhibenda.

XXIII. Ex his intelliguntur

1. Cur frictiones accelerant motum humorum?
2. Cur ex motu muſculorum pulſus frequentior?
3. Cur reſpiratio magna & frequens indicat motum ſanguinis acceleratum?
4. An animi pathemata non agunt in motum vitalem?
5. An frequentior pulſus indicat ſemper majorem velocitatem ſanguinis?
6. Cur in celeriori motu arteriæ magis, venæ minus implentur?
7. Num elaſticitate vaſorum, vel motu vitali, pellitur ſanguis per vaſcula minima & viſcera?
8. Num actio cordis validior in parte ſingulari valeat accelerare motum?
9. Quomodo in parte quadam motus poteſt mutari vix aliqua facta mutatione in reliqua maſſa?
10. An obſtructio auget vel minuit motum totius maſſæ?

11. An

11. An Inflammatio a motu majore vel obſtructione?
12. Quando compeſcendus motus ligaturis vel venæ ſectione?
13. Cur non ſemper laxantibus & humectantibus motus ſedandus?
14. Cur actu frigidis non ſiſtendus motus in inflammatione, ſed vero in eryſipelate neceſſarium?

TRACTATUS QUADRAGESIMUS SEPTIMUS.

De inflammatione.

Definitio. I. SI alicubi, in corporis parte viſibili, excitatur *tumor* notabilis, ſummam cutem utplurimum & ſubjectam carnem attollens, *coloris* intenſe rubri virideſcentis, qui preſſioni digiti vix cedit: cum *dolore* valido tenſivo, *pulſatione* in ipſo tumore & ſæpe adjacentibus partibus, *renitentia*, *calore* urenti, *ſplendore* & *duritie*; raro mutans locum, aut veſiculas ichore plenas ſuſcitans, niſi abeat in gangrænam; *febrem* cum calore manifeſto movens per totum corpus, *Inflammatio* dicitur & *phlegmone*.

Quibus morbis ſimilis. II. Multi medici tam hodierni quam antiqui herpetem, ignem ſacrum, & eryſipelas eodem hoc nomine complexi ſunt, unde multi errores in praxi, cum maximo ægrorum damno, committuntur; ob ſigna multa communia, & quia ſæpe eryſipelati jungitur, haud facile diſtinguitur, quod tamen neceſſe, quum aliam exigat curationem.

Pulſus durus. III. Hæc, ſi in internis partibus lateat, *pulſu duro*, dignoſcitur: niſi pulmones infeſtat, ſiſtens ſanguinem in vena pulmonali, pulſum altum & mollem exhibens; aut hepar in vena portarum cum ſumma anxietate, cutis colore flavo, & debili pulſu, ſanguinem colligens: aut membranam pleuram, partiumque ſpirabilium extenſionem intercipiens; aut meninges cum tanta cerebri preſſione, ut ſpirituum denegetur fluxus. in quibus omnibus aliquid de ſua duritie remittit pulſus.

Sanguis. IV. Sanguis paulo ante invaſionem & plane in principio miſſus, ſano ſimillimus; verum poſt aliquot horas & dies invaſionis, denſior, craſſior, ſpiſſior, nigrior, gravior, citius concreſcens, cum cruſta alba ſubviridi, gelatinoſa inſtar corii porcini, tenaci, cultro vix ſeparabili, in ſuperficie.

Symptomata. V. Secretiones humoris tenuioris ſiſtuntur, ſi vehementior; lingua ſicca, nigra, flava, exuſta, glabra, aut aſpera cum ſiti multa, ſi apoſitia adſit, valde malum; calor ingens, æſtuans, manifeſtus; alias in ſolis partibus interioribus, quod pejus; reſpiratio laborioſa, anheloſa; anxietas luctuoſa, inquietudo; febris acuta continua; urina tenuis, prærubra, flammea, vel tenuis, alba, ſtatim a potu, ob defectum cum ſanguine miſcelæ, effluens, quæ horrenda; pulſationes in præcordiis aliiſque partibus, vel per totum corpus; cutis ſiccitas, vel ſudor miliiformis, ex imperfecta ſanguinis miſcela, exprimitur. Quæ plura & magis intenſa ſunt ex natura inflammationis; ſemper autem inſpicienda lingua, quum præbeat nuntium fideliſſimum ſtatus inflammationis. febris febrem ardentem, vel tritæophyen, vel hemitritæum, quod tertio quoque die recurrat ſine integra apyrexia, vel & breviori tempore ut in ſemitertiana; aut lypiriam, ob frigus externum, aut Typhodem ob ſudores miliiformes, ſæpe æmulatur.

Cauſæ. VI. Omnes cauſæ, quæ excitant in quadam corporis parte (nam, in toto ſi fiat, febris ardens vocatur) tantum motum, ut ſanguis ruber pellatur in vaſcula lateralia arterioſa, & eum ibidem contineant, inflammationem producunt.

Stimulantia. VII. Ita *frictiones* omnes artificialem inducunt inflammationem; *uſtiones*, *roſiones*, *acria* quæcumque applicata, *phœnigmi*, infixa, læſura maxime partium nervoſarum, irritando motum oſcillatorium arteriarum, tantum in ea parte excitant motum, ut lymphatica impleantur ſanguine rubro.

Motus Major. VIII. Motus circulatorius major in toto corpore excitatus, calore ſolis, balnei,

nei, foci, vel calefacientibus ſtimulantibus aſſumtis, motuque muſculorum majore, maxime ſi ſubitaneum ſuperveniat frigus, conſtringens ſolida, coagulans ſanguinem, retinens humores alias libere circulantes in vaſis minoribus.

Sanguis craſſus.

IX. Sanguis craſſus, denſus, compactus, ſive majore circulatione, ſive evacuatione tenuioris cujuſcumque, ſive defectu potionis talis fiat, per extremitates arteriarum difficilius trajicitur, eas diſtendit, validius & frequentius oſcillare facit, præprimis ſi hoc tempore, & in parte congelata, vel in frigore febris, ſtimulantia calefacientia exhibeantur.

Anguſtatio arteriarum.

X. Demum pondera incumbentia, ligaturæ ſtrictæ, decubitus in aliquam partem, compreſſio quævis & elongatio, ratione ſtimuli inflammationem inferunt: ramus enim arteriæ ligatus non inflammationem, ſed ariduram & motus defectum, parti inferiori inducit: obſtructio arteriæ a materia viſcida glutinoſa nullum exhibet inflammationis ſignum. quid? minima arteriola compreſſa, & obſtructa, non valet ſua ſola obſtructione per reliquas arterias, quarum vix milleſimam forſan partem exhibet, celeriorem proritare circulationem, quum velocitates per multos canales ab uno trunco venientes proportionaliter augeantur, ut eorum minuitur capacitas; hæc diminutio tantilla non poterit ſenſibilem inde proritare circulationem majorem, ne quidem in ramuſculis ab hoc ramo venientibus; ramus enim occluſus per omnes ramos ab eodem trunco venientes æquabiliter diſtribuit velocitatem, ut demonſtrant hydraulici.

A cauſa interna.

XI. Ut a manifeſtis cauſis irritando fibras motrices arteriarum generari vidimus inflammationem, ita quoque de occultis ſentiendum, ſi ſponte fiat in corpore inflammatio: & quia humor ille, qui ex glandulis arteriarum in earum cava deponitur, æque poteſt, ut ſuccus œſophagi, inteſtinorum, viæ urinariæ, tracheæ arteriæ, bronchiorum atque totius membranæ Schneiderianæ, vitiari & acris fieri, in hujus acrimonia ſtimulante locarem cauſam internam inflammationis, ſi in quodam ramo, & febris ardentis, ſi in omnibus arteriis hujuſmodi irritatio fiat. Aut ſi mavis ſuccum inter fibrillas nervoſas circulantem accuſare, quod inflammatio magis ſequatur prorependo nervi quam arteriæ curſum, & hæc ſententia forſan quoque ſuos inveniet defenſores.

Proxima.

XII. Nec phænomena, quibus cognoſcimus inflammationem, vel quæ ſuperveniunt, huic derogant ſententiæ: motus enim circulatorius major in parte, qui inducit tandem ſanguini lentorem, eorum omnium exponit naturam.

Exitus.

XIII. Circulatio velocior, quæ ſanguinem denſatum impulit in vaſa lateralia arterioſa, ipſaſque extremitates arteriarum implevit, hos poteſt obtinere exitus.

Reſolutio pura.

XIV. Nam primo, minuto motu in hac parte retroagitur materies ex vaſculis minoribus in majora, quæ ſi non alienata ſit a ſua indole, ſolvitur inflammatio ſine ulla criſi ſenſibili; quem ſtatum cognoſcimus paucitate ſymptomatum mitiſſimorum; & adjuvamus reſolutionem refrigerantibus, diluentibus, laxantibus, motum compeſcentibus, tam internis quam externis: quam etiam V. S. larga, & purgantia reſolventia refrigerantia, egregie juvant, ut infra patebit.

Et inſenſibilis & ſenſibilis critica.

XV. Materies vero vehementia circulationis, mora diuturniore in parte inflammata, ita commutata, ut ſanis aſſimilari nequeat, viribus tamen vitæ, vel medicamentorum auxilio, ſubigenda, ſignis coctionis in urina, aliiſque evacuationibus indicatur; quæ ſi ſatis ſit ſubacta materies; per inſenſibilem perſpirationem, minus vero attenuata per aliam evacuationem, educitur, ſenſibilem criſin exhibens & laudabilem. quod fit, vel minuta a tergo preſſione, qua materies phlogiſtica regurgitat ex vaſculis lymphaticis arterioſis in arterias cruentas, vel inducta quiete, qua hæc diatheſis ſolvatur, ita tranſeuns per extrema arteriarum in venulas: quid autem in hoc ſtatu agendum, in Criticis evacuationibus docetur.

Metaſtaſis.

XVI. Si vero materiem circulantibus miſtam, bona indole exutam, vis vitæ non valeat ad ſecretoria deponere loca, fortior tamen, quam ut commorari poſſit in ſanguine, ad aliquam corporis partem deponit, facitque metaſtaſin materiæ phlogiſticæ, multo minus, quam eryſipelatoſæ, frequentem. cujus multiplicia ſi-

gna,

gna, & varia eſt medendi methodus. in genere eam futuram dicimus, ſi ſatis valida inflammatio incipiat ſolvi, & per ſenſibilem evacuationem nullibi evacuetur materies, vireſque non leventur, quum tumor diſparere incipiat. tunc omni ope nitendum, ne repellatur materies, ſed locus fovendus fomentis & cataplaſmatibus, quæ maturam movent ſuppurationem, viribuſque corporis ſtimulantibus blandis & vinoſis ſuccurrendum, ut gnaviter operam ſuam exequantur.

Suppuratio. XVII. Hæc materia phlogiſtica in ſuis contenta vaſculis ultra 4, 7, 11, vel 14 dies, ſi cauſa non nimis ſit valida, mutari incipit, & tandem tota convertitur in materiem albam, lævem, æqualem, ſubpinguem, pus dictam, ſolventem vaſa, quibus occludebatur, cum dolore, febre, calore, pulſu duro frequenti, vigiliis, moleſtia, inquietudine, horrore, rigore, & augmento omnium ſymptomatum inflammationis. Quæ ſi apparent poſt ſigna ſatis validæ inflammationis, nec medicamentis, nec venæ-ſectione, aliave ſanguinis evacuatione, cedentis; cum urina ſine ſedimento aut valde pauco, (nam urina multa alba craſſa liberat) fieri ſuppurationem certe ſcimus, confirmatur ulterius ſi febris continua deſinat in intermittentem, vagæ ſi fiant horripilationes & rigores, frequenter exſudent, & inſuper rigeant, dolorque aliquantulum mitigetur: nam pus tunc factum eſſe conſtat.

Scirrhus & Cancer. XVIII. Verum hæc inflammatio, præprimis ſi contingat in parte glanduloſa, per hujus emunctorium, vel vaſcula minutiſſima, & forſan hiantia latera vaſorum, dimittens tenuiſſimum, compingens craſſius, cum vaſis ſuis dilatatis, humore denſo oppletis, abit in corpus durum indolens, ſcirrhum dictum; quæ induratio promovetur applicatione adſtringentium, coagulantium, ſtipticorum, actu frigidorum, defenſivorum, abſorbentium, exſiccantium, & ſimilium. Hujus ſcirrhi humor poſtea liqueſcens, & putredinem ſuſcipiens, cancrum producit, primo occultum, poſtea apertum.

Gangræna. XIX. Si motus ſolidorum ſanguinem pellens in vaſcula arterioſa lymphatica tam valide agat, ut ſolida rumpat, liquoreſque effundat, ceſſat inde dolor, ſenſus perit, pars gravis redditur; in ſuperficie veſiculæ excitantur ichore plenæ; ruber color in pallorem, vel fuſcum & atrum colorem convertitur; ceſſantque omnia ſymptomata, & æger falſa lenitate levari videtur; pulſus fit debilis; ſudores frigidi exprimuntur; facies contriſtatur; oculi fiunt concavi: hic ſtatus gangræna dicitur & ſphacelus.

Curatio minuendo impetum. XX. Ex cauſa expoſita facile erit deducere methodum medendi. 1. Minuendus eſt enim impetus a tergo premens globulos rubros in vaſcula lateralia, eo enim ipſo quies conciliatur humori, qua ſolvitur tale concretum ſponte ſua; & ſæpe regurgitare poteſt impactum, atque ulterior lentoris generatio prævenitur: quod efficitur venæ ſectione larga ex lato vulnere, imo repetita, ſi opus; & ſuccenturiata alvi ductione per illa, quæ ſine tumultu multum evacuant, corpuſque ſimul refrigerant: inſuper talia ingerenda & applicanda, quæ cum quadam reſolutione refrigerant, inter quæ nitroſa inflammationis antidota, & ſucci fructuum horæorum acidulorum, vel & ipſa acida excellunt: ut &, aliunde derivare a parte principi, ſæpe multum adducit levaminis.

Laxando. XXI. Quum vaſa laxata languidius oſcillant, humectantia tam interna quam externa adhibenda, & quæ laxant.

Reſolvendo. XXII. Quia ſanguis eſt concretus, reſolutio ſemper tentanda, reſolventibus antiphlogiſticis, ſpecificis huic concretioni, quia alia reſolventia hanc materiem magis inſpiſſant, quæ omnia ſemper calida vel tepida applicanda, vel & exhibenda.

Quæſtiones. XXIII. Intelliguntur ex his

1. Num cuticula in ſanguinis ſuperficie concreſcens a chylo inſpiſſato exaſſato?

2. Num hæc, ſi non appareat in ſanguine educto, acuto morbo preſſo, indicaret materiem phlogiſticam retineri, aut potius hunc morbum ab eryſipelate venire.

3. Cur a cortice peruviano abſtinendum in febribus, ſi urina tenuis, rubra, flammea?

4. Cur frigus extremorum cum incendio interno magnum portendit periculum in inflammatoriis?

5. Num

5. Num emplaſtica, obſtipando poros, vel fovendo acre generantia, inducunt inflammationem?
6. Cur Eryſipelati ſæpe ſupervenit inflammatio?
7. Num ab arteriarum obſtructione fiat inflammatio?
8. Num denſitas phlogiſtica inflammationis cauſa vel effectus?
9. Num majori circulatione pelli poſſit materies phlogiſtica in principia venarum per extremitates arteriarum?
10. Num ſtimulantia reſolvunt materiem phlogiſticam, ut gluten?
11. An in principio inflammationi applicanda adſtringentia quæ ſanguinem condenſant, & ſolida conſtringunt?
12. Num ſudoriferorum exhibitione inflammationis curatio tentanda?
13. Cur vomitoria & purgantia hydragoga, frictiones, calefacientia, & alexipharmaca, nocent?
14. Num pulſus mollis ſemper ſignum abſentiæ inflammationis?
15. Cur non ſtatim a punctura nervorum inflammatio, ſed poſt aliquod tempus.
16. Cur actu frigida, & adſtringentia refrigerantia, quæ minuunt motum, non applicanda parti inflammatæ.

TRACTAT. QUADRAGESIMUS OCTAVUS.

De Abſceſſu ſeu Apoſtemate.

I. TUmor pure impletus, quod cavitate quadam non limitata continetur, intra partes ſolidas corporis vi morbi facta *abſceſſus* & *apoſtema*, quandoque *ſuppuratio*, vocatur. *Definitio.*

II. Verum in pectoris cavo *Empyema*; in pulmonis cellulis *Vomica*, & *Tuberculum*; in glandulæ alicujus dilatato folliculo, & ob variam contentam materiem, *Atheroma*, *Steatoma*, *meliceris*, & *natta* vocatur: ita ob figuram *ſinus* & *fiſtula*; & ex loco *Bubo*, & *Parotis* dicitur. *Varii abſceſſus.*

III. Triplici generatur modo abſceſſus in quadam parte. 1. Ex præcedenti inflammatione iſtius partis in ſuppurationem converſa, de qua egi. 2. Si alicubi in corpore ex facto abſceſſu aliunde deponatur pus. 3. Vel ex febre inflammatoria in quandam partem pus deponente: quæ duo ultima genera *Metaſtaſes* dicuntur, aut criſes per abſceſſum. *Generatio triplex.*

IV. Si inflammatio in apoſtema ſit abitura, quod ex deſcriptis cognoſcimus ſignis, promovenda eſt ſuppuratio, applicatione medicamentorum, quæ *maturantia* dicuntur. *Curatione maturare.*

V. Et quia, minuendo reſiſtentiam in quadam hujus apoſtematis parte, aliquo modo determinatur ruptio, loco convenienti applicanda ea, quæ eam partem *laxant*. *Determinare.*

VI. Medicamentis interim internis, hanc ſuppurationem adjuvantibus, abſorptionem puris cohibentibus, utendum, quæ ſanguinis circulationem aliquantulum adaugent. *Puris coctionem accelerare.*

VII. In his continuandum, donec partis mollities, & albedo, fluctuatio ad digitorum attactum, diminutio ſymptomatum Inflammationis, converſio doloris in gravitatem, doceant abſceſſum pus maturum continere, ſæpe mucronatum tumorem excitare in faſtigio album. *Signa maturitatis.*

VIII. Sæpe vero citius aperiendus abſceſſus, ſi timor ſit ruptionis in cavum corporis, vel in articulum, ceteroquin ante maturitatem abſceſſus ſi aperiatur, dolorem movet, diutius durat, priuſquam omne induratum ſolutum & maturatum ſit. *Quando citius aperiendus.*

IX. Si ſponte ſua abſceſſus maturus non aperiatur, id tentandum. 1. Lanceola, tumore preſſo digitis ita, ut emineat locus incidendus, eligenda pars albiſſima, inferior reſpectu corporis, vitatis vaſis majoribus, nervis, tendinibus, ſectione fibris quantum fieri poteſt parallela, ſatis lata plaga, ne tamen tangatur *Per lanceolam.*

latus oppoſitum, exeuns pus ad latus lanceolæ docet ad cavum penetraſſe, tunc ſurſum ducta lanceola dilatatur plaga. hac actione locum opportunum brevi tempore & non cum multo dolore aperire licet, relinquiturque vulnus purum.

Cauſtico & Eſchara.

X. 2. Si vero inanis metus ferri, aut ſitus loci, vetat ferro aperire apoſtema, id *cauſtico* applicato tentandum, ſed diuturniorem exigit operationem, majorem dolorem excitat, cruſtamque inuſtam relinquit, medicamentis aptis ſeparandam: dum cauſticum applicatur, *emplaſtro tenaci*, in cujus medio apertura rotunda eſt, determinandus locus cauſtico comburendus, & muniendæ partes adjacentes, ſi opus, fotu vel cataplaſmate idoneo.

In aperto abſceſſu.

XI. Ex aperto abſceſſu leniter & moderate pus expellendum, niſi valde magnus, quia tunc portio ejus tantum educenda, ne vaſa ſuſtentaculo hoc orbata rumpantur, aut nimiam recipiant ſanguinis quantitatem; locus evacuatus ligaturis & ſpleniis modice ſuffulciendus, ut æquabiliter ſuſtententur vaſa; fortior preſſio ſæpe rumpit macerata a pure vaſa, novamque inducit inflammationem; & nimis accurata puris expreſſio remoratur laterum induratorum maturationem: arceatur accuratiſſime aer; ſi apertura anguſtior debito, dilatanda turunda facta ex radice gentianæ ſiccata, conſolida majore, pergameno convoluto, ſpongia madida compreſſa exſiccata, vel ligata dein ſiccata: turundis non ſollicitandus locus, niſi ſubitaneæ coaleſcentiæ ſit metus, quum turundæ duritie dolor & inflammatio nova excitentur in parte.

Depurare ſi ſinum fecerit.

XII. Si abſceſſus magnum ſinum fecerit, aut ſordibus, vel pure tenaci, ita oppleatur, ut curationi obeſſet, locus *detergentibus*, *depurantibus*, & *deterſivis*, mundandus; reliquum ut ulcus tractari debet, ſi ſimul apertura inferior, modica preſſione ſpleniorum comprimendus; aut curatio ſi obtineri nequeat, nova facienda in procliviori & inferiori parte apertura, dein locus carne implendus.

Corruptio abſceſſus læſi.

XIII. Pus maturum, vel quod nimis profunde hæreat, aut ob tenacitatem nullum indicium præbeat, aut ſi æger non velit manum Chirurgi admittere, ſponteque non rumpatur abſceſſus, in loco calido fotum, priorem blandam balſamicam indolem exuit, vel abit in putrilaginem, ichorem, vel ſaniem rodentem, & ſeptici ad inſtar adjacentia in gangrænam convertit.

Evacuatio.

XIV. Sive ſtagnatione attenuatum, vaſis abſorbentibus receptum, circulantibus miſtum, valde alienatum, gangrænam & ſphacelum cum morte ſequente generat, ſin minus, febrem hecticam producit, ſi vires vitæ vigeant, per aliquam evacuationem, urinam, alvum, ſputum, criticam facit evacuationem; ſi omne hac via educatur pus, criſin facit perfectam, ſi portio tantum ejus, imperfectam criſin molitur natura.

Scirrhus.

XV. Quandoque vero ſtagnans pus, amiſſa parte tenuiore, cum vaſculis, quibus continetur, præprimis ſi hæreat in parte glanduloſa, in tumorem durum, indolentem, *ſcirrhum* appellatum, convertitur; qui tumor, ut ab Inflammatione, quandoque in *Cancrum* tranſit.

Metaſtaſis.

XVI. Denique, ſive ex locali prægreſſa inflammatione, ſive ex febre acuta inflammatoria ardente, materies purulenta in toto corpore nata ſit, nulla evacuatione critica educta, quandoque abſceſſum producit in quibuſdam partibus, ſi vis vitæ minus valeat ſolutam & receptam materiem purulentam evacuationibus amandare, facit ita *metaſtaſin*.

Parotides.

XVII. Tales abſceſſus prædicimus circa aures, ex febris ardentis diuturniori mora, præprimis ſi 20. diem tranſmiſerit, & hypochondriorum dolore & tumore cum alvo profuſa, ſed mali tunc ſunt; hypochondriis autem mollibus cum faſtidio, nauſea, horrore, rigore, tremore, anxietate, & reliquis commotionem materiæ per corpus indicantibus, dum interim ex urina aquoſa, alba innatantia habente, aut cum rigore ſuppreſſa, conſtat materiem purulentam retineri, atque verſus caput tendere, quod ſopore, comate, aurium bombis, ſuditate capitis, colli & cervicis dolore, ſtupore, ſudore in partibus ſuperioribus, manifeſtum fit.

Bonæ.

XVIII. Bonum præſagium præbent, ſi veniant die critico, cum coctionis ſignis,

gnis, non valde dolentes aut rubicundæ, juſtæ magnitudinis, prominentes, facile ſuppurantes, integris viribus, ſatis copioſum pus fundentes, febrem minuentes, & febris quieſcat a ruptione, appetitus reſtituatur, pus ſit album, læve, æquale, non fœdi odoris. Licet bonæ, tamen morbum tardius ſolvunt, quam excretiones.

Prævenium-tur.

XIX. Præveniuntur hæmorrhagia, alvi fluxu, tuſſicula cum ſputatione, urina alba, craſſa, concocta; abſceſſu alio ad inferiores partes vel articulos. an non ergo inſtantibus parotidibus liceret venam ſecare, alvumque movere blando medicamento purgante, gargariſmatibus & expectorantibus avertere parotides? ita ſane hæc ſigna indicare videntur, quamvis fere omnes contradicant.

Malæ.

XX. Verum ſi veniant in morbis longis, ex alvo profuſa, graveolente, ſpumoſa, meraca; & in acutis parvi, rubri, dolentes, non ſuppurantes, cum hypochondriis dolentibus, duris, intentis, ſine coctionis ſignis, vel in principio morbi, plani, non levantes, cito recurrentes, parvi, aut majores quam ferri poſſunt, pus ichoroſum tenue, ſpecillum tingens, fœdum emittentes; vel alvus ſi non multum fluat, in cruditate morbi, fractis viribus, ſi urina ſit ſine ſedimento vel inconſtans, inſuper refrigerari, in tremulis, leviter ſideratis, citra judicationem diſſipati: in his vertigines, ſanguinis ſtillæ, & alvus erumpens, vel febris aucta, valde mala.

In inferioribus.

XXI. De abſceſſibus in partibus inferioribus idem fere ſentiendum, eorum prædictionem petimus ex ſignis generalibus abſceſſus futuri, abſentia eorum, quæ materiæ metaſtaſin ad caput indicant, dum interim circa præcordia ludant ſymptomata: hi quoque ſerius venire ſolent.

Curatio.

XXII. Hujuſmodi abſceſſus eodem modo ut priores ad citam maturitatem ducendi, dein aperiendi, ſi ſponte non rumpantur, ut dictum eſt.

Pus in ventre inferi. e.

XXIII. Abſceſſus factus, ruptis repagulis, quibus continebatur, in cava vicina quandoque fundit pus. In *Ventre inferiore* vero minus faciunt tumores abſceſſum, quam qui ſunt in præcordiis, minime vero hi, qui ſub umbilico conſiſtunt, ad ſuppurationem convertuntur; unde in ventris inferioris cavo raro pus colligitur, aut, quod medici decepti hujuſmodi puris collectionem tympanitidem vocant, pus utplurimum in tuberculis continetur, difficile detegitur, fit tamen ex dolore præcedenti, ſi terra figulina applicata citius exſiccatur. Cognoſcimus hoc ex ſignis inflammationis prægreſſis cum nulla ſequente evacuatione critica.

Empyematis cauſa.

XXIV. In *Thorace* autem frequentius pus colligitur, poſt pleuritidem, peripneumoniam, ſanguinis ſputum, varices pulmonum, tubercula ſeu vomicas, anginam, quamvis multi negent, lateris inflammationes, vaſis ruptis, vel vulneratis, vel contuſis, in pectoris externis & internis partibus, pulmonum lethargum, mediaſtini, pericardii, diaphragmatis inflammationem, imo hepatis abſceſſum, ubi fit in eo loco, quo diaphragmati annexum eſt, & tandem poſt febrem acutam, aut abſceſſum in quadam corporis parte, per metaſtaſin in cavum pectoris pus deponentem.

Prædictio.

XXV. Prædicimus ex his morbis Empyema futurum, ſi harum partium inflammationes abierunt, quod ex ſuis propriis ſignis cognoſcitur, & non expurgantur judicatoriis diebus, ſeu ante diem vigeſimum.

Verum ſi accedat ſpirandi difficultas, ſputum difficile, primo ſalſuginoſum, dein dulcius, aut amarum, tenuius, ſi bilioſum, pejus, aut omnino ſuppreſſum, ſi calores interdiu tenues, noctu graviores fiant, oculi fiant concavi, facies florem habeat, ſudent circa collum & claviculas, ſtertant, tuſſis tenuis ſit cum ſputatione, & gravitas loco doloris.

Detectio generalis.

XXVI. Si pus in pectoris cavo collectum ſit, mole ſua 1. gravans pectus, ſpirandi difficultatem, decubitum difficilem ob metum ſuffocationis, quod pulmones ſufficienter explicari nequeant, inducit, corporis motu fluctuatio auditur: deorſum preſſo a pure diaphragmate venter tumet inferior. Sua 2. acrimonia purulenta, adjacentia irritante, tuſſim, dolorem lateris, producit, quæ materies 3. ſanguini miſta excitat febrem hecticam, corporis calorem & frigus viciſſim, de

die leviorem, noctu graviorem, corpus pustulis efflorescit, sudoribus diffluunt, inquieti sunt, & macrescunt, pulsus parvus, frequens; 4. Stomachum quoque afficit, cui omnem appetitum demit, fastidium excitat, & nauseam, & alvus incalescit aut liquescit, quo sæpe pereunt; 5. etiam digiti exasperantur, incalescunt, & ungues incurvantur, maxillæ efflorescunt rubore; 6. pedes & crura, & oculorum cava, solidis laxatis, intumescunt, membra solvuntur; 7. tandem thorax incurvatur, vox rauca, sputum nullum, vel graveolens, & purulentum quid emittitur; quorum multa si adsint, scimus pus contineri in pectoris cavo.

In utroque cavo. XXVII. Si utrumque latus pure plenum sit, decubitus in dorsum possibilis tantum, corpore aliquantum elevato.

Pectus plenum vel pus tenax. XXVIII. Sæpe autem concussione corporis non auditur fluctuatio, quamvis pectus pure plenum, aut pus tam crassum, ut concussione non fluctuet, ex datis tamen reliquis signis præsens cognoscitur.

In uno latere. XXIX. In uno tantum latere pus contineri cognoscimus, 1. ex impossibili decubitu in latus sanum, ob puris copiam mediastinum aggravantem; 2. dolore lateris affecti; 3. & citiori exsiccatione lintei madefacti, terra figulina aspersi, tepide applicati.

In pulmone. XXX. In ipsis pulmonibus pus contineri scimus 1. ex peripneumonia prægressa, 2. si æger omni tempore gravatus fuit in medio pectoris, si enim in cavum ex pulmone pus fundatur, levari videntur; quamvis postea iisdem imo gravioribus urgeantur symptomatibus; 3. si gravantur semper & difficulter spirant, quomodocunque corpus locetur; 4. si sæpe exspuant pus; 5. si fluctuatio nulla percipiatur.

In mediastino. XXXI. Quandoque collectum pus hæret in mediastini duplicatura, nullam fluctuationem præbens, sed gravitatem in medio pectoris, dolorem ante & retro; quandoque pronus decubitus facilior, si circa sternum, alias supinus, si circa dorsum.

In pleura. XXXII. Vel in pleuræ sacco dilatato colligitur, præprimis post pleuritidem, contusionem, vulnus: ex causa cognita antecedente, dolore loci & gravitate, absentia fluctuationis & levatione a puris effusione in cavum pectoris, & sæpe ex mutato colore integumentorum supra partem affectam, & tumore, ut & applicatione lintei madidi cognoscitur. Ex hoc genere sæpe pulmones adnascuntur pleuræ.

In pericardio. XXXIII. In pericardio quoque pus fuisse collectum cadaverum incisiones probarunt: ex cordis symptomatibus, aliisque signis empyematis in sacco contenti junctis, desumitur, ut ex lipothymia, pulsu debili, inæquali, vacillante, tremore & palpitatione cordis, anxietate & similibus.

Bona signa. XXXIV. Si empyemate affectus facile ferat morbum, bene spiret, nullum fere dolorem habeat, corpus æqualiter calidum habeat & molle, non ultra solitum sitiat, febris ipso eruptionis die remittat, appetitus restituatur, alvus compacta modica deponat, sputum liberaliter sine multa tussi ejiciat, pus exeuns sit læve, æquale, ejusdem coloris, non fœtens, citra tussim fortem & dolorem, bene dormiat, urinam concoctam, album habentem sedimentum, satis copiose emittat, servabitur.

Mala signa. XXXV. Verum ægre ferens morbum, anxius, stragula de pectore semper removens, spiritum magnum, densum, difficilem habens, dolores, febres ab eruptione non sedantur, si valde sitiat, corpus inæqualiter a febre teneatur, venter & costæ si maxime caleant, frontem vero, manus & pedes frigidos, si habeat, cibum non appetat, sputum emittat nullum aut valde spumosum, graveolens, pus si sit pallidum, viride, lividum, ichorosum, cænosum, pituitosum, speciem tingens; pus per alvum evacuetur, corpus si emacietur vehementer, aut alvus erumpat liquida, moriuntur.

Recidiva. XXXVI. Si quædam ex utrisque adsint, anceps præsagium: si vero mitius habere videantur, dein iterum exspuunt graveolentia, recidivam prædicimus.

XXXVII.

XXXVII. Pus manens in pectoris cavo, ab ambientium fotu & calore corruptum, reliqua inficit & in gangrænam convertit, phthiſin & atrophiam inducit inſanabilem. Vel 2. pus a ſanguine receptum deponitur ad crura, quod bonum; vel ad renes, & ſic educitur, aut expurgatur ſputo, & ita commodiſſime ſervantur. Aut 3. ipſum pectus perrodit & effluit pus. hoc pus ſi bonum, liberantur, ſin malum, ut plurimum pereunt: rumpitur ut plurimum 20, 30, 40, & 60 die, in junioribus & robuſtis citius, in infirmis & ſenibus tardius. Vel 4. ad aliquod viſcus facit metaſtaſin, ſi vero deponitur in inferioris ventris cavum, pereunt. *Effectus & exitus.*

XXXVIII. Curatio omnis in puris eductione conſiſtit, ea quidem via, quam nobis demonſtrat natura, in quibus obſervandum; non aliam tentandam, quam quæ natura indicat. *Curatio.*

XXXIX. 1. Per ſputum ſive exſcreationem per os, quam evacuationem adjuvamus medicamentis *pectoralibus*, excreationem & expectorationem adjuvantibus, quæ omnia larga quantitate humoris, quantum ferri poteſt calidiſſime poti, adjuvanda. *Sputo.*

XL. 2. Aut per urinam medicamentis balſamicis, leniter diureticis & pectoralibus ſimul, juvanda evacuatio. *Urina.*

XLI. 3. Si vero per abſceſſum cruralem evacuationem natura moliatur, & is promovendus fomentis, & cataplaſmatibus ſuppurationem promoventibus. *Abſceſſu alio.*

XLII. 4. Vel ſi facto tumore in thorace viam ſibi paret pus, is promovendus iiſdem medicamentis ut alii tumores, denique etiam pertundendus tumor, cavendum, ne acervatim omne pus ſimul erumpat. *Ex thorace.*

XLIII. His omnibus non apparentibus, ſi tamen conſtet, pus contineri in pectore, & nullibi locus tumens indicium præbeat, ibidem commodius aperire poſſe, inſtituatur paracentheſis in latere affecto intet 4 & 5 coſtam ab inferioribus, diſtantia 4 vel 5 digitorum a ſpina dorſi, & 4 circiter ſub angulo ſcapulæ, loco prius atramento indicato, cute elevata, ad longitudinem ſecta, plaga digitis tenenda; pertundatur cutis lanceola, caro magis tendenda incurvatione ægri, ſecetur uſque ad membranam pleuram, ſectione coſtis parallela, vel aliquantulum deorſum verſus, ne vaſa intercoſtalia ſecentur (fibrarum enim muſculorum intercoſtalium ſequi curſum impoſſibile eſt) dein pertundatur pleura prudenter, ne tangantur pulmones, plaga aperta ſervetur cannula anſata, pro lubitu claudenda, & vinculo firmanda. *Paracentheſis.*

XLIV. Per cannulam apertam emittatur pus, compoſito ægro in plagam, per vices, ut 20 dies inſumantur eductioni, nunquam vero ultra dies 40: ſi pulmo aperturam cannulæ claudat, ſtylo per cannulam miſſo leniter detrudatur: Si pus craſſitie obturat, liquore tepido idoneo diluendum, cujus quædam ſemper portio in ſequentem deligationem relinquatur: hæc dum fiunt, medicamentis *antipuicis & detergentibus* corpus contra infectionem puris muniendum; cito in aere calido bis de die ad ſummum, niſi nimis gravatur æger puris accumulatione, prudenter, ne intret aer, æger deligandus: ſi vero nimis copioſe generetur pus, medicamentis, anodynis, leniter adſtringentibus, *antipuicis* compeſcenda generatio. *Poſt operationem.*

XLV. Verum ſi hæreat in pulmone, mediaſtino, pericardio, fruſtra inſtitueretur operatio; & citius mortem adferret, ſi multa ſigna mala adſint; aut ſi poſt operationem puris ſigna mala, aliaque mala accedunt ſymptomata, non modo inutilis, ſed & cum damno fuit inſtituta paracentheſis. *Vetatur.*

XLVI. Poſt puris eductionem, ſi nimis copioſe pus generetur, ut inde vires cadant, tali modo tractandus æger ut in *Debilitate* (T. 23. §. XI.) dictum eſt. *Poſt eductionem.*

XLVII. Si *tuſſis* ita urgeat, ut attentionem mereatur, illa linienda balſamico, pectorali, anodyno. Sin vero *ſputum* aut *pus tenacius* ſit abſtergentibus utendum. Sin autem *ſitis* urgeat, pectoralia dilutiora exhibenda. In *alvi fluxu* narcotica pectoralibus miſcenda. *Symptomatum medela.*

XLVIII. Intelligimus 1. quæ pus attrahentia. *Quæſtiones.*

2. Num

2. Num abſceſſus ſemper ex inflammatione prægreſſa iſtius partis?
3. Cur pars ita refrigeratur poſt nimiam puris eductionem?
4. Num ex abſceſſu magno omne pus ſimul educendum?
5. Num omne pus accuratiſſime abſtergendum?
6. Cur margines diutius duri, ſi immaturum aperiatur apoſtema?
7. Unde puris retenti tanta acrimonia?
8. Qua via ex pectore ad renes pus?
9. Quomodo angina in Empyema converti poteſt?
10. An non licebit in acutis venam ſecare, ſi parotides inſtant?
11. Quæ materies, ex qua pus formatur?
12. An ex colore albo inferendum, pus generari ex Chylo?
13. An omne album pus, quod ex corpore evacuatur?
14. Unde tam ſubito magnus tumor pure plenus poſt febrem ardentem, ſine inflammatione iſtius partis prægreſſa?
15. An in omni loco expectanda puris maturitas, antequam aperiatur abſceſſus?

TRACTATUS QUADRAGESIMUS NONUS.

De calore Corporis.

Definitio. I. SI corpus noſtrum magis caleat, æſtuet, vel ardeat, quam ſolet obſervari in ſanitate, Morbo calido laborare dicitur homo.

Cognitio. II. Cognoſcimus hunc majorem calorem; 1. Relatione ægri, etſi ad attactum non videatur calidior; 2. Attactu, verum ne decipiamur cavendum, quum manus noſtra calida non judicabit tantum calorem in eo corpore eſſe, quam ſi manus frigida applicata fuiſſet; 3. Omnium optime thermoſcopio gradus caloris determinatur, ſi eo uti liceat; 4. Ex pulſu duro frequenti, reſpiratione celeri profunda, urina rubra pauca, aliquod quoque judicium de calore ferre poſſumus.

Cauſæ. Ablato refrigerio. III. Quum ſponte ſua incaleſcit corpus, quoties refrigerium externum minuatur, vel corpus verſetur in eodem caloris gradu, ut eſt calor ipſius corporis, eſt ergo in nobis cauſa calorem producens: magis vero incaleſcit, ſi actu calida corpori admoveantur.

Aucta circulatione. IV. Intenditur quoque calor omni circulatione celeriori, ut in corporis exercitatione, frictionibus: pulſus tunc ſimul fit plenior, frequentior, major; reſpiratio frequens, magna, anheloſa. Solo ergo motu aucto, qui movet quoque humores, intendi poteſt calor.

Arctatis vaſis. V. Vaſa arctiora facta, ſive hoc fiat ab externa preſſione, ut a ligaturis, pondere incumbente, ſive ex majori contractione ſolidorum, ut ab aere & aqua frigidiore, & combuſtione; vel applicatione roborantium & alcoholis, calorem excitant; vel quod liquor tranſeuns magis atterit latera; vel quia vaſorum latera magis tenſa faciunt, ut attritus fibrarum in iis fiat validior.

Motu ſolidorum. VI. Quoties ſolida in noſtro corpore frequentius moventur, aut majori energia, incaleſcit corpus, ita in majori elaſticitate & robore ſolidorum, & aucta cordis vi; vel ſi ſolida inſtigantur ab aliquo ſtimulo: quia nempe multo facilior eſt humorum tranſitus per venam ſenſim latiorem cor verſus, quam per capillaria arteriarum, magis ergo implentur arteriæ in motu majore, & diſtenduntur latera, fibræ horum validius in ſe mutuo agunt, atque validior fit humoris applicatio ad latera arteriarum.

Inflammatione & febre ardente. VII. In Inflammatione & febre ardente obſervatur Calor manifeſtus adurens, ſiccus, æqualis per totum corpus, vel in quibuſdam tantum partibus; quandoque ipſe halitus ore emiſſus calidiſſimus eſt, ſæpe ſine prægreſſo frigore infeſtat. In febribus vero utplurimum poſt toleratum aliquamdiu frigus ingruit;

Quo frigus in initio magis intenſum & longius, eo calor ſubſequens erit vehementior, niſi æger ſuccumbat.

Si

Si caput & pedes frigidi ſint, ventre coſtiſque calentibus, malum.

Qui viciſſim refrigerantur & incaleſcunt, periculum aut longitudinem indicat. Si præter conſuetudinem in ægrotante partes corporis externæ incaleſcant, & facies rubeſcat, criſin per ſudorem futuram, judicatur.

Flammans cum ſudore facies in acuta febre malum.

In febribus circa ventrem fortis æſtus, & morſus oris ventriculi, malum.

Optimus eſt temperatus, ſuavis, æqualis per totum corpus cum quodam humido: talis ſi fiat poſt evacuationem, notat febrim critice ſublatam eſſe.

Quoniam in omni humorum craſſitudine non intenditur calor, motus ergo vitalis validior, non vero impeditus tranſitus, eſt in febribus cauſa caloris: ſi vero tali majori motui jungatur lentor, ob difficiliorem tranſitum per capillaria arteriarum, magis tenſæ fibræ validiorem faciunt attritum.

VIII. Qui calor fit major ex putredine, (T. 37. §. XI.) mordax obſervatur & acris, ſtatim a manu attingente non ita manifeſtus percipitur, quam ille quem animadvertimus in morbis inflammatoriis; verum ſi aliquamdiu fuit manus applicata, tandem calor mordax, minus æſtuans obſervatur. fere ſimilis eſt quoque ille, qui obſervatur in acrimonia bilioſa, Eryſipelate, in quadam ſpecie hepatitidis, pleuritidis, phrenitidis, in febre putrida, Lipyria, Typhode & ſimilibus. In his major obſervatur humorum tenuitas, quam ut calor ex obſtructione poſſet derivari; verum acrimonia ſtimulans cum facili humorum tranſitu hunc calorem producit. *Putredine.*

IX. Poſt hæmorrhagias profuſas, puris aut aquæ hydropicorum nimiam evacuationem, alvi fluxum, lactationem cum appetitu dejecto, Diabetem, ſudorem colliquativum, & ſimilia, quidam calor hecticus obſervatur, qui in principio vix poteſt cognoſci, tamen aucto morbo manifeſtior fit, ut plurimum ſine horrore vel ſaltem levi ingruit, præprimis una alterave hora a cibo ſumpto; pulſus fit parvus, creber, velox, & corpus ſenſim macreſcit atque debilitatur: Quia ex ſublato æquilibrio ſolidorum & fluidorum levis inducitur corruptio, quæ ab accedente motu majore vel ſuperatur vel expellitur, adeoque motus vitalis, ab hoc acri inſtigatus, calorem excitat, ſed quia id facile ſubigitur, hic brevi compeſcitur motus & calor. *Ablato æquilibrio.*

X. In ſcorbuticis & cacochymicis ab acrimonia ſtimulante ſub noctem aliquis calor excitatur, utplurimum ſine horrore aut frigore prægreſſis, vel poſt levem non diu durantem horripilationem invadit: eſt etiam alia ſcorbuti & cacochymiæ acrimonia, quæ nunquam calorem excitat, verum horrores & refrigerationes frequentes, ſine ſubſequente calore. *Scorbuto & cacochymia.*

XI. Si pus alicubi in corpore collectum ſit, in abſceſſu, pectore, pulmone, aliiſque partibus, quod corruptum & attenuatum communicatur ſanguini, calorem hecticum inducere ſolet. *Pure.*

XII. Ex antecedentibus patet, omnes cauſas, quæ validiorem attritum humorum ad ſolida exhibent, etiam indicare majorem attritum fieri inter partes ſolidas: ſed quia nullo experimento conſtat, motum liquoris ad latera ſolidorum excitare calorem, nunquam enim a rapidiſſimo fluxu liquoris per canales in ullo experimento hydraulico calor fuit excitatus: adeoque calor attritui partium ſolidarum inter ſe, non vero cum liquoribus transfluentibus, adſcribendus. qui calor excitatur in efferveſcentia & fermentatione, raro vel numquam in noſtro corpore obtinet; putredinis autem veſtigia ſæpe in nobis inveniuntur, forſan in tabe, & febre putrida, ex hac cauſa fit augmentum caloris. hinc liquor aut pinguedo inter partes ſolidas, quæ ſupra ſe moveri debent, locatur, ne conterantur partes, & ita incaleſcerent: adeo ut minuat liquor calorem, non vero augeat. *Cauſa proxima.*

XIII. Calor modicus reſolvit humores, ſolida laxat, ſed major adurens bonum ſanguinem condenſat in phlogiſticam diatheſin, tenuiſſimum exprimit, reliquum compingit; olea & ſalia exaltat, acria facit; ſolida exſiccat, rigida facit; *Effectus.*

reli-

reliqua vero ex aucta circulatione (T. 46.) & combuſtione intelliguntur.

Curatio refrigeratione. XIV. Omnis calor nimius externo refrigerio minuitur, ut fit in admiſſione aeris frigidioris, applicatione aquæ frigidæ, detractione veſtimentorum; verum non ſemper expedit hac methodo refrigerare corpus, in majori enim calore humores magis concretioni proni, & pulſi in vaſcula minora, a ſuperveniente frigore coagulantur, & quia vaſa ſimul conſtringuntur, irreſolubiles obſtructiones inducit frigus: verum in morbis putridis & eryſipelate plus efficit; pars enim eryſipelate tentata eouſque refrigeranda, donec calor naturalis redeat, quod ille humor non coagulatur ab inducto frigore, ut fit in diatheſi phlogiſtica, ſed mitior fit.

Refrigerantibus. XV. Refrigerantia autem, ut eſt nitrum, fructus horæi, ſucci acidi vegetabilium, omniaque antiphlogiſtica, quod ſolvant humores, temperent motum majorem, & laxent ſolida, præſtantiſſima ſunt in eo genere caloris, cui adeſt ſiccitas corporis, pulſus durus, ſanguis denſus.

Motum ſiſtentibus. XVI. In omni calore aucto, corporis & animi quies imperanda, quandoque anodynis cum vehiculo copioſo inducenda.

Laxantibus. XVII. Quoniam humectantibus & diluentibus ſolida laxiora fiunt, & humores facilius tranſeunt, in omni morbo acuto & febribus egregie refrigerantia exhibent, poſſunt forma vaporis, balnei, cataplaſmatis, fotus, clyſmatis, potionis, exhiberi vel applicari; ſimul eligendus vel arte faciendus aer humidus.

Stimuli ſubactione. XVIII. Si acre ſtimulans ſit cauſa caloris, id corrigendum vel educendum (T. 45.) iſtud genus acrimoniæ, quæ ex virium defectu oritur, roborantibus ſuperandum.

Evacuatio. XIX. Qui calor ex majori motu & denſitate excitatur, optime venæ ſectione, & alvi ductione ſine ſtimulo, curatur; minuta enim mole fibræ vaſorum minus tenſæ laxius atterunt: ſimili fere modo diureticis & ſudoriferis ſine ſtimulo minuitur calor, omnis enim evacuatio in tali calore refrigerat.

Quæſtiones. XX. Ex his facilis erit ad ſequentia reſponſio.

1. An urina rubra ſemper indicat majorem calorem corporis?
2. Quomodo ſtragula & veſtimenta frigida corpus calefaciunt?
3. An calor partis ab influxu ſanguinis calidi?
4. Cur pars a compreſſione incaleſcit, & dein rubet & tumet ſublata cauſa comprimente.
5. Cur bonum ſignum, ſi pars paralytica calet?
6. Cur lentor calorem inducit, viſcidum vero frigus, cum in utroque difficilior fieri poteſt tranſitus per vaſa?
7. Cur ex nervo læſo tantus calor in ea parte?
8. An Alcohol ſtimulando vel conſtringendo ſolida calorem excitat?
9. Num globuli graviores, in latera vaſorum validius impingentes, ſuo attritu ad vaſa calorem excitant?
10. Quid calidum innatum?
11. An calor cauſa pellens ſanguinem?
12. Num calor in nobis a fermentatione aut efferveſcentia?
13. An calor ſpiritus congenitus, anima, natura, corporis temperatura in ſemine deliteſcens, poſtea expandens?
14. An omnis calor venæ ſectione temperandus?
15. Quomodo cacochymicorum & ſcorbuticorum calor hecticus roborantibus & calefacientibus curatur?
16. An calor hecticus laxantibus & refrigerantibus emulſionibus temperandus?

TRA-

TRACTATUS QUINQUAGESIMUS.

De motu humorum tardiore & impedito.

I. SI causa pellens humores minus agat, retardatur humorum motus: si vero in via remoram patitur motus, dicitur impeditus. *Definitio.*

II. Quum humores nostri corporis stagnarent omnes, si actione solidorum non pellerentur, causa ergo hujus in solidis quærenda præprimis. *Causæ.*

III. Solida minus agentia sunt 1. in laxitate, inertia, rigiditate; 2. spirituum influentium defectu, parciori copia, & alienata indole; 3. in nimio otio, & somno longiore. *Minori actione solidorum.*

IV. Si humores eadem vi propellantur, magis vero adhærentes sint lateribus vasorum, tardius profluunt, glutinosa enim & viscida, ut eadem velocitate transeant canales, majorem causam pellentem exigunt. *Tenacitate humorum.*

V. Quoniam humores omnes per minutissima oscula arteriarum ire debent, si ergo in humoribus major fiat crassitudo, vel partes sanguinem constituentes fiant majores, retardatur motus, imo quandoque integre sistitur; sed hoc in casu maxime implentur vasa arteriosa, non vero venæ, quia in his sensim amplius fit vas: unde arteria fit dura, & fit validior attritus & calor: verum in visciditate adhæsio lateribus venarum quoque fit, unde arteriæ minus distenduntur, minor fit attritus & calor. *Crassitudine*

VI. Omnes obstructiones, tam a solidis, quam liquoribus transfluentibus, inductæ, intercipiunt motum per istud vas: pars inferior inanitur, perit quoque calor; truncus superior, si ipsum vas motum non abeat, æqualiter cum omnibus distenditur, ut docemur in aqua saliente per multa foramina, foramen unum aut alterum enim clausum non magis urgetur, quam reliqua latera vasis; stagnabit liquor in canaliculo a parte obstructa usque ad principium hujus canaliculi ex trunco communi; tardius movebitur liquor ab origine trunci usque ad aperturam canalis obstructi: in reliqua parte canalis majoris aliquantulum accelleratur motus; verum omnes motus simul sumpti minores erunt post obstructionem factam, quam eo tempore, dum omnes canales erant aperti. *Obstructione.*

VII. Quod ergo ab obstructione fiat frigus & minor motus, id patet ex natura obstructionis, verum quod quandoque motus humorum fiat celerior, & calor partis, id ergo non ab obstructione, sed alia causa, provenire, autumo.

VIII. Motus tardior frigoris sensum inducit internis, in externis ipsa pars frigidior fit; humores corrumpuntur vel in putre alcalinum vel in acidum, viscidi generatio, collectio humorum in lymphaticis & vesiculis, gravitas, laxitas & inertia solidorum, leucophlegmatia, hydrops, pallor, caries ossium, ichor, gangræna, sphacelus; glutinosum spontaneum, polyposæ sanguinis concretiones, atque tandem reliqui effectus, qui ex mutationibus hujusmodi oriri solent. *Effectus.*

IX. Varia insuper fiunt, prout motus interceptus vel retardatus sit per aliquam partem. *Pro naturæ partis.*

Si enim per cerebrum minuatur vel sistatur, fit sopor, apoplexia, coma, phrenitis, paralysis, aut resolutio universalis, animi deliquium:

Per ductum thoracicum, sive quod chylus effundatur eo rupto in cavum thoracis, sive tantum compresso vel obstructo, novus chylus non affertur sanguini, perit homo defectu chyli, & corruptis simul humoribus; fere similia fiunt ex denegata via vasorum lacteorum per glandulas mesenterii.

Per pulmones producit anxietatem, difficilem anhelosam respirationem & suffocationem.

Per hepar, si sit in vena portarum, generat anxietatem præcordiorum, ventris intumescentiam; in ductu vero colidocho, producitur icterus.

Quid facit transitus impeditus per nervum, arteriam & venam, supra demonstravimus.

Curatio. X. Omnes modi, quibus curatur debilitas, (T. 23.) in hoc quoque motu languidiore præſcribi poſſunt. qui ſit ex humorum tenacitate, videatur (T. 40.): ex craſſitudine (T. 43.): ex obſtructione *reſolventia* poſcit, in tertia parte hujus Compendii proponenda.

Quæſtiones. XI. Reſpondetur ex his.

1. An ex impedito motu ſanguinis per cerebrum fiat phrenitis, an vero ab inflammatione & irritatione meningum?

2. Cur tandem phrenitis valida tranſit in lethargum lethalem?

3. Quomodo conſtipantia & emplaſtica impediunt inſenſibilem perſpirationem?

4. Cur imbecillis, pueris, fœminis & ſenibus, tardior motus humorum?

5. Quid ſignificat præcordiorum anxietas in morbis acutis?

6. Quid notat ſopor in pituitoſis?

7. Quid indicat caloris frigoriſque viciſſitudo in menſium ſuppreſſione, & cacochymicis?

8. Unde tanta differentia ſymptomatum ex motu impedito ab humore viſcido, vel diatheſi phlogiſtica?

9. Num motus humorum augeri poſſit obſtructione ſola arteriarum?

10. Cur corruptiones tam variæ humorum in motu languidiore & integra ſtagnatione?

11. Cur tument ſæpe pedes, parteſque pendulæ; qui tamen tumor diſparet ſenſim, ſi pars aliquamdiu elevatior teneatur?

12. Quid indicat tumor frigidus pedum, qui mane non diſparet?

13. Cur reſpiratio laborioſa tam mala in acutis?

14. Num eodem genere medicamentorum aliquis poſſet aut deberet augere motum retardatum?

15. An ſanguis, pulſus per arteriam, poſſit venire uſque ad cauſam obſtruentem in canali obſtructo, quum ſanguine impletus ſit?

16. An ſanguis validius in ramum obſtructum urget, quam in reliqua latera trunci?

TRACTATUS QUINQUAGESIMUS PRIMUS.

De frigore Corporis.

Definitio. I. QUoties hominis corpus, vel ad ſenſum, vel ad thermometrum minus calet, quam corpus ſanum, frigeſcere dicitur, in quo ergo multi ſunt gradus.

Cauſa duplex. II. Duplici modo frigeſcit corpus: 1. Ablata vel minuta cauſa, quæ producebat in nobis viventibus calorem: 2. ingeſtione & applicatione eorum, quæ frigidiora ſunt, inter quæ quoque corporis denudatio numeranda.

Minuto attritu. III. Unicam in nobis agnoſcimus cauſam naturalem, calorem excitantem, nempe attritum partium ſolidarum ſupra ſe invicem; qui vero calor ex fermentatione, putredine, & efferveſcentia oritur, nobis naturalis non eſt; ergo cauſæ, quæ minuunt attritum hunc, frigus producunt.

Cauſæ refrigerantes. IV. Minuitur ille:

1. Laxitate, inertia, & rigiditate ſolidorum.

Debiliori motu. 2. Minori motu & debiliori ſolidorum, ut in imbecillis, hyſtericis, ſcorbuticis, paralyſi, ſenibus, tabidis.

Defectu influxus ſpirituum & ſanguinis. 3. Defectu influxus ſpirituum, præprimis vitalium, in cerebri & cerebelli compreſſione, ſyncope, paralyſi, ſphacelo, infectione peſtilentiali, quandoque & forte in principio tam febris continuæ, quam intermittentis; compreſſione nervi, vel arteriæ alicujus partis.

Tardiori circulatione. 4. Ipſa circulatione tardiore, vel quod cor ſingulis ictibus minorem quantitatem ſanguinis ejiciat, vel tardius pulſet.

5. Hu-

5. Humorum nimia viſciditate, qua latera lambunt, ſolida enervant, ut in multis cacochymicis, pituitoſis, leucophlegmaticis, cruditate humorum laborantibus. *Viſciditate.*

6. Tanto in ſanguine lentore, ut ſanguis nequeat ad extrema pervenire, ſed tunc extrema frigent, dum interna incendio flagrant. *Lentore.*

7. Nimia eductione humorum quorumcunque, qua vaſa ita fiunt inania, ut fibræ vix tenſæ maneant; ad quæ quoque referenda videtur retentio ſanguinis in vena portarum, non potentis tranſire hepar obſtructum; ſed tunc ſimul in præcordiis maxima fit anxietas. *Evacuatione.*

8. Nimia humorum tenuitate, ut fere ſine ulla reſiſtentia fluant per capillares arterias, & inde minus diſtentas retineant arterias, quod acquiritur abuſu aquæ præprimis tepidæ diluentis: fructuum ſaponaceorum; quandoque infectione aeris peſtilentialis. *Tenuitate.*

9. Tandem frequentiori uſu eorum omnium, quæ refrigerantia dicuntur, inter quæ nitrum excellit. *Refrigerantibus.*

V. Aliæ vero cauſæ, quæ actuali frigiditate corpus refrigerant, facile intelliguntur, corpus enim caleſcens e frigidis applicatis vel ingeſtis refrigeratur: quid ulterius in nobis agant, non ita clare patet. *Actu frigidis.*

VI. Actu frigida applicata, ſolida conſtringunt, roborant, motum eorum minuunt, tandem omnino ſuffocant; liquores inſpiſſant, coagulant, ſtagnare faciunt; ſi nimis pars congelaſcit & perit; ſi frigus mitius in corpus robuſtum agat, id magis roborat, alimenta citius ſubiguntur & diſſipantur, cauſamque naturalem calorem producentem juvant, ut ferant ſine incommodo majus frigus. Oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali medullæ, ulceribus, tenui vulneri, præcordiis, veſicæ, inteſtinis, naturalibus, inimicum eſt; ſummam cutem facit aridam duram; ex hoc horrores tremoreſque naſcuntur: ſtomacho vero, articulis, doloribuſque, qui ſunt ſine ulceribus, rubicundis nimis hominibus, juvenibus & omnibus plenis, ſi dolore vacant, prodeſt: in corpore calefacto ſæpe pleuritidem, obſtructioneſque viſcerum, generat frigidæ ingurgitatio. Eryſipelas compeſcit; ſalivationis, ſudoris, menſtruationis tempore, ſiſtit eam cum maximo detrimento evacuationem: inducit convulſiones, tetanos, nigrores & ſimilia. *Effectus.*

VII. Qui ſenſus frigoris 1. ex laxitate & inertia ſolidorum oritur frictionibus, exercitio corporis, ſtimulantibus, roborantibus & exſiccantibus abigendus (T. 6. §. VI.) *Curatio.*

2. Ex motu languidiore ſolidorum (vid. T. 21. §. IV.)

3. Quod frigus ſit ex cerebri compreſſione & nervorum, varia exigit, ipſi tituli potius inſpiciendi.

4. Ex tardiori circulatione (vid. T. 49. §. X.)

5. Ex viſciditate (T. 40. §. VII. & X.)

6. Ex lentore (T. 41. §. XI.)

7. Ex evacuatione ſi fiat ſanguinis, ea ſupprimenda (T. 32. §. XXI. ad XXIV.) quomodo aliæ evacuationes ſiſtuntur, poſtea patebit.

8. Ex humorum tenuitate (T. 44. §. VI.)

9. Ex refrigerantium abuſu non multum mali facere ſolet; ſi uſus refrigerantium omittatur, & ea fiant, quæ in laxitate ſolidorum (T. 6.) & tenuitate humorum (T. 44.) propoſita ſunt, facile ſuperatur.

VIII. Ex his paucis multa patent 1. Cur moderata corporis frigiditas poſt evacuationem aliquam in febre continua bona? *Quæſtiones.*

2. Cur frigus in imbecillis timendum, in robuſtis longitudinem præſagit, ſi febre continua laborant.

3. Cur Lipyria laborantium externa frigent, interna vero videntur comburi, & hoc valde periculoſum?

4. Cur pedes frigidi in morbis velociſſimis parotides indicant; in morbis longioribus, ſi pedes calidi, ad inferna fiunt abſceſſus?

5. Quid indicat, ſi pedes frigeſcant, pulſus ſit exilis, & ſitis non amplius urgeat, in dyſenteria?

6. Cur hyſtericæ frequenter refrigerantur?

7. Cur ſyncoptici tam cito refrigerantur, &, ſi calor non redeat, recidivam expectandam eſſe monet?

8. Quæ ratio, quod, ſi poſſimus in intermittentibus prævenire frigus, ipſam minuamus febrem?

9. An in intermittentibus frigoris tempore calefacientia exhibenda, vel actu calida & diluentia?

10. Cur in intermittentibus in principio quo frigus majus, eo ſubſequens calor magis urget?

11. Cur frigus extremorum in acutis malum?

12. Cur valde malum, quoties quis ex frigore perfrigeratur, nec denuo recaleſcit, in acutis?

13. Cur illi, qui viciſſim refrigerantur & incaleſcunt, in periculo verſantur, & longitudinem ſignificat in acutis?

14. Cur corpus in acutis non calere pro febris ratione, membraque frigida vel tepida nudare, ac ſi incendio conflagrarent, valde malum?

15. Cur perfrigeratio in acutis cum moleſtia vel duritie peſſima?

16. Cur ſtimulantia & calefacientia frigoris tempore in febre intermittente data inſanabilem ſæpe inducunt inflammationem?

17. Cur peſſimum ſignum in acutis, ſi ex perfrigeratione urina ſupprimatur?

18. Cur frigus pectinis in muliere gravida ſignificat fœtum mortuum eſſe?

19. Cur frigus partis paralyticæ difficilem curationem promittit?

20. Cur in forti ventris dolore, partium extremarum frigiditas, malum?

21. Cur frigus in febre continua ſæpe indicat continuam abituram in intermittentem?

22. Num frigus periodicum in febre continuo urgente indicat febrem veram continuam, vel intermittentem continuam factam?

23. Cur frigus cum capitis & viſcerum dolore, vigilia, comate, delirio obſcuro, amentia, oblivio, ſurditate, cœcitate, convulſione, tremore, aphonia, ſingultu, inquietudine, moleſtia, anxietate, difficili reſpiratione, urina pelliculoſa, ſpumoſa, vel intercepta, ſtillis ſanguinis e naribus, dejectione pingui, livida, fœtente, deſudatione in capite, ſputo nigro, livido, fœtido, ſemper malum portendit?

24. Cur perfrigerata non ſunt calefacientia, ſi ſanguinis eruptio expectatur?

25. Unde tam frequens frigus in hæpatitide?

26. Num refrigerantia minuendo motum, vel ſolvendo ſanguinem, refrigerant?

TRACTATUS QUINQUAGESIMUS SECUNDUS.

De Febribus in genere.

I. FEbrem omnium frequentiſſimum morbum, forſan tertiam partem omnium adimplentem, &, uti videtur, omnium minime cognitum, nunc ordo exigit explicare.

Definitio. II. Multitudo cauſarum & ſymptomatum ſummam, in definienda ejus natura, præbuit difficultatem, quæ enim paſſim in uno inveniuntur genere febrium, quibus poſſumus præſentiam febris cognoſcere, in alio autem ne quidem conſpiciuntur. In omnibus vero febribus aliqua obſervatur *ægritudo*, &, niſi febris ſit anomala, incipit cum *horrore* & *frigore*, dein excitatur *calor æſtuans*, cum corporis ſiccitate; demum erumpit *ſudor*, quo febris terminatur; in frigore *pulſus* exilior magiſque obſcurus; in calore plenior, frequentior, durior; in ſudore iterum

remiſ-

remiſſior; donec febre finita in naturalem ordinem redigatur: tota hæc ergo hiſtoria ejus definitionem complectitur.

Varietas.

III. Febres a ſtimulo calido excitatæ ſine præcedenti frigore adoriuntur. Si cauſa ſit vehemens producens frigus, ſæpe, antequam calor erumpit, hominem rapit, ſubactis viribus vitæ a vehementia morbi: raro autem ſine ſubſequente ſudore terminatur, niſi aliam largiorem moliatur evacuationem.

Cauſa proxima.

IV. Ut omnibus in morbis vel notiſſimis, & in ipſo acido & alcali, de quibus multi ita gloriantur, quaſi cauſa febrium multo eſſent manifeſtiora, magiſque cognita, nobis nihil aliud de horum conſtet cauſa proxima, quam quod quædam phænomena ſimul appareant, quæ nobis eorum præſentiam indicant: ita ſane contentum quenquam eſſe oportet in cauſæ proximæ febrium cognitione, ſi modo proferantur talia phænomena, quæ ſemper febris præſentiam indicant: quo enim jure quis urgeret altiorem cauſæ febrium indagationem ſimilibus contentus aliis in rebus? eſt ergo febris cauſa proxima id in noſtro corpore, quod dicta phænomena in definitione data ſuſcitat.

Ægritudo.

V. Sed quia *ægritudo* adeſt ſemper, cauſa ergo febris ita mutat ſpiritus motui animali deſtinatos, ut ſolitum munus peragere nequeant: quare agit in cerebro ad originem omnium nervorum, vel in toto corpore ſimul, vel in quadam parte totum ſyſtema nervorum in conſenſum trahente, vel tandem tantam copiam ſpirituum aliunde derivat, ut inde defectus fiat ad motum animalem, vel quædam horum, vel omnia ſimul, fiunt.

Frigus.

VI. *Frigus* vero in initio, cum pulſu minuto, minorem actionem ſolidarum partium indicat, minoremque vim contrahentem in corde & tunicis arteriarum, adeo ſæpe, ut ungues liveant, ſanguis in extremis ſtagnet.

Calor.

VII. At *Calor æſtuans*, cum pulſu duro & frequenti, majorem motum vitalem arguit: quo fit, ut ex cerebello ſpiritus copioſiores deriventur ad partes. Sed vix concipimus, talem a febre fieri in ſanguine diſpoſitionem, qua copioſius in cerebello ſecernerentur ſpiritus: verum ſi involucra nervorum, fibris motricibus donata, ſtimulentur, aut ſi ipſa latera arteriarum irritentur, alterna harum contractione a ſtimulo & circulatio fit celerior, & calor excitatur in corpore.

Sudor.

VIII. A motu hoc majore peregrinum excitans febrem ſi integre ſubigatur, pellitur ad cutis poros & eliminatur, atque finitur febris ſudore; quandoque per aliam evacuationem, quod minus frequens, remanetque ut plurimum defatigatio quædam, ex majori motu relicta, quæ ſenſim etiam abigitur.

Locus.

IX. Qui ſedulo præcedentia perpendit, facile inducitur, ut credat, peregrinum id, ſeu materiem febrilem, hærere in eo liquore, qui ad illinienda interna *arteriarum latera* eſt deſtinatus, ſtimulans fibras arteriæ & cordis, ut inde major fluxus ſpirituum vitalium in has partes derivetur. Hoc ſingulare habet hæc materia, quod primo, toxici inſtar, compeſcat omnium illarum fibrarum motum, quaſi vires vitæ hoſtem aggredi non auderent; ſed demum inſtigata natura omni conamine hoſtem ſubigere nititur. Sed ſtimulus mechanicus, aliaque multa, majorem protinus motum & calorem provocat. Si in *ſpiritibus vitalibus* ipſis locetur nocivum, certe cerebellum, poſteriorque capitis pars, præ ceteris afficeretur, ubi ſæpe in febribus nihil moleſti percipitur. Neque in *ſpiritibus ſenſibus & motui animali dicatis* hærere poteſt febris materia; hæ enim functiones minus, quam arteriarum & cordis, in febribus læduntur, niſi quod copioſiori derivatione ſpirituum in has fibras motus animales langueant. Neque in *Succo Nervoſo*, inter fibrillas circulante nervorum, quærenda cauſa, indifferenter enim omnes fibras nervoſas, eodem involucro occluſas, afficeret, potius convulſiones & dolores, quam motum febrilem, induceret. Ipſe denique reſtat *ſanguis*, *lymphaque* ex eo derivata, alii non inveniuntur humores, totum corpus permeantes, in quibus febris cauſa poſſet locari: verum qui concipit, ſanguinem nuda non attingere latera arteriarum, mucilagine ita munita, ut ureteres, veſica, & uretra, ad urinæ roſionem, & inteſtina ad fæcium vellicationem, certe fatebitur,

ſan-

ſanguinem ſuo ſtimulo non proritare hunc motum: ſi vero ponantur latera hac mucilagine orbata, quod tunc poſſet ſanguis arterias agitare, prævidet ille facile, ex majori motu non compeſci febrem, ſed augeri, ut denudatio uretræ nunquam curatur transfluente urina, verum exaſperatur.

Febris continua. X. Materia hæc febrilis, æque cognita ex ſuis phænomenis, quam aliorum morborum cauſæ, ſi ita viribus vitæ ſubigatur, & expellatur, ut nihil reſtet, nihilque ex frigore antecedente, vel calore ſequente, mali in corpore ſit natum, unica periodo abſolvitur febris, quæ tunc *continua* vocatur. Utinam ad extinguendum hanc materiem appropriatum inveniretur antidotum. Satius equidem foret propinare, quam ancipitem eventum a viribus vitæ prævalentibus expectare.

Materiæ mutatio. XI. Verumtamen Materies, tota non ſubacta, ſæpe in aliam convertitur naturam, novumque tunc morbum, priori ſæpe diſſimilem, producit.

Vel ſuperata materies, vi vitæ non expulſa, quandoque ad quædam loca deponitur, & facit criſin per metaſtaſin. Si vero non deponatur, ſenſim increſcens novum morbum generat; quandoque eundem recidivare facit.

Febris intermittens. XII. Quum febris materia viribus vitæ fuit ſuperata, ſed talis ſit naturæ, ut ſimul ſemina relinquat certo tempore maturanda, febris intermittentis præbet ideam. Simili quoque modo naturam operari non miramur in planta annua, bienni, perenni & ſimilibus, quarum tota hyeme quædam ſilent, ſed æſtate novo ex ſemine progerminant, priuſquam moriuntur, maturum iterum ferunt ſemen: aliæ vero biennium inſumunt, priuſquam maturum in ſe conficiunt ſemen, & dein extinguuntur. Hæc & ſimilia animadvertimus in plantis, contentique ſumus hæc videre in rebus naturalibus, quæ tamen nolumus admittere in morbis. Qui horum reddere valet Cauſam, illi quoque non difficile erit, cauſam proximam periodorum in intermittentibus invenire.

Febris legitimæ diviſio. XIII. Febres omnes legitimæ duplex conſtituunt genus, 1. febres continuas, & 2. intermittentes: quibus addere licet remittentes ſeu intercurrentes, quarum ſcilicet paroxyſmi incipiunt, prius quam prior deſiit.

Eſſentialis vel ſymptomatica. XIV. In omnibus obſervandum, num ea, quæ ſimul cum febre vexant hominem, ſint febris cauſæ vel ſymptomata. Si enim morbus aliquis, qui multi ſunt, excitat febrem, tunc dicitur, ſymptomatica, ceſſatque tunc febris ablata hac cauſa. quæ vero affectiones ex febre producuntur, febris ſymptomata vocantur; quæ ſæpe tam valida, ut ipſa febris latere videatur, ſed curata febre plerumque evaneſcunt. Ex his varia nomina data ſunt febribus, quæ ſimul in ſymptomatibus citabimus. In genere judicamus, affectionem eſſe febris ſymptoma, ſi prius oriatur febris, dein conſpicitur ſymptoma; vel increſcente febre quoque augetur ſymptoma; vel ſi augeatur ſymptoma eo tempore, quando increſcere ſolebat febris; & denique ex urina lateritia intermittentis febris, ſub alio ſymptomate, puta Lipothymia, hydrope, latentis, præſentiam ſæpe felici cum ſucceſſu detexi-mus, cujus rei multas, ſi opus eſſet, poſſem proferre hiſtorias. Sedulo ergo examinavi in morbis periodicis, ſi minima eſſet febris ſuſpicio, urinam, quotieſcunque emittitur, inveni ſemper in hac vel illa portione urinæ ſedimentum lateritium; adeo ut hoc inter certiſſima criteria febris intermittentis, quæ ſub alio ſymptomate latet, locare non dubitaverim.

Commutatio. XV. Febris continuæ & intermittentis cauſa licet non eadem, tamen commutantur ſæpe in ſe invicem.

Si in continuis rigores quotidie incidunt, ipſarum quoque eſt diuturna diſceſſio. Sæpe in febribus epidemicis primo exoritur febris continua, quæ in intermittentem deſinit. Quæ frigiditas in principio non apparet, ſed poſtea in die critico cum ſignis decretoriis, criſin prænunciat, aut febris mutationem in intermittentem.

Frequentius ex intermittente generatur continua. 1. Si homo calefacientibus inſtigatur. 2. Si venæ ſectione aut purgantibus fuerit debilitatus. 3. Si diuturnitate febris exhauſtæ ſint vires. Fruſtra in hoc genere ex urinæ inſpectione ferri

poteſt

poteſt judicium de inſtanti criſi: contentorum enim copia in hoc magnitudinem morbi indicat, quæ in legitima continua criſin prædicit, hoc prudentiſſimos ſæpe fefellit medicos expectantes criſin. Hoc eſt iſtud febris continuæ genus, quod cortice Peruviano expugnatur, omniaque medicamenta uſitatiſſima febris continuæ reſpuit. Cognoſcimus hanc quoque febrem ex ſignis datis (XIV).

XVI. Effectus febrium ſunt. 1. Qui fiunt ex propria natura materiæ febrilis. 2. Ex variis partibus, quas febris præprimis aggreditur. 3. Qui ex majori & minori circulatione producuntur (T. 46. & T. 50.) atque ex frigore (T. 51.) vel calore, (T. 49.) 4. Pro differentia morborum, qui prius tale corpus occupant. 5. Prout variis ſtipatur ſymptomatibus. *Effectus.*

XVII. E natura febris prædicimus in quartanis autumnalibus longitudinem; in tertianis vernalibus brevitatem; in omnibus continuis periculum, & ſponte ſua ſeptimo, undecimo, vel decimo quarto die, utplurimum deſituram. *Ex natura febris.*

XVIII. Si Cerebrum, pulmo, viſceraque ventris inferioris a febre afficiuntur, majus periculum imminet, quam ſi immunia maneant. *Ex variis partibus.*

XIX. Quæ febris corripit hominem viſciditate laborantem, vel oppletum tali humore, qui vel ſubigi vel expelli poteſt a febre, ipſa febris permittenda, donec malum inveteratum expulſum ſit. Ipſa febris ergo, quod maxime mirum videri poteſt, ſæpe præſidio eſt: Nam & præcordiorum dolores, ſi ſine inflammatione ſunt, finit; & in jecinoris dolores, ſuccurrit; & nervorum diſtentionem, rigoremque, ſi poſtea cœpit; ex toto tollit; & ex difficultate urinæ morbum tenuioris inteſtini ortum, ſi urinam per calorem movet, levat. *Differentia morborum.*

XX. Tam valida quandoque junguntur ſymptomata febribus, ut ipſa febris deliteſcat, quod ſedulo obſervandum in praxi; ſi enim cerebrum opprimatur, ſæpe pulſus, qui frequentior & durior fieri ſolebat, debilis fit & inæqualis: aut ſi hydrops ſuperveniat quartanæ, non amplius febrem animadvertimus, ea vero ſubacta, ut experientia docuit, miraculi inſtar deceſſit hydrops, quam ullis aliis medicamentis depellere non potui. Talia multa citare poſſem, verum quia hoc in curatione facilius poteſt peragi, alia non citabo. *Ex adjunctis ſymptomatibus.*

XXI. Curatio febrium abſolvitur. 1. Extinctione materiæ febrilis, ut fieri ſolet in aliorum morborum cauſis, & venenis ingeſtis, ſubigendis. 2. Expulſione. 3. Directione virium vitæ, ita omnium optime cauſa febris a natura ſuperatur. 4. Correctione humorum. 5. Mitigatione ſymptomatum, quæ in febribus quandoque plus, quam ipſa febris, urgent. 6. Curatione & methodo varia illarum febrium, quæ ex aliis morbis generantur. *Curatio.*

XXII. Quæ medicamenta febris cauſam extinguunt, *Antidota* vocantur. Febris vero continuæ cauſa, quæ non fuit ex intermittente orta, nullo mihi cognito medicamento extingui poteſt, at vero in intermittentibus varia ſumma laude extolluntur. Quid non Riverius in ſuis obſervationibus prædicat de *febrifugo* ſuo ad gr. XX. exhibito, quod alvum movet, & quandoque vomitum, quamvis præparationem alto ſilentio ſupprimat. Quibus encomiis non extollitur *Sal Ammoniacum* & ejus ſpiritus? neque *Gentiana*, neque *Chamæmelum* auctoritate carent. Imo *Alumen* aliaque adſtringentia celebrantur. Omnibus tamen palmam præripit *Cortex kinæ kinæ*. Experientia in his omnibus eſt conſulenda. Si autem quis invenerit tutiſſimum & promptiſſimum, ægrotantium ſaluti conſecrare velit exopto. Ego vero in multis horum, licet omnem cautelam adhibuerim, raro felicem ſucceſſum obtinui, niſi quandoque in ſale ammoniaco: Verumtamen nunquam tanto ſucceſſu, quanto in Cortice Peruviano, hujus ergo uſus paulo altius inquirendus. *Antidotæ.*

XXIII. Multa accepit hic cortex nomina, omnium frequentiſſime Cortex *kinæ kinæ*, vel *Chinæ Chinæ* & *Peruvianus* ex arboris & regionis nomine, item *pulvis patrum*, quia Patres e ſocietate Jeſu Romæ pauperibus gratis eum largiebantur; etiam *pulvis Cardinalis de Lugo*, hic quia primus ex India in Hiſpaniam eum tranſtulit. *Cortex peruvianus.*

XXIV.

Nativitas. XXIV. Creſcit hæc arbor in America Peruviana circa Loxam in montis cacumine, non valde procera eſt, ornatur floribus albis & cœruleis, foliis inſtar prunorum, & ſeminibus quaſi cucurbitæ; neque in his, neque in ejus tranſudante reſina tanta vis febrifuga invenitur, quanta in cortice.

Electio. XXV. Eligendus recens, vegetus, non admodum craſſus, a ramulis deraſus, facile terendus, odore peculiari grato, ſaporeque aromatico, amaro, atque colore cinnamomi, præditus.

XXVI. Inclaruit ejus virtus primo in Regno Peruviano. 1616. brevi poſt iterum ſuppreſſa, at majori ſtudio exculta iterum 1648. multa tamen paſſus eſt dein fata, quæ lites hucuſque nondum compoſitæ ſunt.

Uſus. XXVII. Uſus Corticis primarius eſt in febribus intermittentibus puris, atque ſymptomatibus obſtinatiſſimis, ex febre intermittente productis, atque etiam in febribus continuis, ex cauſa intermittentium natis: extinguit enim febris intermittentis cauſam, ſine ſenſibilis evacuationis augmento, verum omnibus ex phænomenis inſenſibilem perſpirationem augere videtur, qua via forte ſubactam materiem educit, quum aliis in evacuationibus nullum præbeat indicium. Si vero ſimul hæreat cacochylia in primis viis, ea primo purgante vel emetico educenda, ſi plethora urget, venæ ſectione minuenda, ſed tunc ſtatim exhibendus, priuſquam vires detritæ non poſſent in actum ducere medicamentum, quando fruſtra ſæpe præſcribitur, & majori doſi exhibendus, ut obſervatio docuit.

XXVIII. In aliis præterea morbis quandoque, ſed tamen minus certe, multa præſtat, ut in debilitato tono ſolidorum, hyſtericis, hypochondriacis, ventriculi inappetentia; atrophia ex nimia humoris evacuatione; Chloroſi: Leucophlegmatia, hydrope vel podagra enervatis; epilepſia & convulſionibus iſtis, quæ ex inanitione excitantur, hemicrania, aphthis & ſingultu in fine febris, ſi in longum tempus protrahantur, atque omnibus ſymptomatibus a febre intermittente relictis, egregium etiam inter roborantia, ſua leni adſtrictione & amaritudine, meretur nomen.

XXIX. Prudens vero medicus ejus uſum intermittet aliquamdiu, ſi ipſa febris intermittens inveteratum malum expellere poſſit; aut ſi aliquid prius ſit educendum. Quandoque vero coacti ſumus ob vehementiam febris ſtatim exhibere corticem, & dein educere humorem malignum, ſummo cum ſucceſſu; præſtat enim mutare methodum, quam ut, nimis religioſe ſervata Methodo, pereat æger.

Abuſus. XXX. Ejus uſus non modo ſuſpectus, ſed & ſæpe damnandus, in febribus ſymptomaticis, humorum putredine, acrimonia ſcorbutica, pure latente, melancholia bilioſa, cacochymia, bile acri aduſta, inflammatione, eryſipelate, multiſque febribus epidemicis & peſtilentialibus, ab aeris inquinatione, atque in omnibus febribus acutis continuis; febris enim intermittentis cauſam, non vero continuæ, extinguit.

Præparatio corporis. XXXI. Antequam exhibetur, non eſt opus ulla præparatione, niſi in primis viis hæreat cacochymia, quæ educenda eſt; omnes enim evacuationes, aliaque, quæ corpus debilitant, actione hujus febrifugi minuunt: ſi vero alvus nimis laxa ſit, vel vomitus urget, compeſcenda prius, ingreſſum enim corticis in vaſa lactea impediunt.

Exhibendi tempus, & doſis. XXXII. Tempore Apyrexiæ, vel quando ea adeſſe debebat, incipiendus, & continuandus ſingulis vel alternis horis ejus uſus ad ſemidrachmam vel ultra pro doſi, donec redeat paroxyſmus; continuandus finito paroxyſmo, donec cedat febris, quæ quandoque uncias duas vel tres exigit, præprimis ſi corpus fuit debilitatum, vel ſi quartana in continuam erat converſa: verum tertiana quandoque drachmis duabus cedit. Licet unica vice ad unciam ſumatur, nulla inde fuit facta moleſtia, & tamen ſine recidiva curata fuit quartana, ut pluſquam ſemel vidi in ægris, qui ſuo periculo una vice integram quantitatem, partitis vicibus aſſumendam, devoraverant, ex quorum imprudentia didici, non opus eſſe ita timide doſin definire. Verum in aliis morbis (XXVIII.) ſufficit ſi quotidie ad

ſemi-

ſemidrachmam vel drachmam unam aſſumatur. Hoc tempore non eſt opus, æger rigidiſſima inedia vexetur: aut calidiori regimine; imo jugis decubitus in lecto remoratur operationem; ſed commendet modo alimenta facilis digeſtionis. Nihil præterea addendum cortici; niſi aliquod ſymptoma talia exigit. Sæpe addere debemus anodynum, vel adſtringens, quia alvum quandoque laxat: verum purgantis admiſtio ejus minuit vires. Præſcribitur omni forma, pilularum, electuarii, infuſionis, decocti, clyſmatis. Sed ſimplex doſis in ſubſtantia tantum valere ſolet, quantum duplex in infuſione.

XXXIII. Fugata febre nihil moliendum; niſi quod continuet per menſem quotidie aſſumere ſemidrachmam ejuſdem corticis, aut unciam poſt 14 dies, ita enim metus recidivæ evaneſcet. Si purgante vel vomitorio vexetur æger, brevi a febre curatus, ut plurimum febris recidivat. Quia vero curata febre utplurimum nimis augetur appetitus, cavendum eſt, ne æger ſe alimentis repleat, ſed modicam ſervet diætam. Ita tuto & feliciſſime curatur febris, ſine recidivæ periculo. *Quid poſtea agendum.*

XXXIV. Ex dictis facile ſolvuntur multæ difficultates, quæ Cortici objiciuntur. *Quæſtiones.*

1. Num Cortex ea mala producit, curata febre, quæ in intermittentibus diuturnioribus conſpiciuntur, ut eſt ſcorbutus, cachexia, hydrops, rachitis, obſtructio meſenterii & aliorum viſcerum?

2. Num homines non poſſent ultra ſeptennium vivere, qui cortice uſi ſunt?

3. Num vi adſtrictoria retineat materiem in corpore, quia urina lateritia non amplius conſpicitur?

4. Cur vis lenis adſtrictoria in cortice ſuſpecta, cum validior in tormentilla, galanga minore, biſtorta, Cortice cinnanomi, tamariſci, floribus roſarum rubrarum, Balauſtiorum, ab omnibus laudatur?

5. Num Cortex vi incognita depellat febrem in aliquod latibulum, vel eam obſtipat, ut poſtea eo magis ſæviat?

6. Num ejus vis deleteria latet in partibus ejus tenuioribus, ſed in craſſioribus, quæ examinari poſſunt, nihil mali habet?

7. Num relinquat multas fæces in corpore, quia neque ſenſibilem, neque inſenſibilem evacuationem moliatur?

8. An inde culpandus, quod agat occulta qualitate? vel nimis prompte curet febrem? ſitque inventum novum? atque non omnes curet intermittentes? & febres curatæ ſæpe recidivent?

9. Num uſus corticis periculoſus, quia quandoque Rheumatiſmus, ſcorbutus, cæcitas & ſimilia, poſt ejus uſum nata ſunt?

10. Num cortex intermittentem in continuam commutat?

11. An exhibendus immediate ante paroxyſmum?

12. Num permiſcendus purgantibus?

13. An curat vi adſtrictoria? vel ſuis particulis tenujoribus, ſingularem fermentationem ſanguini inducentibus, huic depurationi adaptatam? vel ſua caliditate, frigiditate, ſiccitate, humiditate, ſimplicibus vel compoſitis? vel acidi extinctione? vel vi reſolvente? aut narcotica?

14. An aliquandiu in corpore, ceteroquin ſano, aliqua morbi cauſa, facile quæ ſuperari poteſt, relinquenda?

15. Num methodus medendi doloſa, quæ antidotis perficitur?

16. An tunc demum inſtituenda, ſi febris cauſa corpus debilitaverit?

XXXV. Altera pars curationis (XXI. N. 2.) eductione materiæ frebrilis abſolvitur. Quia vero Organa ſecretoria non indifferenter humores omnes transmittunt, ut demonſtravimus in noſtro tractatu de *Secretione*, hæc curatio non tam prompte perficitur, quam aliquis imprudens judicaret. Evacuationes, quibus medici in febribus utuntur, ſunt *ſanguinis eductio*, *ſudoris expulſio*, *alvi egeſtio* & *vomitus*. Videbimus, quid efficiunt illæ. De inſenſibili perſpiratione pauci cogitant. *Expulſio.*

Sanguinis evacuatio. XXXVI. Non poſſumus accuratius ſcire, quando vena ſecanda eſt, quam ex ſalutari hæmorrhagia. Si ſanguis abundat (T. 32, VI.) impetumque facit ad caput (T. 32, VII.) & ſponte tunc non profluit, arte educendus ſanguis. Item ſi febris eſt vehemens, rubet corpus, plenæque venæ tument, inſtantis delirii vel phrenitidis ſigna adſunt, corpuſque æſtuat, ſive ex natura febris, vel ex calefacientibus exhibitis. Si viſcerum internorum inflammationis ſigna adſunt, vel ægri cum his anxii vel inquieti ſunt, atque obſcure delirant. Quum emiſſus ſanguis in ſuperficie cuticulam phlogiſticam format, repeti poteſt ſanguinis emiſſio, verum ſi ſanguis ſit rutilus, tenuis, ſemel celebranda. Tempus quoque ſanguinis mittendi ex hæmorrhagia (T. 32, XI.) cognoſcimus. Ex quibus & ex practica Obſervatione conſtat, in febris vigore ſanguinem mittendum eſſe.

XXXVII. Si vero febris fiat in debilitatis, aut æger diuturnitate febris langueat, vel oriatur ex intermittente, laboribus nimiis, frequentiori veneris uſu, atque poſt copioſiores evacuationes, ex putredine humorum, venæ ſectio necabit hominem. Etiam in febribus malignis, peſtilentialibus; in intermittentibus non ſine diſcrimine ſanguis mittitur, quartanariis enim tantum obſtat V. S. ut juvenes, qui a morbo alias intra ſex menſes fuiſſent liberati, per ſex alios detineantur, multo adhuc pejus in provectioribus ætate, hi, ubi primum cœperint convaleſcere, ſæpe in maniam incidunt. In febribus vero Eryſipelatoſis non plus quam ſemel ſecanda vena.

Quæſtiones. XXXVIII. Quid ergo ſentiendum de Celſi ſententia? quod ſi vehemens febris urget, in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere hominem jugulare eſt, expectanda ergo intermiſſio eſt: ſi non decedit, cum creſcere deſiit: ſi neque remiſſio ſperatur, tunc quoque, quamvis pejor, ſola tamen occaſio non omittenda eſt.

An ſanguinis miſſio non juvat ex parva plaga, quod pars tenuior tantum educatur?

Sudorifera. XXXIX. *Sudorifera*, quæ in febribus præſcribuntur, duplicia ſunt. 1. Quæ laxando ſolida, & diluendo atque reſolvendo humores, cum ſubſequenti refrigeratione, ſudores copioſiores proliciunt; hæc ſemper in omni febre ardente, morbo acuto; & in vigore morbi acuti, exhibenda & applicanda. 2. Quæ autem ſtimulandi & calefaciendi vi agunt, ſi adſit capitis dolor, urina rubra, ſecretiones ſuppreſſæ cum impetu ſanguinis ad caput, pulmones, vel alia viſcera, pulſuque duro, frequenti, & æſtu totius corporis, tam in frigore quam calore febris, multa mala inferunt. Raro ante ſeptimum diem, & non niſi in iis febribus, quæ ſudore finiri ſolent, aut quarum noxius humor hoc tempore, vel & ſerius, per cutem eſt evacuandus, exhibenda. In intermittentibus vero benignis data, antequam ingruit frigus, felicem curationem dedere.

Purgantia. XL. *Purgantia* vel per os exhibentur, vel per anum immittuntur. Neutrum horum aufert febris legitimæ cauſam, ſed commotione ſua, & eductione humoris probi, debilitant hominem, adeo ut in principio acutorum intendant morbum, & intermittentes longiores efficiant: ſi nimis frequenter propinantur, ut plurimum hydropem inducunt: in fine acutorum infideles præbent inducias, brevi enim poſt nova accendetur febris: & ſtatim a curata Intermittente, ſive ſponte ſua, ſive corticis vi deceſſerit, propinatum vel injectum purgans recidivam vocat. Quare diu poſt finitam febrem exhibendum, ſi indicatur. Verum tamen in febribus ſymptomaticis, ex congeſta cacochylia vel bile in primis viis, mobili prius reddita materia, & in ea ſpecie febris, quam Lipyriam vel Tritœophuam vocant, quæ cholera ſuperveniente ſponte ceſſare ſolet, non ſine periculo purgans omitti poteſt: ut & omnibus in febribus, quæ ex nimia ingurgitatione naſci ſolent. *Clyſmata* præterea ob aliam quoque virtutem injiciuntur; hæc, ſi *refrigerantia* ſunt, in æſtu febrili temperando multa præſtant egregia, minus enim debilitant, quam ſanguinis miſſio; verum ſi langueat homo, vel ex ætate vel morbo ſit debilis, nocent omnino: imo clyſma mitiſſimum, poſt intermittentem injectum, recidivare fecit febrem.

XLI.

XLI. An vero quartana, Methodo Timæana, dato ſcilicet ante ſingulos paroxyſmos purgante curanda? *Quæſtiones.*

Num omni febris tempore tuto dari poſſunt purgantia?

Cur febris legitima purgantibus non auſcultat?

Cur febres cum præcordiorum gravitate & anxietate ſæpe purgantibus curantur?

Cur hydrops ex febre natus non cedit purgantibus?

An nullæ febres purgantibus curandæ?

XLII. *Vomitoria* contenta ſtomacho, & ea, quæ ex ductu colidocho atque pancreatico in ventriculum confluere poſſunt, educunt, reliqua, quæ agunt, violenta concuſſione efficiunt. Inde febres, ex corrupta materia in his locis natæ, ſæpe feliciter tolluntur, atque futura diarrhœa in febribus bilioſis prævenitur: cognoſcimus præſentiam materiæ ex antecedenti ingurgitatione, oris amaritudine, nauſea, conatu vomendi, affluxu copioſiori ſalivæ in os, vertigine, oppletione præcordiorum, & ſimilibus. Verum cave ab his, ſi vitium hæreat in ventriculi lateribus, ſit inflammatio vel eryſipelas, necabis enim hominem. Hac vehementi concuſſione quandoque ſublata fuit febris intermittens dato emetico, quod operationem abſolvit, priuſquam paroxyſmus invadebat. Finita operatione ſemper propinandum narcoticum; uſus tempore potus copioſus blandus diluens ingerendus. *Vomitus.*

XLIII. Quæ febres curantur emetico? *Quæſtiones.*

Cur continua febris intenditur a vomitorio, alia vero curatur?

Num febris legitimæ cauſam eradicat vomitorium?

An febris vehementi Medicina, ut eſt vomitorium, expugnanda, quum tutiora & mitiſſima cognita ſint?

XLIV. Veteres fere omnes hac (XXI. N. 3.) uſi ſunt methodo in febrium curatione: Si enim videbant languere nimis vires, eas inſtigarunt cardiacis, volatilibus, aromaticis, vinoſis, ſtimulantibus, calefacientibus, alexipharmacis: verum ſi vires vitæ nimis intenderentur, ut inde fieret periculum, ne ipſum corpus deſtrueretur, ut coctio turbaretur, temperabant hunc effrenum motum venæ ſectione, purgantibus, clyſmatibus, refrigerantibus, antiphlogiſticis, nitroſis, aceſcentibus, anodynis, donec moderatum obtinerent motum, quo acquiſito naturam ſibi committebant. Valet equidem in continuis, & iis, quibus nulla ſunt nota antidota, vel quando exitus inſtat, febriſque inveteratum malum expellere debet. *Moderamen virium.*

XLV. Alii vero omnem curationem locant in correctione humoris (XXI. N. 4.) huc ingentem conferunt farraginem medicamentorum, ſtomachicorum, amarorum, ſalium alcalinorum, reſolventium, attenuantium, temperantium, præcipitantium: Sed tot occurrunt tricæ in his febrifugis, & infidæ obſervationes, ut vix quidquam certi de his dici poſſit. *Correctione humorum.*

XLVI. Mitigatio autem ſymptomatum (XXI. N. 5.) ſæpe magni momenti, quum ipſa ſæpe febre periculoſiora, præcipua eorum delibabimus. *Mitigatio ſymptomatum.*

XLVII. Si Nauſea vexatur æger, cibique faſtidio, & vomitu, *Aſodes* febris dicitur: graviter ferunt morbum, jactantur & inquieti ſunt, adeſt conatus vomendi, ſingultiunt, & vertigine laborant, voce quandoque deſtituti cum conniventibus oculis jacent, horrent atque tremunt: oriuntur hæc 1. a materia bilioſa, putrida, corrupta, quæ ſi ſponte ſua vel emetico dato non educatur, etiam in febris principio, ad inteſtina delata Dyſenteriam excitare ſolet; finito autem vomitu, ſtatim paregoricum exhibendum, quod motum inordinatum compeſcit. 2. Solus motus inordinatus a febre, tam intermittente, quam continua, nauſeam & conatum vomendi ſi inducat, ut nulla medicamenta retineri queant, compeſcenda anodynis. 3. Si vero putredinis ſigna adſint, anodynis addi debent acida ſaponacea, ut ea, quæ in putredine (T. 37.) indicata ſunt. 4. Verumtamen ſi ex inflammatione vel eryſipelate ventriculi, vel aliorum viſcerum, ex conſenſu æger nauſeat, vel vomit, quando *Typhos* vocatur, adeſt tunc ſingultus, tenſio & dolor præcordiorum, calor, jactatio, manuum tremor, anxietas, ſudor *1. Nauſea & vomitus.*

copioſus. Vomitorium tunc datum crabrones irritat, & ægrum in ſummum periculum conjicit, verum diluentibus, nitroſis, aceſcentibus; antiphlogiſticis, & ipſa ſanguinis miſſione, compeſci debet.

2. Marcor. XLVIII. Perpetua ægritudo & imbecillitas, juncta calori & ſiccitati corporis, quibus homo ſenſim macreſcit, ſi ille calor ſit mitis, aliquantulum moleſtus, una alterave hora a cibo ſumpto ſenſibilior, in volis manuum, plantis pedum, & malis, &, ut referunt auctores, ad arterias, præprimis ſenſibilis, alimentis vero ſubactis, ad ſolitum gradum redeuns, *febris* dicitur *Hectica*.

Tres gradus. XLIX. In tres ſolet dividi gradus. Primus in definitione continetur, calor tunc vix perceptibilis, pulſus minor, velocior, crebrior, niſi quod a cibo ſumpto aliquantulo plenior fiat & fortior, urina ſana, unde difficile cognoſcitur, at facile curatur.

In ſecundo gradu calor acrior & mordacior, ſiccitas & extenuatio major, pulſus debilior, urinæ innatat pellicula aranearum telæ ſimilis.

In tertio autem hæc omnia augentur, facies fit Hippocratica, (nempe oculi concavi, in foveis veluti reconditi, oſſa genæ utriuſque intumeſcunt, limbus orbitæ oculi eminentior videtur, circa oculos ſordes colliguntur, faciei color vividus perit, cadaveroſus, plumbeus, niger fit; cutis frontis arida & circumtenta; lenta, dura, non rugoſa, ut in ſenibus, palpebræ contractæ videntur, earum motus languidus, ut in ſomnolentis, & tremens, nares acutæ, tempora collapſa, aures frigidæ & contractæ) reliquum corpus ſceleton repræſentat pelle tectum, viſcera ventris inferioris deliteſcunt, & veluti ſurſum ſub diaphragmate abſconduntur; raro tunc curationem admittit, vocatur tunc *febris maraſmodes*.

Sanguis. L. Sanguis extractus rutilans eſt & difficulter coagulabilis.

Symptomata. LI. Inſomnes ſunt & iracundi, quandoque dolore, præprimis pectoris, afficiuntur, appetitus ſæpe proſternitur, & licet alimenta aſſumant, inde non nutriuntur, cibi faſtidio vexantur; infantes ex ipſis nati ſæpe rachitide laborant, noctu ſtragulis tecti ſudoribus diffluunt, alvus tandem ipſis liqueſcit, unde pereunt.

LII. Sæpe jungitur febri intermittenti, quod ex recidivantibus paroxyſmis cognoſcitur, & continuis putridis, quod ex calore majore adurente petendum.

Cauſæ. LIII. Triplici modo generantur. 1. ſponte ſua poſt inediam rigidiſſimam, ab aere calido & ſicco, labore graviore, animi pathemate diuturno, triſtitia videlicet & mærore, vigiliis protractis, ſtudio perpetuo, nimia venere, ebrietate, alimentis pravi ſucci: intra 16 & 36 annum ætatis, temperamenti calidi viros magis quam fœminas adoritur: medicamentis humidantibus, refrigerantibus modice, & cardiacis curatur.

Defectu tenuis. LIV. Vel ex aliis 2. proveniunt morbis, qui corpus exhauriunt, ut fluore albo, gonorrhæa, menſium profluvio, diabete, diarrhœa, dyſenteria, ſalivatione, ſudore colliquativo, aliiſque evacuationibus copioſioribus; corpus tunc reſtaurandum alimentis facilis digeſtionis, ſuppreſſis evacuationibus, atque vires cardiacis gratis erigendæ; ſi ex inertia ſolidorum, vires vitales leni ſtimulo ſuſcitandæ.

Vitio morbi relicto. LV. Aut 3. vitio relicto ex febre intermittente, continua, maxime hemitritæo, variolis, morbillis, febre ſcarlatina, inflammationibus diuturnioribus internis, febribus putridis, & ephemera protracta non bene ſanata, hujus curatio in debilitate tradita eſt. (T. 123) Si vero pus miſceatur ſanguini ex abſceſſu, vomica, ulcere interno quodam, præprimis pulmonum, aut aliis ulceribus externis & fiſtulis, produxerit febrem hecticam, medicamentis antipuicis curanda.

Cauſa proxima. LVI. Qui contemplatur cauſas antecedentes, & ſigna atque ſymptomata, facile videt, hanc febrem habere fomitem perpetuum humoris maligni, qui admiſtione novi Chyli accenditur, adeoque putrefacti, conſiſtentiæ tenuis, qui vel inviſibili vel viſibili ſpecie ex corpore exhalat.

Curatio. LVII. Quæ ſponte ſua venit a cauſis evidentibus, (nam ab aliis morbis ſi fiat, tunc curationes inde petendæ,) exigit hujus humoris acris correctionem, mitigationem, incraſſationem, caloris temperationem, & defectus nutritionis ſuppleſ-

plementum, præter cetera limaces, jura cochlearum, carnes ranarum, laudantur; aer frigidior, humidior & perflatus eligendus, & frigidæ aquæ fontanæ potatio, evacuantia omnia & v. ſ. evitanda, vinum aqua temperatum bibendum, otio vivant cum ſomno aliquantulo longiore, tandem diæta lactea, ſi curatio obtineri nequeat, ſuſtentandi, qua etiam diæta multi curati ſunt.

LVIII. Ut valida affectio fibrarum nervoſarum, quæ ſenſibus dicatæ ſunt, dolorem (T. 17, II); ita affectæ fibræ nervoſæ motui vitali deſtinatæ (T. 17, III) *anxietatem* inferunt, magis inde quam dolor timendam; in febribus hæc præprimis circa præcordia & in pectore obſervantur, quod ſanguis collectus in vena portarum, & arteria pulmonali, diſtendendo vaſorum nervos vitales, eorum fere perfluxum intercipiat; hanc moleſtiam tunc ægri amoliri nituntur motu animali, ſeſe jactant, & inquieti ſunt, alium locum quærentes, ſi tunc ſuccedat evacuatio, liberantur, alias ſæpe occidit integre ſuffocato hoc motu. 3. *Anxietas.*

LIX. Nemo non intelligit ex dictis ſequentia. *Quæſtiones.*

1. Cur multa corporis jactatio & inquietudo in febre acuta, mala?

2. Cur anxii in die judicatorio, ſi ſine ſudore perfrigerantur male habent?

3. Cur in acutis, ceſſante dolore alicujus partis ignobilioris, ſi anxii fiunt, malum?

4. Cur in morbis, qui criſin ad cutem facerent, ſolet anxietas præcedere?

5. Cur in anxiis vigilantibus, vel ſoporoſis, maxime fiunt abſceſſus circa aures?

6. Cur ex præcordiorum anxietate in debilibus parotides parvæ fere ſemper occidunt?

7. Cur Rigor anxioſis ſuperveniens, ac ab ipſo ſi copioſiorem ſudorem fundunt, aut vomunt, aut alvo multa dejiciunt, aut ſanguis copioſus fluit cum levamine, bonus?

8. Cur anxii, laſſitudine preſſi, lumbis dolentes, in alvi profluvium incidunt?

9. Cur illi, qui ex pervigiliis anxietate derepente capiuntur, in hæmorrhagiam incidunt?

10. Cur anxie ſe jactantes, citra vomitum exacerbantes, male habent?

LX. In anxietatis curatione, quæ in febribus fit, attendendum ad cauſas. 1. Quia frequentiſſime ab accumulatione ſanguinis, & quia levari ſolet hæmorrhagiis, adeoque tunc ſanguis mittendus. 2. Si vero ex collectione pravorum humorum in primis viis, quam cognoſcimus e propriis ſignis, ſæpe unico vomitorio vel purgante tollitur. 3. Si febris intermittens ſuam tragœdiam agat circa viſcera, & anxietatem inducat, quam primum febris ſuo antidoto tollenda, priuſquam nimis deſtruxerit partem. 4. Si vero inflammatio viſcerum induxerit anxietatem, generalis Inflammationis curatio eſt adhibenda: quando pars in ſphacelum fuerit converſa, nulla reſtat medela. 5. Ex materiæ metaſtaſi nata, revocatione ad priorem locum, & calefacientibus abſolvitur, quæ autem anxietates ex aliis proveniunt morbis, ſæpe huic oppoſitam exigunt curationem. *Curatio.*

LXI. Multa alia ſymptomata in febribus oriuntur, ex quibus etiam acquirunt nomen: ut Calor ſeu æſtus ingens, quando *Cauſus*, *Cauſodes* & *ardens febris* vocatur (T. 49.) aut frigus ſeu algor vehementior & diuturnior, quam *Chymodem* appellant, vexat ægrum (T. 51). Si vero calor magis mitis videatur, *epiala*, alias *lipyria*, ſi externa frigent, interna calent; ſi frequentius horrent (T. 29) *phricodes*, ex abundantiori ſudoris fluxu *Elodes*, *hydronoſus*, *ſudor anglicus* & *colliquativa* febris, atque ex alvi fluxu cum dolore, *febris dyſenterica*; denique ex maculis purpureis vel lividis in cute apparentibus *petechialis* vocatur. Plura poſſent excogitari nomina, ſi ex urgente ſymptomate luberet apponere nomen ſine neceſſitate. Febres vero varioloſæ, morbilloſæ, ſcarlatinæ & miliares, ſpeciali titulo deſcribi ſolent, ob ſingularem curationem, ego vero has febres ad morbos cutaneos referri debere exiſtimo, quod primaria earum phænomena in cute conſpiciuntur. 4. *Varia Symptomata.*

LXII. Aliud genus invenitur ſymptomatum, quod in fine febris, vel ea ſubacta, 5. *Symptoma-*

ta remanentia.

bacta, tandem apparet, Medico ſæpe magnum faceſſens negotium.

1. Frequentiſſime poſt intermittentes relinquitur *hydrops*, qui non auſcultat ullis purgantibus, ſed roborantibus curatur, & ſi exiguum reſtet febris intermittentis veſtigium, ſine viſcerum obſtructione dura, Cortici cedere ſolet, ut in multis vidi, extincta cauſa febris,

2. Alias dum convaleſcere ſe putant ægri ex diuturna febre intermittente, maxime ſi V. S. purgante vel aliis evacuationibus copioſioribus fuerint debilitati, in quandam *maniam* incidunt, reſpuentem omnes evacuationes: verum roborantibus, Cardiacis, admiſto cortice peruviano, brevi curatur.

3. Aphthæ & ſingultus, vel ptyaliſmus, quem alias aphthas ſalivoſas vocant, aut ſudor nocturnus copioſus, ſi non ſponte faceſſant, facile quoque fugantur antidoto roborantibus quibuſdam miſto.

4. Verum ſi reſtet humorum viſciditas, ea non auſcultat antidoto, ſed generalem viſciditatis curationem exigit, hoc quoque obtinet in ſcorbuto, niſi quod evacuantia evitanda ſint.

LXIII. Tandem variat curatio (XXIN.6) in febribus non eſſentialibus, quæ fere in omnibus morbis obſervantur, adverſus quas præcedens methodus vix quidquam valet; ſed ipſius morbi, vel cauſæ, ratio habenda: hinc mira facies febrium Endemicarum, epidemicarum, peſtilentialium: alia etiam curatio in inflammatoria, Eryſipelatoſa, putrida, ſuppuratoria, cacochymica, ſcorbutica & ſimilibus, non niſi cognitione earum cauſarum haurienda.

Quæſtiones.

LXIV. Ex cognitis his ſequentia reſolvi poſſunt.

1. Cur omnes febres non incipiunt cum frigore?

2. Cur frigus diu durans magnum periculum portendit?

3. Cur in frigore ex intermittente præprimis moriuntur ægri?

4. Cur febres cum magno frigore, ſæpe polypoſas concretiones, & ſcirrhos glandularum generant?

5. An Calor febrilis a fermentatione vel efferveſcentia materiæ febrilis cum ſanguine?

6. An ipſa cauſa febris inducit calorem, an vero a motu vitali irritato.

7. An febris cauſa in ſucco pancreatico locanda, vel in ejus glandulis?

8. An hæret cauſa in ſanguine, quæ, dum eſt in arteriis, obſtruendo facit febrem, ſed libere euns per venas inducias dat?

9. An febris calor ex obſtructione capillarium arteriarum?

10. Num impoſſibile inventum iri antidotum contra continuam febrem?

11. Quomodo fiunt febrium continuarum recidivæ?

12. Quæ differentia inter recidivam & periodum intermittentis.

13. Num cardo curationis febrium in ſudoribus proliciendis conſiſtit?

14. Cur ſudorifera data in frigore febrili intendunt febrem?

15. Cur in conſtitutione epidemica quædam febres cortice curantur, aliæ vero exacerbantur.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

MEDI-

MEDICINÆ COMPENDIUM

PARS SECUNDA

THERAPEUTICAM

EXHIBENS.

MEDICINÆ COMPENDIUM

PARS SECUNDA

THERAPEUTICAM.

EXHIBENS.

PRÆFATIO.

ALteram hujus Compendii partem, quia imprimis morborum curationes complectitur, Therapeuticam vocavi. Hanc ſolent Medici ultimo pertractare loco, quæ etiam mea fuit ſententia: at in pervolvendis particularibus morbis, toties inveniens citatas curationes generales, ut ſine præcognitione earum, vix poſſimus morborum particularium curationes aſſequi, ſententiam mutavi, & hanc partem Medicinæ præmittendam eſſe cenſui. Sed, ut Morbus, ita Therapeutica generalis eſt & particularis; generalia ſola, niſi quod quædam particularia, quæ ex iis facile potuere deduci, eodem titulo complexus ſum. Specialiora vero Therapeutica, quæ ex morbis particularibus, vel ex corporis parte deſcendunt; poſt horum morborum deſcriptionem tradenda eſſe exiſtimavi: hi autem ob multitudinem vix patiuntur in compendium redigi, quod inſtitutionibus eſt deſtinatum; quam ob rem partem hanc eſſe Compendii ultimam conſtitui. Morbos vero & Therapeutica particularia, ſi DEUS largiatur vitam & otium, ampliori deſcriptione perſequar, ut ſtudioſis æque, quam aliis Medicis, inſervire poſſit noſtra pertractatio.

Uſum atque præſtantiam Therapeutices in arte Medica intellexi anno undecimo hujus ſeculi, cum audiebam in Lectione Publica Clariſſimum & Celeberrimum Virum, H. BOERHAAVE, de hac re verba facientem: longa dein ſerie annorum dicti veritatem in quotidiana praxi expertus. Uſu itaque multiplici inſtigatus, atque Inſtitutionibus hujus Viri, in Arte Medica Celeberrimi, adjutus, nonnulla tentavi ad commodiorem & certiorem curationem comparandam adjicere, quæ vel inter legendum, vel inter exercitationes practicas occurrebant; neque pœnituit facti, magnam enim mi-

hi in curandis ægris præbuit utilitatem, multa talia, brevi tempore, pervolvere poſſe. Nunc vero publice docendi munere mihi incumbente, nihil eſſe utilius, nihilque majus a me exigi ratus, quam ut ea, quæ olim experiebar in Praxi Medica magni momenti & uſus, revelarem. Sed ut captui auditorum, quæ ſparſim collegeram, magis eſſent adaptata, cuncta in ordinem talem redegi, qui mihi viſus eſt Scientiæ Medicæ maxime accommodatus.

Rerum multitudo, ne Compendii excederet limites, ſtilo conciſo tradenda, fecit ſenſum ubique non eſſe ſatis perſpicuum, quod tamen evitare non potui: neque Quæſtionum reſolutiones adjectas invenies L. B. hoc brevitati & inſtitutionibus tradendis conducere ratus, ut in his examinandis ſtudioſorum exerceatur ingenium, qui cæteroquin in expoſita reſolutione conquieſcunt.

Copioſiſſimum adjeci Indicem, ut collecta haberentur, quæ ſparſim de morbis & curationibus particularibus in utraque parte Compendii ſunt tradita. Ne eadem res variis nominibus inſignita diſtraheretur, cuncta de eadem re in unum detuli nomen: imo interdum multas res, non multum diſtantes, eodem nomine complexus ſum. Ut autem intelligat L. B. ubi res propoſita ſit quærenda, nominibus ſingulis, quæ loca in Compendio non exhibent, alia adjeci nomina, ubi de ea re agitur. V. G. Si quis quærit *Lipothymiam*, *Triſtitiam* vel ſimilia, ea reperiet in ANIMUS: itidem cupiens ſcire ubi agatur de *Cuticula Phlogiſtica*, ex nomine invento deteget INFLAMMATORIAM DISPOSITIONEM eſſe inſpiciendam, cum reperiet in eo titulo *Cuticula Phlogiſtica:* atque in medicamentis *Aromata* invenientur ad CALEFACIENTIA. Malui Tractatum & Paragraphum, quam paginas, in Indice citare, ut diſtinctius indicaretur locus, & ſtudioſi quoque minori labore poſſent invenire, ſiquid ad hunc vel illum locum notaſſent.

Co-

Cognitione autem Morborum & Therapeutices junior inſtructus Medicus, mederi tamen morbis non ſufficit, medicamentis enim curatio eſt abſolvenda, quorum igitur virtutes in Catalogo ſimplicium & in ſingulis collectæ ab eo ſunt addiſcendæ. Utramque partem ſedulo agitatam fuiſſe a multis non ignoro, a nemine tamen tali ordine, qualem ſervavi in Compendio. Auctor itaque fui, ut Filius meus tale concinnaret opus, quod inſtitutionibus noſtris eſſet accommodatum, & ſimplicium medicamentorum vires tam ad ſingula, quam in Catalogo exhiberet: opus iſtud perfecit, & propediem lucem videbit, ut ſuppleatur id, quod in Compendio deficit.

SERIES TRACTATUUM.

TRACT. LIII. *De Morbis.*	Pag.	153
LIV. *De Curatione.*		161
LV. *De Medicamentis.*		162
LVI. *De Formulis Medicamentorum.*		163
LVII. *De Adſtringentibus.*		173
LVIII. *De Roborantibus.*		175
LIX. *De Laxantibus.*		176
LX. *De Indurantibus.*		177
LXI. *De Emollientibus.*		178
LXII. *De Humectantibus.*		179
LXIII. *De Siccantibus.*		180
LXIV. *De Corrodentibus.*		181
LXV. *De Conſolidantibus.*		182
LXVI. *De Obvolventibus.*		184
LXVII. *De Evacuantibus.*		185
LXVIII. *De Abſorbentibus.*		187
LXIX. *De Diſcutientibus.*		189
LXX. *De Evacuationem Siſtentibus.*		*id.*
LXXI *De Nutrientibus.*		192
LXXII. *De Condientibus.*		193
LXXIII. *De Corrigentibus.*		194
LXXIV. *De Obtundentibus.*		195
LXXV. *De Præparantibus.*		*id.*
LXXVI. *De Pus moventibus.*		196
LXXVII. *De Incraſſantibus.*		197
LXXVIII. *De Diluentibus.*		200
LXXIX. *De Reſolventibus.*		201
LXXX. *De Lenientibus.*		205
LXXXI. *De Abſtergentibus.*		206
LXXXII. *De Aperientibus.*		209
LXXXIII. *De Moventibus.*		211
LXXXIV. *De Stimulantibus.*		217
LXXXV. *De Calefacientibus.*		220
LXXXVI. *De Motum minuentibus.*		222
LXXXVII. *De Frigefacientibus.*		224
LXXXVIII. *De Salivantibus & Apophlegmatizantibus.*		225
LXXXIX. *De Vomitoriis & Vomitu.*		229
XC. *De Alvi Ductione & fluxu.*		238
XCI. *De Urinam ducentibus.*		259
XCII. *De Perſpirabile ducentibus.*		264
XCIII. *De Sudoriferis.*		266

MEDI-

MEDICINÆ COMPENDIUM.

PARS SECUNDA

TRACTATUS QUINQUAGESIMUS TERTIUS.

De Morbis.

I. QUoties in homine Corporis & Animæ functiones omnes peragi nequeunt cum tanta *conſtantia*, *vigore* & ſine *moleſtia*, ut in ſano fieri conſuevit: vel 2. *mala organi configuratio* habetur: vel 3. quoties quædam intus ſunt *aliena*, etiamſi nullis indiciis ſenſibilibus in functionibus læſis detegi queant; talis ſtatus *Morbus*, νόσος, νόσημα, ab aliis *Paſſio*, πάθος, quandoque *Ægritudo* & *Ægrimonia* vocatur: & homo, quem occupat, *Æger* ſeu *Ægrotus*. *Definitio.*

II. Ad duo ſumma genera Morborum differentiæ referri poſſunt: 1. quæ in uno duntaxat Morbo obſervantur, nulla facta comparatione ad reliquos; 2. quæ Morbos multos a ſe invicem diſtinguunt. *Diviſio generalis.*

III. In Morbo unico, 1. occurrunt mutationis tempora; 2. alia quædam accidentalia, ut *recidiva*, *paroxyſmus*, *mutatio* & ſimilia. *Unius morbi.*

IV. Etiamſi Medici ſoleant quatuor duntaxat in Morbis tempora obſervare, ego autem magis conducere curationi exiſtimo, ſeptem diverſa diſtinguere tempora: 1. Quod præcedit Morbum, eumque *futurum* eſſe indicat; 2. *Principium* ipſius morbi; 3. *Augmentum*; 4. *Statum*; 5. *Decrementum*; 6. *Finem*; 7. Quod continet ea, quæ *poſt morbum* obſervantur. *Morbi tempora.*

V. Dum aliquem in homine exſpectamus Morbum, is vel aggredi poteſt hominem ſanum, vel jam alio morbo laborantem. *Morbus futurus.*

VI. In ſano homine duplici modo oriuntur morbi: 1. ſine ulla antecedenti cauſa prædiſponente, ut vulnus, combuſtio, fractura & ſimilia, qui ergo prædici nequeunt; 2. ex duobus cauſis combinatis. Altera *Prædiſponente*, quæ etiam *Antecedens*, προηγουμένη, *Præincipiens*, *Occaſio* vocatur; hæc ſola morbum non in- *In ſano.*

ducit,

ducit, eſtque ſæpe in corpore ſine ullo ſigno, ita ex *ſexu* & *ætate*, *corporiſque figura* externa, atque *vitæ genere* prædicuntur multi Morbi. Altera vero *Excitante*, Medicis προκαταρκτικὴ; hæc etiam non excitat Morbum, niſi prædiſponens ſit in corpore: hinc non omnes peſte, variolis, pleuritide afficiuntur, licet aer miaſmatis venenatis inquinatus ſit. Quandoque 3. ſanitas in quibuſdam mutata, ut, dum caleat, vel laboraverit, hominem ad certum morbum diſponat: inde robuſti in *pleuritidem*, juvenes in *hæmoptoen* proni.

VII. Horum omnium gnarus Morbum *prænoſcere* poteſt & *prædicere*, qui actus *præſagium*, *prædictio* & πρόγνωσις vocatur.

VIII. Quæ vere Medicina prævertit hunc inſtantem Morbum, *præſervatoria* dicitur (T. LIV. 4.)

In morbo. IX. Si homo quodam laborat Morbo, is 1. ex genio ſuo ſpeciali quaſdam ſubit mutationes, quæ diu & ſedulo a Medico obſervatæ, eum docent certam πρόγνωσιν proferre: quum Morbus, antequam aliam induit indolem, quædam phænomena ſenſibilia producere ſoleat. Hoc autem magis in acutis quam chronicis veteres perſcrutati ſunt Medici, forſan quia mutationes in acutis ſenſibiliores. In utriſque autem certiſſimas eſſe & immutabiles, niſi ob aliquam cauſam naturalis turbetur ordo, reliquarum rerum conſtans viciſſitudo, & Morborum conſtantia a vetuſtiſſimis etiam temporibus obſervata, evincit: turpiter hæc a multis Medicis, vel ex negligentia, vel inſcitia, neglecta. 2. Nonnulli Morbi ita diſponunt corpus, ut altero Morbo facilius corripiantur, quam ſi nullus adeſſet; ut debiles ex minima cauſa in prohibitam perſpirationem incidunt.

Principium. X. Quamprimum ac Morbi cauſa quædam produxit phænomena a ſanitate diſtincta, *Principium*, ſeu *Initium* habetur Morbi, Græcis ἀρχή. Hoc ergo tempore integra eſt Morbi cauſa, & valent vitæ vires, niſi quod magnitudine Morbi, vel multitudine materiæ, ita opprimantur quandoque, ut omnino videantur exſtinctæ: ſolet dein in Morbis acutis, viribus vitæ inſtigatis, ſubigi Morbi materies, vel ad evacuationem aliquam aptari; quare hoc tempore materies non præparata educi nequit, niſi hæreat in primis viis, & mobilis ſit. Inſtituuntur etiam cum levamine ſanguinis evacuationes, non quod educant Morbi cauſam, ſed temperent motum majorem inſequentem, ne ſe ipſum deſtrueret.

Augmentum. XI. Dum vero phænomena Morbi validiora fiunt, aliaque nova accedunt, Morbi dicitur *Augmentum*, ſeu *Incrementum*. Lucta eſt inter Morbum & vim vitæ, ſi natura prævaleat, quædam in urina coctionis rudimenta conſpiciuntur, indicantia materiem Morbi ſubigi, & ad expulſionem præparari: ſin vero urina tenuis & cruda maneat toto hoc tempore, vel indicat ſubactam materiem retineri, novumque foveri Morbum, vel nondum ſuperari; quod utrumque malum.

Status. XII. Hæc Morbi Symptomata ſi non amplius increſcunt, habetur *Status*, ſeu *Vigor*, ἀκμὴ Græcis. Hoc tempore *criſis* fieri ſolet, vel ad ſalutem, vel interitum, atque ipſa evacuatio critica: Morborum enim ſemina tunc ad perfectionem pervenerunt, & inde validiſſima. Verſatur ergo æger tunc in diſcrimine ſummo. Hoc tempus citius vel ſerius obſervatur pro *Morbi natura*, *ætate*, *viribus corporis*, *tempore anni*, *regione*, *medendi methodo*, *regimine*.

Decrementum. XIII. Quando Morbi cauſa vi vitæ vel Medicamentorum minui incipit, ſymptomataque minus ſæviunt & pauciora fiunt, æger tunc in tuto locatus, niſi perverſa medela, vel novo Morbo, aliove errore; turbetur: eſt enim vis vitæ prævalens, ſed corpus hucuſque nondum a Morbi materia liberatur. *Decrementum* tunc dicitur & *Declinatio* παρακμή.

Finis. XIV. Poſt tempus hoc ſequitur Morbi *Finis* ſeu *exitus*: quum Morbi cauſa ſuperata eſt & expulſa. Hoc ſi perfecte fiat a viribus vitæ, priſtina redit ſanitas; ſin vero ita ex præcedenti morbo detritæ ſint vires, ut materies tam bona quam mala elabatur, vel vires tam parum valeant, ut materiam evacuationi præparatam expellere nequeant, finis eſt imperfectus; in quo caſu vel *mortem*, vel *recidivam*, vel *novum Morbum* exſpectamus.

XV.

XV. Superato Morbo quædam reſtare ſolent, quandoque difficiliora curatu Morbo ipſo: ita poſt eductam aquam *hydropicorum* debilitas non facile curabilis reſtat; poſt *febrem* curatam non ſtatim æger recuperavit vires; poſt *hæmorrhagias* aliaſque evacuationes ſuppreſſas æger non eſt incolumis: poſt *variolas* foveis deturpata relinquitur facies, vel carbunculi mali moris oboriuntur; poſt *multos Morbos* longa valetudine vexantur, antequam reconvaleſcunt. Quare intereſt ad curationem ſcire, quæ fieri ſoleant poſt morbum, etiamſi auctores id intactum relinquant. *Poſt morbum.*

XVI. Hæc autem *Tempora* non omnibus in Morbis obſervantur, frequentiſſime in acutis, raro in chronicis. Quidam horum eodem tenore ſine ulla intermiſſione hæc omnia percurrunt; alii vero per periodos, ut omnes morbi, qui intermittunt, hæc tempora abſolvunt. *Tempora hæc non obſervantur in omnibus.*

XVII. Non omnes quoque Morbi, quum curſum vel periodum abſolverint, ita penitus evaneſcunt vel ſubiguntur, ut homo ab iis immunis maneat: quidam enim vix finito morbo, alii autem aliquanto poſt renovantur, & hominem priori Morbo debilitatum aggrediuntur; hic *Reditus*, ſeu *Recurſus*, a Medicis *Recidiva* vocatur, quæ a Morbi mutatione & paroxyſmo diſtinguenda eſt. *Recidiva.*

XVIII. Quibuſdam Morbis 1. *inevitabilis* obſervatur recidiva, quorum ſcilicet cauſa vi vitæ eſt inſuperabilis; ut in ictericis a cyſtis felleæ calculo, in nephriticis a calculo renum vel veſicæ. 2. Aliis autem *frequens*, quorum cauſa pertinaciſſime reſiſtit; ut in venerea lue, apoplexia, hydrope vetuſto, Morbis malignis, longis, autumnalibus. 3. Denique aliis *raro* fit recidiva, niſi ob aliquam cauſam accedentem, ut in acutis, inflammatoriis, febribus continuis & intermittentibus, hæmorrhagiis, podagra. *In quibus.*

XIX. Recidivæ prædictio ex tribus his fontibus petenda, in priori enim ſpecie certiſſimam, in ſecunda frequentem, in ultima dubiam recidivam pronunciamus. *Ejus prædictio.*

XX. In hac ultima ſpecie prædicitur ex ſignis iſtis, quæ 1. indicant Morbi materiem non fuiſſe evacuatam; 2. vel non eſſe ſubactam; vel 3. alicubi detineri; 4. corporis vires nimis fuiſſe diminutas; 5. Multas functiones turbatas eſſe. *Signa prædictionis.*

XXI. In Morbis mutatio, quæ Græcis παροξυσμὸς dicitur, varia eſt. *Paroxyſmus.*

1. In Morbis, qui tantum ſemel adoriuntur, ut plerumque Morbi acuti, totum iſtud tempus (10. ad 13.) a quibuſdam paroxyſmus vocatur.

2. In Morbis autem, qui repetunt, ſeu per intervalla ſæviunt, ſive hominem integre relinquunt, ſive uno tempore magis, alio tempore minus, vexant, tempora ea, quibus plura vel vehementiora ſunt ſymptomata, Morbi paroxyſmi dicuntur; quemadmodum in febribus intermittentibus & remittentibus, atque in menſtrua purgatione.

3. In quibus paroxyſmus cum recidiva (17) confunditur, ſunt tales Morbi, qui raro redire ſolent, vel in reditu ſuo nullum ordinem ſervant, vel *exacerbationes* habent longo tempore diſtantes: ita *Acceſſio* Epilepſiæ in epilepticis, ſeu tempus iſtud, quo convellitur homo, paroxyſmus dicitur: ita Podagræ *Invaſio*, dum dolore ingenti premitur æger, paroxyſmus appellatur; in quo iterum alios particulares diſtinguunt paroxyſmos ſeu Exacerbationes, noctu recrudeſcentes, donec integer paroxyſmus adimpletus ſit: quod quoque obſervant in febribus remittentibus.

XXII. In omnibus paroxyſmis obſervant tria, durationem, vehementiam, & reditum. In quo ultimo iterum *Anticipatio*, *Poſtpoſitio* ſeu *Retardatio*, & *Reduplicatio* diſtinguitur, atque *conſtantia* & *inconſtantia*.

1. Qui paroxyſmi celerrime perficiuntur, cito finiturum morbum indicant: & contra.

2. Qui anticipant per unam aut duas horas, brevitatem Morbi promittunt: & contra.

3. Exacerbationes alternis diebus, breviſſimos, quotidie longiores, quarto quo-

vis die longiſſimos Morbos promittunt.

4. Qui ſenſim prolongantur, aut cum vehementia increſcunt, longiorem Morbum præſagiunt: & contra.

5. Qui æquali temporis intervallo redeunt, ſive eadem ſit hora, ſive anticipent, ſive retardentur, longiores Morbos promittere ſolent, quam inordinate redeuntes.

6. Magis ex Symptomatum vehementia, longitudine, & numero, prognoſis inſtituenda, quam ex reditu.

7. Qui reduplicantur, vel redeunt, priori non finito, difficiliorem Morbum promittunt.

Intermiſſio. XXIII. Tempus inter duos paroxyſmos cunctis in Morbis *Intermiſſio* & *Inducia* vocantur: in febribus vero, ſi omnino febris hoc tempore quieſcat, ἀπυρεξία; quibus temporibus materia morbi in corpore latens nulla profert ſymptomata.

Longitudo. XXIV. Morbi cauſa vi vitæ ſuperanda & expellenda ſi diutius quam par eſt retineatur, Morbi *Longitudo* ſeu *Diuturnitas* habetur. Quod fit, ſi ejuſdem Morbi *cauſa* ſit *major* vel *pertinarcior*, ejuſve *evacuatio impediatur*; vel *vis vitæ debilior* ſit, quam ut poſſit ſolito tempore ſuperare Morbum: ex quibus tunc varia proveniunt phænomena longitudinem indicantia, quorum multa ſi concurrunt, portendunt mortem.

Ex magnitudine. XXV. Ex *magnitudine* & *multitudine* cauſarum fiunt horrores erratici & reduplicati, urina craſſa, alba, intenſe rubra, varia, caloris frigoriſque viciſſitudines, fundatiunculæ in initio febris, frigiditates in continuis hominem robuſtum occupantibus, magnæ functionum læſiones.

Ex pertinacia a retentione. XXVI. *Pertinaciorem* Morbi cauſam ejuſve impeditam evacuationem deducimus ex urina tenui, pellucida, colorata, quando craſſa reddenda erat, cruda in augmento Morbi, ſpumoſa, bilioſa, aquoſa, ſubviridi, & ejus ſedimento rubro vel farinoſo, tarditate coctionis, excretionibus paucis & tarde orientibus, frigidis, craſſis, varii coloris, per loca non convenientia.

Ex virium defectu. XXVII. *Virium defectum* petimus in Morbis ex ſenectute; ſudoribus frigidis in mitiori Morbo, carnibus frigidis poſt implacidum ſomnum, urina craſſa, alba, abſceſſu apparente ex metaſtaſi, & coctionis tarditate.

Effectus. XXVIII. Ex Morbi tandem diuturnitate minuuntur vires, laxantur ſolida, humoreſque a naturali indole degenerant, ſpiritus conſumuntur, ex quibus dein alii morbi, debilitatem (T. XXIII.) ut cauſam præcipuam agnoſcentes; vel longitudine ſuccumbunt ægri.

Brevitas. XXIX. Duplici modo morbi *Brevitatem* prædicimus: 1. ad interitum ex pluribus & vehementioribus ſymptomatibus, quæ minus gravia longitudinem (24.) indicant; 2. ad ſalutem, ex viribus conſtantibus, paucitate ſymptomatum, maturis coctionis ſignis, bona indole evacuatorum humorum.

Conſtantia & inconſtantia. XXX. Morbus in homine natus raro diu ſine ulla mutatione ad finem uſque perſiſtit, quæ vero *Conſtantia* dicuntur, ut in calculoſis & Epilepticis, increſcere & decreſcere ſolent; ſi tamen morborum facies & ſedes non multum mutatur, conſtantes habentur. *Inconſtantia* autem multiplex eſt.

Loci. XXXI. In quibuſdam Morbis, quorum materies eſt mobilis, *Situs mutatio* quandoque obſervatur. ſeu μετάσασις fit, ut dictum eſt (T. XVII. 26 ad 34) Hanc tranſplantationem obſervant fieri ſurſum ἀναδρομὴ, vel deorſum; extus vel intus ἄμπωτις; ad partem principem, vel minus principem; & perfectam vel imperfectam translationem facere.

Formæ. XXXII. Alii vero ita *transfigurantur* phænomenis externis, & indole (μεταμόρφωσις dicta) degenerant, ut novi videantur morbi, & alia methodo tractandi ſint: ita Sphacelus ex Inflammatione, Cancer ex Scirrho, humor corruptus ex viſcido, priorem curationem reſpuunt.

Exitus. XXXIII. Tandem *Exitus* vel eſt in ſanitatem, vel mortem, vel alium morbum.

XXXIV. His addi poſſunt, qui manent in eodem loco, ſed ſimul late diffun-

dun-

duntur, quod peſſimum: vel qui ob nervos conſentientes in alio loco, quam ubi eſt morbi fomes, proferunt ſua ſigna, imo novum morbum generant.

XXXV. In morbis præprimis acutis obſervatur *Cruditas*, quæ dicitur præſens, quamdiu morbi materia, neque vi vitæ, neque vi medicamenti, eouſque ſubacta eſt, ut poſſit per evacuationem educi: humor autem ille fere præparatus *crudiuſculus* vocatur: &, quoniam putarunt veteres, per Coctionem aut Maturationem, hunc humorem præparari, cruditas quoque ἀψιψία & δυσπεψία dicta fuit. Hæc ſemper præſens eſt in Morbi principio & augmento; ſed ſi maneat in Morbi ſtatu, vel poſt iſtud tempus, periculoſa eſt, provenit enim, vel ex multitudine, vel obſtinata reſiſtentia, vel ex defectu virium. *Cruditas.*

XXXVI. Cognoſcimus autem Cruditatem perſeverare: 1. ex augmento continuo ſymptomatum; 2. nulla apparente critica evacuatione; 3. virium diminutione; 4. ſignis cruditatis, in urinis (T. XXXVI. 54.) aliiſque excretionibus, multum a ſanis recedentibus, & ab iis, qualia cum levamine in tali morbo emitti ſolebant. De Cruditate in reliquis humoribus actum eſt (T. XXXIX.). *Cruditas.*

XXXVII. Quum materia hæc, ſanguini miſta, per emunctoria educi nequeat, fruſtra conamur evacuantibus eam eliminare, ſi autem hæreat in *primis viis*, educi poteſt ſine præcedenti coctione; quare his morbis, cruditatis tempore, *purgantia* conducunt: ſi per motum minorem, & diminutam quantitatem ſanguinis, crudus humor deducitur ad maturitatem, ſanguinis eductiones & evacuationes ſpontaneæ admodum juvant, *non quod auferatur Morbi materia*, ſed quod ejus coctio promoveatur, ut in Ardentibus, & Inflammatoriis morbis.

XXXVIII. Crudus Morborum Acutorum humor, actione circulationis & mora in noſtro corpore, aliquam ſubit mutationem: ſi ita commutetur, ut per Inſenſibilem perſpirationem vel evacuationem ſenſibilem (T. XLI. 10. T. XLVII. 15.) educi poſſit, aut ſi converſus ſit in pus (T. XLI. 10. T. XLVII. 17.), hæc actio *Concoctio*, *Coctio*, πέψις, *maturitas*, & πεπασμὸς vocatur. *Coctio.*

XXXIX. Hæc dum fiunt in nobis, quædam apparent phænomena, hæc a Practicis obſervata, ſigna coctionis habentur, quæ conſpiciuntur in urina (T. XXXVI. 53.) reliquiſque evacuationibus, atque per totum corpus; ſed quoniam pro natura materiæ morbi multum differunt, cuncta coctionis ſigna recitari non poſſunt, niſi percurrerentur omnes evacuationes, & corporis functiones, quod nimis longum foret: in genere omnia fere ſigna bona in Morbis pro coctionis ſignis haberi poſſunt. *Ejus ſigna.*

XL. Cum cauſa concoquens ſit motus vitalis moderatus, & quædam materia morbi majori motu, ut in multis Chronicis; alia vero motu magis ſedato, ut in Inflammatoriis, ad concoctionem perducatur; alia iterum nunquam ad coctionem reduci queat, ut ea, quæ ex putredine nata, ſed tantum evacuatione egeat, Medici eſt inquirere, ex cognitione naturæ materiei, num debeat medicamentis inſtigare vel ſedare motum, an debeat ſtatim eductionem meditari.

XLI. Κρίσις Medicis triplicem ſignificationem habet: 1. denotat ipſum *Conflictum* inter morbum & vires vitæ, in quo, tanquam in Judicio forenſi, morbi cauſa Actor, vis vitæ Reus, ſymptomata producta Teſtimonia habentur. Dum morbi cauſa corpus noſtrum aggreditur, & vires vitæ conantur eam ſubigere, ſymptomata, quæ ex hoc prælio fiunt, *Criticam Perturbationem* vocant, atque conflictum integrum, κρίσιν. *Criſis.*

XLII. Poſt agitationem hanc, ſive vis vitæ vincat, ſive vincatur, alter morbi ſtatus fit, vel in ſalutem vel mortem; vel melius vel pejus, quaſi prælium decretorium in bello eſſet peractum, & ſententia lata: hinc quoque *Judicium*, & *Judicationem* ſeu κρίσιν vocant; hæc eſt altera Criſis ſignificatio.

XLIII. Hoc tempore, & brevi poſt, ut plurimum quædam evacuatio ſolet fieri, quam quoque vocant *Criticam* vel & *Criſin*; hanc in *bonam*, *mediocrem* & *malam* diſtinguunt: *bona* vero eſt firma, ſecura, tuta, ſignis indicata εὐσημος, & perfecta: *mala* habetur ſymptomatica, periculoſa, incerta, imperfecta, ſine *Evacuatio critica.*

ſignis

ſignis, prægreſſis coctionis ἄσημα dicta: *mediocris* autem, quæ bona & mala ſigna ſimul juncta habet: hæc tertia Criſis diſtinctio.

Tempus criticum. XLIV. Morborum materiam, quaſi vegetarent ut plantarum ſemina, certo temporis ſpatio maturari & ad perfectionem pervenire agnoſco, nimis ſtricte tamen a veteribus hæc tempora limitata fuiſſe, in *Dies criticos*, 7. 14. 20. 27. 34. 40; *Indices* ſeu *contemplabiles* vel *Indicantes*, 4. 11. 17. 24; *Intercidentes* & *Intercalares*, 3. 5. 9. 13. 15. 19; *Vacuos* & *medicinales*, 6. 8. 10. 12. 16. 18. puto: quia 1. non omnes morbi acuti ab Inflammatione dependent, quæ criſin facere ſolet, ſed & a putredine, Eryſipelate aliiſque generibus febrium, quæ hunc Typum non aſſequuntur: 2. quoniam in eodem morbo Typus variat pro tempeſtate, ætate, viribus corporis, medela, errore commiſſo, utique in his regionibus non poſſumus tam accurate has periodos obſervare.

Signa criſeos. XLV. *Signa Criſeos* varia ſunt, prout hanc vel illam evacuationem moliuntur, vel abſceſſum minantur. Si enim *Sudor* expectandus eſt, externæ corporis partes incaleſcunt, vapore calido perfuſæ, urina parcior, pulſus mollis undoſus, horror in morbis acutiſſimis, hominem carne molli & humida præditum occupantibus. *Urina critica futura* conjicitur ex abſentia ſignorum ad cutem determinantium, dum adeſt hypochondrii & circa pudenda gravitas, urina copioſior ſi fluere incipit, cum quadam ardoris perceptione in hominibus, qui minus perſpirare ſolent, tempeſtate frigidiore, præprimis in morbis acutis pectoris, *Hæmorrhagia* (T. XXXII. 7.) *Menſtruus fluxus*, (T. XXXIII. 8.) exſpectatur ex ſignis traditis. *Vomitus* futurus ex nauſea, eructatione, rigore & frigore præcordiorum, multæ ſalivæ in ore collectione, labii inferioris tremore, pallore faciei, tenebris & vertigine oculorum, conjicitur. *Alvi fluxum* pauca præſagiunt, quibus vero in principio febrium adeſt conatus vomendi, & arte vel natura non vomuerint, in Diarrhœam incidere ſolent: aut ſi adſint murmura, flatus, commotiones in ventre & præcordiis, lumborum dolor, inhorreſcentes, anxii, laſſitudine preſſi, lumbis dolentes, in alvi profluvium incidunt. Per *Sputum* non niſi in pectoris Morbis criſin exſpectamus, & per *Ptyaliſmum* raro fiunt criſes; quæ vero fit per *Abſceſſum*, tradita eſt (T. XLVIII. 16. ad 22.)

Differentia morborum. XLVI. Altera quæ ſequitur diviſionis pars (2.) differentias multorum morborum complectitur. Summa diviſio eſt in *Morbos Acutos* & *Chronicos*.

Acutus. XLVII. Qui brevi tempore deſinunt, ſive vehementes ſunt & cum periculo, ſive mites & ſine periculo. *Acuti* dicuntur *morbi* ὀξέα νοσήματα; his plerumque febris adeſt, & criſi terminantur, quare ὀξὺς ſæpe febrem acutam denotat. Tales morbi quarto die vel prius deſinentes, *Peracuti* ſeu *Acutiſſimi* ὀξύκατα; ſi ad ſeptimum diem durant καπξέα; ad decimum quartum diem, & ad vigeſimum durantes ſimpliciter *Acuti* vocantur. Ab hoc tempore uſque ad 40 diem *Acutos* vocant *ex decidentia*. Diutius durantes ad longos Morbos referunt. Hujus ergo morbi cauſa tam vehemens eſſe debet, ut interimat hominem, & ejus tamen naturæ, ut viribus vitæ brevi tempore ſubigi poſſit.

Chronicus. XLVIII. In Morbis longis hanc non obſervant diſtinctionem, nam omnis Morbus *longus* ſeu *Diuturnus*, χρονικὸς, ſeu χρόνιος, vocatur: qui vel tales ſunt ab initio, vel ex morbis acutis naſcuntur: horum cauſa ſemper difficilis expulſu & ſubactu, ſive vehemens ſive mitis ſit, ſive toti maſſæ miſta, ſive parti alicui ſingulari inhæreat. Hi quoque majorem utplurimum exigunt ad curationem peritiam quam acuti, qui ſibi reliqui brevi tempore ceſſant. Si diu duraverit, *Vetuſtus* ſeu *Inveteratus* dicitur, πολυχρόνιος.

Magnus & parvus. XLIX. Ex multitudine 1. Symptomatum, eorum 2. vehementia, 3. difficili curatione, 4. partem principem læſam indicantium, *magnum*, *vehementem* & *periculoſum* Morbum deducimus; ex contrariis parvum & levem pronunciamus.

Benignus & malignus. L. Etſi *Benignus* Morbus ſeu *boni moris*, ob lenia ſymptomata cum parvo Morbo coincidit, ejus tamen oppoſitus *Malignus* κακοήθης, ſub mitiſſimis ſymptomatibus, uti videtur, hominem interimit, quemadmodum in peſte, ſi nempe

pe morbi causa simul corporis vires extinguit.

LI. Dum ob aeris, aquæ, vel victus malignam infectionem, multi homines iisdem fere tentantur Morbis, perpetuo vel certis anni temporibus in eodem loco sævientibus, *Vernaculi*, *Gentilitii* & ἐνδήμιοι dicuntur: qui vero eidem loco non semper affixi sunt, dum multos aggrediuntur homines, *Populares* seu ἐπιδήμιοι habentur, quosdam ex his, certis annis redeuntes, *Stationarios* vocant. In horum curatione vel magni Medici hallucinantur, donec per experientiam docti eorum naturam investigaverint; interim tamen ex analogia multum lucis mutuantur. Qui vero nullo non tempore adoriuntur, *Dispersi* seu *Intercurrentes*, σποράδες, σποράδιοι, dicuntur: horum causa in laborantibus solis investiganda. *Communes.* *Endemii.* *Epidemii.* *Sporadici.*

LII. Ex his quidam ex anni tempore, quo oriuntur, vel præprimis sæviunt, *Autumnales*, *hyemales*, *Vernales* & *Æstivi* dicuntur: quidam tantum in autumnales & vernales distinguunt, ut Sydenham: alii his adjiciunt *Æquinoctiales* & *Solstitiales*: denique ulterius distinguunt in *Diurnos* & *Nocturnos*. Nimis longum foret cunctas has species perscrutari, sufficit animadvertere, autumno perspirationem minui in corpore, ob præcedentem calorem, humoribus putridis oppleto; hyeme ob aerem frigidum & humidum solida laxari, & accumulari humores; vere stagnantes humores commoveri, & dein per Diapnoen educi; æstate humores nimis evacuari, corpus debilitari, & corruptiones augeri. *Temporales.*

LIII. Quorum Morborum virus tam atrox est, ut suo attactu in alio homine ceteroquin sano similem morbum producere valeat, ut Pestis, Variolæ, Venerea lues, Hydrophobia, sive hoc fiat attactu, sive quia materia volatilis primo aeri miscetur, hi omnes dicuntur *Contagiosi*, & *Inquinantes*. *Contagiosi.*

LIV. Morbos, cum quibus nascimur, vel quorum semina seu rudimenta nobis a nativitate inhærent, in *Hæreditarios*, quando parentes simili Morbo laborarunt vel laborant, ut in Epilepsia, Hæmoptoe, Phthisi, Podagra; Asthmate, Hysterica passione, Fluore albo; & *Connatos*, qui statim post partum, vel & diu postea oriuntur, ex latente malo, quod in parentibus non adfuit, ut est perversa formatio organi, distinguunt. *Connati & hæreditarii.*

LV. Qui Morbi ex communissima causa tali in parte excitantur, solitaque proferunt phænomena, suntque constantes, atque communem sortiuntur mutationem, *Legitimi*, *Puri*, *Exquisiti* & *Constantes* dicuntur: ita Nephritis a calculo, Pleuritis ab inflammatione pleuræ, Febris intermittens typum servans, legitimi dicuntur. *Legitimus.*

LVI. *Illegitimus* autem Morbus multiplex est, qui enim, quoad faciem externam, varios Morbos simulat, ut sæpe contingit in febribus intermittentibus, manente eadem tamen causa, *Proteiformis* & *Multiformis* dicitur; qui autem aliena & incerta profert symptomata, vel si provenit ex insolita aut multiplici causa, *Spurius* νόθος, ἀνώμαλος; & qui periodos habens incerto tempore & ordine redit, *Inconstans*, ἀκατάστατος, *Erraticus*, *Vagus* vocatur. *Illegitimus.*

LVII. Aliam insuper introduxerunt in Morbis distinctionem, quum nonnulli externas præprimis corporis partes occupant, quare faciliores & cognitu & curatu; hi, quamvis solis fere Chirurgis committantur, scitu necessarii sunt Medico, tam ad cognitionem, quam ad curationem similium Morborum, in partibus internis & absconditis: alii vero *Interni* dicuntur, qui multo sæpe labore & industria deteguntur, quum sæpe ex omnino aliis signis eruendi sunt, quam conspicerentur, si idem Morbus in corporis peripheria hæreret. *Externus & Internus.*

LVIII. Ut Praxis fiat facilior, distinguendi sunt Morbi 1. in Universales, totum corpus afficientes, quos præcipue delibavimus in prima Compendii parte; 2. in Particulares, qui ex generalibus intelliguntur, addita speciali istius partis structura & functione. *Universales.*

LIX. In curatione quoque necesse est ut sciamus, Morbus an sit Primarius vel Secundarius. *Primarius* seu Morbus per ἰδιοπάθειαν vel πρωτοπάθειαν is est, cujus Morbi causa eo in loco hæret, ubi conspiciuntur symptomata, & unde *Primarius.*

de primo Morbus originem duxit.

Secundarius. LX. *Secundarius* autem, per δευτεροπάθειαν vel συμπάθειαν agens, alieno habet in loco Morbi fomitem, vel inde derivat ad alium locum materiem, vel ex communi solidarum partium præprimis nervorum origine in alio quoque loco Morbum excitat, hic quandoque *Consensus*, (T. XXX. 10. ad 12.) & *Metastasis* (T. XVII. 26. ad 34.) dicitur.

Simplices & Compositi. LXI. Tandem hi omnes Morbi solitarii hominem infestant, quando Simplices dicuntur & unicam agnoscunt causam, raro autem tales occurrunt in Praxi, quare judicio opus, tam ad cognoscendos Compositos, quam curandos, ne multitudine symptomatum decipiamur, & ne præscribamus medicamentum, quod uni plus noceat, quam alteri prosit: horum simplicium Morborum causæ examinandæ seorsim, dein inter se conferendæ ut expiscemur, quid commune, & quid speciale habeant: nam qui susciperet omnes enarrare Morbos compositos, ut inde formaret solidam doctrinam, nunquam inveniret finem.

Corollaria. LXII. Ex præcedentibus hæc intelliguntur.

1. Cur in juvenibus prædicimus Hæmoptoen, & ex quanam corporis externa figura?

2. Quando in pueris exspectamus Rachitidem?

3. Cur in juvenibus Pleuritidem reliquosque Morbos ardentes exspectamus, in senibus vero Tussim & gravedines?

4. Cur omnes homines in constitutione epidemica non afficiuntur Morbo eodem, sed sequitur quandoque certum ætatis tempus?

5. An aliquid Divinum prædicere Morbum vel ejus mutationem?

6. An omnium Morborum mutationes incertæ?

7. Ex quibus fontibus prædictiones petendæ?

8. An Medicus Morbo, sive acuto, sive chronico, recte mederi potest sine prædictionis arte?

9. Quo scopo in principio Morbi acuti instituitur venæ sectio? & in quo casu juvat purgans & vomitorium?

10. Cur urina diu cruda in acutis valde mala?

11. Cur urina jam cruda, jam vero cocta, apparens in Morbi incremento, Morbi longitudinem & periculum denotat?

12. An quatuor vel septem tempora in Morbis observanda?

13. Cur omnis recidiva timenda?

14. Quænam Ictteri species recidivare solet?

15. Cur lumborum doloris frequens reditus est malus?

16. Cur Apoplexiæ reditus plerumque lethalis?

17. Cur post febres manentes vigiliæ, aut somni turbulenti, recidivam portendunt?

18. Cur reconvalescentes diu valetudinarii manentes, inappetentia laborantes, excrementa aliena emittentes, in recidivæ periculo versantur?

19. Cur in acutis ex urina tenui & colorata, post crisin, vel aspera divulsa; & in convulsivis ex copiosa tenui, aquea, pellucida, recidivam prædicimus? conf. T. XXXVI. 56. N. 27.

20. Cur quibusdam febribus curatis a purgante dato prævenitur recidiva, in aliis autem accersitur?

21. An necesse, quod Morbus recidivans debeat eodem temporis spatio finiri, ut præcedens?

22. Cur ex Syncope revivisccnti si color & calor naturalis non redeat, sed pulsus maneat debilis cum frigiditate & pallore corporis, recidivæ periculum imminet?

23. An omnes evacuationes in principio morbi damnandæ?

24. A quo die fieri debet dierum criticorum enumeratio generalis in parturientibus, vulneratis, & recidivantibus?

25. Quid

25. Quid materia cocta, quid cruda?
26. An Coctio materiæ Morbi eſt ſeparatio a ſana?
27. Ex qua ratione in Morbi principio, & cruditate, inſtituitur venæ ſectio?
28. An nunquam purgantia refrigerantia in Morborum acutorum cruditate danda?
29. Cur coctionis ſigna conſtantia, & cito apparentia in acutis, Morbi ſecuritatem & brevitatem pollicentur?
30. Cur duæ criſes ſimul malæ?
31. Cur parva & nulla criſis mala?
32. An perperam dicimus malam criſin fieri?
33. An neceſſario omni Morbo acuto adſit febris, ut in Apoplexia, Convulſione?
34. Cur febres intermittentes, præprimis quartanas, referunt ad Acutos & Chronicos Morbos?
35. Quænam differentia inter Morbum vehementem & malignum?

TRACTATUS QUINQUAGESIMUS QUARTUS.

De Curatione.

I. POſt Morbi ejuſque cauſæ inventionem, Medicus ſtatim perpendit, quomodo poſſit, & debeat, & per quænam auxilia, cognitus Morbus ejuſque cauſa, ſi fieri poſſit, tolli, ut reſtituatur homini ſanitas. *Quid.*

II. Tota hæc omnium maxime neceſſaria medicinæ pars, ob quam reliquæ præprimis excoluntur, *Curatio*, *Sanatio*, *Medela*, *Medicina*, Græcis ἄκεσις, ἄκος, ἄλθεξις, frequentiſſime Medicis θεραπεία dicta, in tres ſolet diſtingui ſpecies. *Diviſio.*

III. Morbis enim incurabilibus, vel qui curando in deterius ruunt, aut quos ſatius eſt tolerare, *Cura palliativa* adhibetur, quemadmodum in cancro & ulcere vetuſto, quæ plerumque conſiſtit in exſiccatione, tutamine partis, cohibendo corruptionem, lenimine ſymptomatum; hæc autem ab imperitis, vel & malevolis, in Morbis ſanabilibus, nimis frequens inſtituta, hujuſmodi Morbos quandoque inſanabiles reddit. *Cura palliativa.*

IV. Quæ autem Morbi cauſam, antequam in perfectum Morbum erumpit, emendat, vel expellit, Curatio *præſervatoria* ſeu προφυλακτικὴ vocatur. *Præſervatoria.*

V. Sed ſi Morbus ſit natus, qui ita tollitur cum ipſius cauſa, ut perfecta redeat ſanitas, Curatio Curatoria ſeu θεραπευτικὴ vocatur. *Curatoria.*

VI. In Morborum curatione quædam præcepta generalia omnibus Morbis communia detexerunt Practici, atque nonnulla ſpecialia, ſecundum quæ Morbi curandi ſunt, evitanda nocentia, hanc partem *Methodum medendi* vocarunt: Medici his omnibus utentes *Dogmatici* dicti, qui vero meris obſervationibus & experimentis addicti erant, *Empirici*: ſed per paucas regulas & communitates ad curationem tendentes *Methodici* vocati ſunt. *Methodus medendi.*

VII. In hac methodo ad tria reſpiciunt, 1. ad Morbum ipſum & ejus cauam, qualia producat phænomena a ſanitate aliena, hoc tunc vocatur *Indicans demonſtrativum*, *oſtenſivum*, ἐνδεικτικὸν & δεικτικὸν, quatenus aliquod auxilium indicat. *Indicans.*

VIII. Ex his naſcitur 2. *Indicatio* ſeu *ſcopus*, ἔνδειξις, quando determinat modum curandi & auxilium. *Indicatio.*

IX. Si vero 3. certum genus medicamenti ad Morbum propoſitum curandum determinetur, *Indicatum*, ἐνδεισμα dicitur. *Indicatum.*

X. In his ſi duo vel plura idem Medicamentum poſtulant, vel eodem curari poſſunt, *Coindicantia*, συνενδεικνύμενα dicuntur, & *Conſentientia*, quod utiliſſimum eſt in Morbis. *Coindicantia.*

XI. Si vero multi Morbi, vel eorum cauſæ concurrentes contraria exigunt, *Contraindicans.*

cans. & ſæpe oppoſita medicamenta, *Contraindicans*, *prohibens* ſeu *repugnans* habetur Indicatio, ἀντίδειξις; hoc Medicis multum faceſſit negotii, & curationem remoratur.

Regulæ generales. XII. Hæc generalia præcepta ſunt obſervanda.

1. Indicatio vitalis ſemper prævalet.

2. Cauſa Morbi tollenda, niſi ejus ablatione majus malum exſpectandum, ut thrombus obturans vas, febris in cacochymico.

3. Aſſuetis indulgendum.

4. Vis vitæ ſuperſtes medicamenta in actum ducit.

5. Ex juvantibus & lædentibus indicatio quoque petenda.

6. In latiori ſenſu contraria contrariis medentur, & ſimilia ſimilibus conſervantur, interim tamen febris febre, dolor dolore, alvi fluxus purgantibus, vomitus vomitorio, congelata nive non vero calore curantur.

TRACTATUS QUINQUAGESIMUS QUINTUS.

De Medicamentis.

Medicamentum. I. QUamdiu in homine omnes functiones vel fiunt, vel fieri poſſunt, ordine conſueto, cum juſta conſtantia & oblectamento quodam, talis prædicatur ſanus: quam primum vero, per aliquam vel internam vel externam cauſam, ab optabili hoc ſtatu deflectitur, Morbo afflictus eſt: iſtud autem, quod talem hominem in priorem redigit ſtatum, ſub quovis titulo exhibitum, vel applicatum, *Medicamentum*, ad diſtinctionem *alimenti* & *veneni*, dicitur.

Præſervatorium. II. Quædam ex his ſanis adhibentur, vel applicantur, ut muniant corpus contra futurum Morbum, cujus cauſa ſæpe alias eſt inevitabilis, tale vocant tunc *præſervatorium*, *præſidium*, *munimentum*, *tutamen*, *tutamentum*, Græcis προφυλακτικόν.

Actuale. III. Ex Medicamentis alia virtutem exercent manifeſta quadam ſeu ſenſibili operatione, ut calore, frigore & ſimilibus, quæ tunc *actualia* ſeu *activa* dicuntur, Græcis ἐνεργητικά. Alia autem operantur inperſcrutabili, non niſi per expeperimenta detegenda virtute, quæ vocant *potentialia*, Græcis δυναμικά: exigunt enim motum vitalem, & quandoque ſpecificam cauſam, antequam agere poſſunt; quare non eadem agunt omnibus in hominibus, & variis in animalibus ſæpe contrarium ſortiuntur effectum.

Fortiora. IV. Quædam medicamenta, tam actualia, quam potentialia, magnam vim exercent, inde *fortiora* dicta *efficacia* & *activa*, Græcis δραστικά: *magnarum virium* autem habentur, quæ multum boni præſtant in curando, etiamſi vix perceptibilis eorum ſit operatio, vel quæ inter ſimilia ad eundem Morbum prævalent.

Lenia. V. His autem oppoſita ſunt *lenia*, *mitia*, *blanda*, *mollia*, Græcis μαλακὰ, quorum operatio vix percipi poteſt, aut quæ agunt ſine quadam perturbatione corporis.

Univerſalia. VI. Quod autem cunctos perhibetur curare morbos, etiamſi contra multorum Chemicorum ſententiam tale non ſit inventum, *univerſale* vocant, Græcis καθολικὸν ſeu πανάκεια.

Polychreſtum. VII. Sed ſi multis morbis ſit utile, & in frequenti uſu, πολύχρηστον vocant.

Præſtans. VIII. Ab his vix differt ob præſtantiſſimum uſum, Medicamentum *regale*, βασιλικὸν dictum.

Immortale. IX. Quo etiam referre licet, ex perverſa veterum ſententia, Medicamentum *immortale*, ſeu quod hominem ad immortalitatem duceret, inde ἀμβροσία ſeu ἀμβρόσιον & ἀθανασία ſeu ἀθάνατον dictum.

Arcanum. X. Ex lucri ſpe, vel ut celent inſcitiam ſuam, Medicamentum, quod quandoque nullius eſſet pretii, multis encomiis vocant *arcanum*, *abſconditum*, *occultum*, *ſecluſum*, *ſecretum*, μυσήριον, quod nefas eſſet alicui aperire myſteria, qui ſacris

non

non esset initiatus, ut loquuntur Adepti.

XI. Multis in morbis aliquid speciale observatur, quod mentis acie vix potest concipi, quodque certo quodam Medicamento superatur, cujus virtus ceteroquin abscondita est, hoc tunc *specificum* vocant; quod etiam dicitur, si alicui parti corporis sit *appropriatum*. Hæc quia experientia talia esse deteguntur *experimentalia* vocant seu ἐμπειρικά. *Specificum.*

XII. Quæ vero parti alicui magis sunt dicata, aut loco speciali applicantur, *localia* dicuntur seu τοπικά, quæ in morbis partium in frequenti & magno sunt usu. *Localia.*

XIII. Inter hæc *ornatus* tantum gratia excogitata sunt κοσμητικὰ seu *decoratoria*, quæ, cum elegantem colorem præbeant corpori, χρωματικὰ dicuntur: & quia facies his ornata fallit aspectorem, hinc *fucus*, φῦκος ad hunc titulum refertur. *Ornamentum.*

XIV. Olim unicum *simplex* præscribebatur summo cum successu Medicamentum, cujus dein multiplici experientia cognoscebatur certa virtus: hodie autem ad pompam, colorem, odorem, fucum faciendum, quandoque, cum simplex nullum inveniatur, tot possidens virtutes, quot exigit morbi indicatio, præscribitur *compositum*. In quibus observandum: 1. quorumdam admistione intendi vires; 2. alia viribus destitui; 3. alia autem non mutari; 4. denique prodit virtus quandoque, quæ ex neutro horum posset spectari seorsim, quare cautela opus in his, & experientia consulenda. Hæc autem methodus obest scientiæ medicæ ad eruendas virtutes Medicamentorum. *Simplicia & Composita.*

XV. Quædam ex his compositis in officinis prostant, inde *officinalia* dicta: quæ si sine multo igne ex simplicibus mistis parantur, φαρμακευτικὰ, & *Galenica*; quæ autem a Chemicis ex mineralibus, ope ignis, parantur, *Chemica* vocant. *Officinalia.*

XVI. Si a Medico facile paratu præscribitur Medicamentum, quemadmodum sunt formulæ (T. LIII.) id *magistrale*, *promptum*, *extemporaneum*, & ἀπόρισον, dicitur. *Extemporanea.*

XVII. Multa simplicia, nomine distincta, viribus convenientia, *succedanea* & *substituta*, seu ut hodie dicunt, *quid pro quo*, Græcis ἀντιβαλλόμενα, a pharmacopolis summo cum ægri sæpe damno porriguntur, nescientibus quæ vera talia sunt. *Succedanea.*

XVII. Quum omnia, quæ corpori applicantur, tuto assumi nequeunt, necesse est, inter *externa* & *interna* distinguere: imo externa, vel suo stimulo, vel quia absorbentur, miras in corpore valent producere mutationes, ut ex opii, cantharidum, purgantium, venenorum, & mercurialium applicatione patet. *Externa & Interna.*

XIX. Ex tribus fontibus aptum morbo invenimus Medicamentum. 1. *Experientia* frequenti, qua constat, Medicamentum cognitum semper, vel utplurimum, eum curasse morbum, quod idem quoque verum est de Methodo medendi. 2. *Ratione*, dum ex cognita causa & natura morbi, & detecta Medicamenti virtute adhibetur Medicamentum, usu in tali morbo non comprobatum; ita a Medico Dogmatico curatur morbus nunquam ab eo antea visus, vel auditus: in hac autem major est errandi periculum, quam in priori. 3. *Analogismo*, si novus occurrit morbus aliquam similitudinem cum cognito habens; sed & hæc curatio admodum iucerta. *Inventio.*

TRACTATUS QUINQUAGESIMUS SEXTUS.

De Formulis Medicamentorum.

I. QUæ ad curandos morbos adhibentur Medicamenta triplicia sunt: 1. *Simplicia officinalia* dicta, qualia in Regno vegetabili, animali & minerali ipsa natura suggerit ad usum humanum; 2. *Composita officinalia*, qualia in officinis *Formula.*

nis pharmaceuticis proſtant, magis minuſve compoſita ; 3. Compoſita *Extemporanea*, *Prompta*, facile parabilia, quæ *Magiſtralia* & *Ὑπόμνα* dicuntur. Schedulæ, in quibus talia exhibentur, *Recepta*, *ἀναγραφαὶ* & *Formulæ* vocantur. Hæc tertia claſſis in hoc titulo exhibebitur.

Diviſio generalis. II. In formulis his, tam ad internum, quam externum uſum, conſiſtentiam triplicem obſervamus: 1. Liquidam, 2. Mollem, 3. Solidam ſeu duriorem.

Interna liquida. III. In Medicamentis, quæ per os aſſumuntur, reſpicimus ad præparandi modum: 1. quæ ſimplici confuſione ſeu admiſtione præparantur, ut *Potio*, *Mixtura*, *Hauſtus*, *Guttulæ*; 2. quæ in liquore convenienti aliquamdiu infundenda ſunt, ut *Infuſio*; 3. quæ coctione vires exhibent liquori, ut *Apoxema*, 4. quæ tundendo proferunt vires, ut *Emulſio*; 5. quæ fiunt deſtillando, ut *Spiritus*.

Mollia interna. IV. Mollia vero, interne danda, complectuntur, *Linctum*, *Electuarium*, *Bolum*.

Duriora. V. Duriora ſeu Medicamenta ſicca in *Pulveres*, *Pilulas* & *Tabellas* diſtingui poſſunt.

Externa Liquida. VI. Quæ Medicamenta non deglutiuntur, ſive externe cuti applicentur, ſive orificiis vel aperturis indantur, ſub hoc titulo comprehenduntur. In his etiam occurrunt liquida quædam, quæ his cavitatibus induntur, vel injiciuntur, ſimulque iſtis abluuntur partes externæ, quæ *Lavamenta* voco; ex his quæ oculis adhibentur *Collyrium*; ori & faucibus *Collutionem*; ano *Clyſma*; naribus *Naſale*. Si vero ante applicationem aeri permiſcentur, qui vel naribus, oreve attrahitur, vel ad partem externam corporis adigitur, ſub *Suffimenti* titulo continentur. Qui liquor externe applicatur ad fovendas partes, *Fotus* dicitur: ſi vero tepide vel frigide adhibetur liquor, *Epithema* voco, quod etiam mollia, & ſicca externa continet.

Mollia. VII. Mollia externa complectuntur *Linimenta*, *Cataplaſmata* & quaſdam ſpecies *Epithematum*.

Duriora. VIII. Duriora ſeu ſicca externa continent, *Pulveres externos*, *Emplaſtra*, *Epithemata ſicca*, *Tabellas*; in quibus ſeorſim examinantur *Turundæ*, *Suppoſitoria* & *Peſſaria*.

Potio. IX. Inter *Potionum* genus omnium facillima paratu eſt ea potio dulcis, quæ ab Arabibus vocatur *Juleb*, *Julap*, *Julep*, inde Latinis *Julepus*, *Julapium*, *Zylapium*, *Julabium*, ſeu potius *Saccharatum*: tunc temporis conſiſtentiam habebat Syrupi dilutioris, ut patet in Julapio Roſarum Alexandrino, quod fiebat ex aqua Roſarum cum Saccharo depurato, vel cum eo leviter cocta: hodie vero latiori ſenſu accipitur Julapium, pro omni potione diluta, Saccharo edulcorata vel melle, ſi detur ad ℥ij & ultra, ſingulis vicibus, aliquoties de die ad ℥viij ad minimum præſcripta, nam ſi cochleatim exhibeatur talis liquor, & ad uncias v. vel vi. præſcribatur, *Mixtura* vocatur.

X. Hodie vero variæ potiones, tam in officinis, quam in culinis, quæ ad Julapia referuntur, parantur, & a Medicis præſcribuntur, ut *ὑδρορόδατον* ex ſucco vel infuſione Roſarum cum Saccharo vel melle: ſi fiat ex hordeo cocto *Hordeatum*, *πτισάνη* vel *πτισάνη*; præſtantius autem eſt ſimilem potionem ex pane biſcocto parare: ſi paretur ex pane torrefacto & calente in aquam frigidam demerſo, *Toſtum* vocant. Huc quoque pertinet potio mellita, *ὑδρομέλι*, *Melicratum* & *Mulſum* dictum; & vinum aqua dilutum, vel miſtum, *κρᾶμα* dictum.

XI. Præter hæc omnia ſimplicia, ad Julapia referuntur potiones ex variis aquis deſtillatis, ſyrupis & gelatinis fructuum horæorum temperatis, adjectis quandoque pulveribus, ſpiritibus acidis, elæoſaccharis cum oleis aromaticis deſtillatis, ut ex inſpectione formularum liquet.

XII. Generalis harum potionum uſus eſt, diluere, ſitim ſedare, & temperare ardorem; ſpecialis vero uſus ex viribus Medicamentorum dependet.

Mixtura. XIII. Etiamſi *Miſtura* ſeu *Mixtura* ad cuncta medicamenta compoſita, tam interna, quam externa pertineat, hodie vero uſus obtinuit, potionem parvam

℥vi.

℥vi. non excedentem, cochleatim propinandam, ex variis Medicamentis confectam, *Miſturam* vocare.

XIV. Hujus Medicamenti forma hodie in frequenti uſu eſt, quia facile paratur & ægris gratiſſima eſt; omnibus fere in morbis, tam chronicis, quam acutis præſcribitur, ſi autem pulveres graviores contineat, uſus tempore agitandum: non debent pulveres ſuperare ℥iij. & ſyrupus ℥j. *Hauſtus.*

XV. A Mixtura (13. 14.) nihil differt hoc *Potionis* genus, quod a Medicis *Hauſtus*, *Potio*, *Sorbitio*, *Sorbitiuncula*, ῥόφημα, πόμα & πόσις vocatur, niſi quod tantum minori quantitate præſcribatur, ut unico hauſtu capi poſſit; quare non debet ℥iij. excedere: ex iiſdem enim Medicamentis componitur, quibus Mixtura: frequentius autem Medicamenta purgantia liquida ſub hoc titulo præſcribuntur, quam ſub titulo Mixturæ, etiamſi duabus tribuſve vicibus aſſumantur, quod faciendum præcipio, ſi nobis non conſtat, an ægri facile vel difficile movendi ſunt, ſi tantum ſcopus eſt alvum laxare, minime purgare.

XVI. Aliquod Medicamenti liquidi genus, hoc tempore a Medicis frequentiſſime præſcribitur, cujus guttæ quædam vino vel alii liquori inſtillatæ exhibentur, quod ex uſu *Guttulas* ſeu *Stillas* voco: totus liquor eſſe debet, & ejus virtutis, ut paucæ guttæ pro doſi ſufficiant. Componitur ex *Tincturis*, *Eſſentiis*, *Elixiriis*, aliiſque *Extractis liquidis* ſpirituoſis, oleiſque aromaticis, & ſalibus ſolutis in liquoris parva quantitate. *Guttulæ.*

XVII. Per *Tincturam* intelligimus hic extractum liquidum, coloratum, quod magnam virtutem medicatam continet: in *Extractis* vero *liquidis* non attendunt Medici ad colorem. *Eſſentiam* vocant ſeparatam virtutem medicamentoſam alicujus Medicamenti ſimplicis a reliquis principiis ejuſdem, ſine menſtruo, vel pauco adhærente, inde olea deſtillata aromatica, & ſpiritus, virtute Medicamenti valde imprægnata, Eſſentias vocant. Si autem tale Medicamentum liquidum, Eſſentiæ ſimile, ex variis conflatum eſt, *Elixir* vocatur, vel *Clyſſus*; hoc etiam fit confuſione multarum Eſſentiarum inter ſe. *Tinctura.*

XVIII. Altera ſpecies Medicamentorum liquidorum, quæ interne ſumuntur (3. n. 2.) *Infuſio*, *Infuſum*, ἔγχυμα, ἔγχυσις, ἔγχυτον vocatur, quoniam ex Medicamentis quibuslibet, quæ facile ſine coctione liquori affuſo virtutes ſuas præbent, infundendo paratur. Si liquor ſit vinum cum pauxillo ſacchari aromatibus affuſum, *Claretum*, *Hippocraticus potus*, *Lachrymæ Sponſæ*, vel *Vinum Saccatum*; reliqua vero cum vino infuſa *Vinum Medicatum* dicuntur. Ita quoque ſi affundatur cereviſia, *Cereviſia Medicata* audit. Si vero affundatur ſpiritus vini, ut plurimum *Extractum* vel *Tincturam* vocant: quandoque cum fervente aqua infunduntur in modum *Theæ*; hæc Medicamenta ſi ne liquore præſcripta *Collectio* vocantur. *Infuſio.*

XIX. Hæc *Infuſio* fieri debet vaſe clauſo, loco calido, in ſextuplo vel octuplo majori liquoris quantitate, quam eſt pondus ingredientium, vel ad duorum triumve digitorum eminentiam, per biduum vel triduum; de percolato liquore, ſi ſit alterans, ℥ij. bis aut ter de die ſumitur ventriculo vacuo; ſi autem alvum ducat, doſis pro quantitate egeſtionis determinanda.

XX. Ἀπόζεμα ſeu ἀφέψημα ſeu *Decoctum*, Medicamentum etiam eſt liquidum per os aſſumendum, ex vegetabilibus variis, partibuſque animalium, & raro mineralibus, cum aqua, cui quandoque aliquid vini adjicitur, vel ſero lactis, coctione, vel levi ebullitione, paratum; colaturæ hujus ſæpe additur ſaccharum, mel, electuarium, pro neceſſitate, quare non multum a præcedenti differt. *Apozema.*

XXI. Concoquenda Medicamenta vires coctione communicare debent liquori; ſi *duriora* & fixa ſunt, primo maceranda, dein diu coquenda; ſi *volatilia* ſunt, leviter ebullire debent, vaſe clauſo, vel ſub finem addenda.

XXII. Quantitas liquoris quadruplo major eſſe debet, ſi ingredientia ſunt *ſuculenta*; ſed in aridis ſextuplo vel octuplo major quantitas ſumenda, quam eſt pondus ingredientium, manipulus tunc pro uncia una, pugillus pro ℥iij. vel ℥ſs.

æſtima-

æſtimatur: aut relinquitur pharmacopolæ, cum q. ſ. exprimitur tantum colaturæ quantitas.

XXIII. Quibus in morbis, & quanta doſi, propinentur, ex ipſis formulis liquet; quia vero calide bibuntur ſatis magna quantitate, optima ſunt diluentia & reſolventia: ſed multi abhorrent hanc magnam quantitatem, & ventriculo ingrata eſt, ejuſque tonum enervat: quare apozematis loco præſcribunt *ſucceſſos inſpiſſatos* eorum ſimplicium, quæ concoqui ſolebant, in forma Pilularum vel Electuarii, cum aliis Medicamentis.

XXIV. Decoctum, quod præprimis ex carne, oſſibus, cornibus, pedibus animalium coquitur, cum, vel ſine aqua, *Jus*, *Juſculum*, ζωμὸς: hoc autem jus ad majorem ſpiſſitudinem coctum, *Conſummatum* vocant: & quia hæc juſcula ſpiſſa frigefacta conſiſtentiam aliquam habent, ac ſi gelu firmata eſſent, *Gelatina* vocantur; quæ quoque ex ſuccis fructuum horæorum, cum ſaccharo ſimul in ſpiſſitudinem talem coctis, conficitur. Si ex Cydonio fiat *Marmelada*, vel *Diacydonium* vocatur.

Succus autem vel expreſſus vel coctione elicitus, ut & vinum ipſum ad ſpiſſitudinem coctum, *Sapa*, *Defrutum*, ἕψημα: ſeu σίραιον, vocatur: ſi alia Medicamenta horum auxilio vel aſſumuntur vel aſſervantur, *Brodium* dicitur.

XXV. Si Medicamentis difficilioris ſolutionis, peracta prima coctione, poſt colaturam, nova affunditur aqua, quæ iterum cum reſiduo prioris ebullit, hoc *Decoctum ſecundarium*, *Bochetum* vocant.

Cavendum in his omnibus, ne nimis magna quantitate præſcribantur, quia facile ſitum contrahunt.

Emulſio. XXVI. *Emulſio*, *Emulctum* ſeu *Emulſum* veteribus inuſitatum, a recentioribus inventum, denotat potionem albam, emulgendo productam, lactis vel chyli colorem referentem.

XXVII. Materiem frequentiſſime præbet farinoſa maſſa ſeminum & nucleorum, quæ tundendo, & iterata affuſione aquæ, emulgetur, quæ tritura & affuſio toties repetatur, ac liquor affuſus lacteum colorem induit: ut plurimum octuplo major liquoris quantitas aſſumitur, quam eſt quantitas ſeminum: ſi Amygdala aſſumantur, hic potus *Amygdalatum* vocatur.

XXVIII. Liquor emulgens plerumque eſt aqua deſtillata, aqua hordei, decoctum Cornu Cervi. In præſcriptione attendendum, ne major copia præſcribatur, quam quæ eodem die aſſumi poteſt, brevi tempore enim aceſcit: & ſi quidam ſyrupi, aut pulveres dein admiſceantur, ne turbent lacteum eum colorem.

XXIX. Hodie vero latius extendunt Emulſionis ſignificationem, nam mixturas ex pulveribus albis factas, emulſionem perperam vocant; alii rectius omne Medicamentum lacteum emulgendo paratum, etiamſi ex reſinoſis cum vino vel ſpiritu vini fiat, ad Emulſionem referunt.

Spiritus. XXX. Ex multis ſignificationibus eam ſolam ſeligere volumus, quam in præſcribendis formulis obtinet. Intelligimus itaque per *Spiritum*, liquorem tenuem, volatilem, ex liquore fermentato, cum quibuſdam Medicamentis infuſo, deſtillando productum.

XXXI. Quandoque ex ingredientibus Infuſionis (18. 19.) facta deſtillatione elicitur; alias eadem hæc cum aqua, & melle, aut ſucco quodam vegetabili, primo fermentant, & dein elicitur ſpiritus, a quibuſdam *Balſamus* dictus: vel ex ſuccis, farinoſis fructibus & melle poſt fermentationem deſtillatur ſpiritus: quandoque additur ſal volatilis, qui tunc ſimul aſcendit. A quibuſdam hi ſpiritus, ſi non nimis acres ſunt, *Aquæ* vocantur.

XXXII. Id boni habent, quod diu ſine corruptione ſervari queant, & in minima quantitate magnam ſæpe Medicamenti virtutem poſſideant, maxime ſi cum novis ingredientibus *cohobantur*: præſtantius eſt, ſi alicujus Medicamenti deſideretur virtus, cum vino, quam cum alcohole inſtituere deſtillationem, & aliquoties cohobare, vel permittere, ut Medicamentum cum hydromelite, vel ſucco

vege-

vegetabili, fermentet primo: nulla huic operi apta ſunt, quam quorum virtus volatilis eſt, & coctione in vaſe aperto periret.

XXXIII. Ad hunc titulum quoque pertinet *Sal voltatile oleoſum*, tam *Aromaticum*, quam *Balſamicum*, ex iiſdem ingredientibus, & oleis aromaticis deſtillatis, factum, addito ſale alcalino fixo, & ſale Ammoniaco, ante deſtillationem.

XXXIV. Ex ſale alcalino volatili, ex quibuſdam partibus animalium, aut ſale ammoniaco cum alcali fixu, vel cum calce viva, qui fugaciſſimus, prodit *Spiritus alcalinus volatilis:* qui vero ſpiritus acidi ex ſalibus neutris, & mineralibus, deſtillantur, raro vel nunquam ex tempore a Medicis præſcribuntur, ſed in officinis exſtant. Hi ſpiritus alcalini & ſales volatiles oleoſi guttatim cum aliquo liquore exhibentur: & cum linimentis, lavamentis, & fomentis externe applicantur, atque affricantur partibus, aut odoramentis ſeu ſuffimigiis admiſcentur.

XXXV. Si eadem Ingredientia (18. 19.) cum aqua deſtillantur, liquor prodiens *Aqua Aromatica* vocatur, quæ quoque ex tempore fieri poteſt ex oleis aromaticis deſtillatis, cum ſaccharo in elæoſaccharum redactis, & dein aqua dilutis.

Mollia interna.

XXXVI. Altera claſſis Medicamentorum internorum (4) tres continet ſpecies: 1. Linctum, 2. Electuarium, 3. Bolum.

Linctus.

XXXVII. *Linctus* ſeu *Lambitivum* a lambendo dictum, ἔκλειγμα, ἐκλειπτὸν, Medicamentum eſt molle, quod ad lambendum, vel parva copia ſimul exhibendum, ad morbos oris, faucium & pectoris præprimis præſcribitur.

XXXVIII. Hoc ex præparandi modo varia accipit nomina, ſi enim decocti colatura (20.), vel ſuccus expreſſus (24.), inſpiſſetur in mellis conſiſtentiam, *ſuccus inſpiſſatus*, *ſuccago*, ἀποχύλισμα dicitur.

XXXIX. Si vero ante inſpiſſationem addatur ſacchari ſatis magna copia, dein evaporetur ad eam conſiſtentiam, ut guttula, ſupra lapidem frigefacta, non defluat *Syrupus* ſeu *Sirupus*, & σιρόπιον. Quandoque vero ſuccus infuſus, ut in *Syrupo violarum*, & *Julapio Roſarum*, vel ſpiritus deſtillatus, ut in *Syrupo Carminativo*, tantæ copiæ ſacchari admiſcentur, qua Syrupi fere conſiſtentiam ſine coctione habeant, tunc *Syrupus*, & *Julapium* vocantur non ſine ratione. Si vero decocto addatur mel, & deinceps coquitur, *Mel*, μέλι aut *Syrupus* dicitur.

XL. Syrupus ad majorem ſpiſſitudinem coctus, *Rob* vel *Rohob* vocant. Si vero ad majorem ſpiſſitudinem coquatur, *Gelatina* (24.) dicitur.

XLI. A Syrupis parum differt *loch*, *looh*, *lochoch*, *lohoch*, nam quidam Syrupi compoſiti lohoch vocantur, ſed his etiam quandoque pulveres aliaque ingredientia deinceps adjiciuntur.

XLII. Materia ingredientium ergo eadem, quæ in Decoctis (21.); ſed quia magna ſacchari additur quantitas, horum virtus magis e ſaccharo, quam reliquis Medicamentis deducenda: quare hodie in multo minori uſu ſunt quam olim.

Electuarium.

XLIII. Multo majoris efficaciæ eſt iſtud Medicamentum ἔκπόριστον, *Electuarium* dictum, quod eſt Medicamentum molle, interne adhibendum, conſtans pulveribus, gummi, conſervis, conditis, cum ſyrupo, melle, pulpa, terebinthina, vitello ovi, inter ſe miſtis, a quibuſdam *Confectio liquida* dictum.

XLIV. Quoniam ſæpe ex radicibus, fructibus, corticibus conditis, conficitur Electuarium, nonnullis *Conditum* vocatum fuit: ex eadem ratione *Conſerva* dictum, ſi recipit flores vel herbas, cum ſaccharo in conſervam redacta. Et *Opiatum*, quia veteres his Medicamentis opium admiſcere ſolebant.

XLV. Cur olim ad ℥ſs. imo ℥j. aſſumere voluerint hujuſmodi Medicamentum, haud ſcio, nunc vero raro ultra ℥ii, ſeu ad nucis Avellanæ vel Moſchatæ magnitudinem unica vice aſcendunt ægri. Elegans eſt Medicamenti compoſitio, quia integris viribus capiuntur, & varia Medicamentorum genera, ſub hac forma, dari poſſunt: cavendum vero, ne nimis ingrata admiſceantur.

Bolus.

XLVI. *Bolus* eſt Medicamentum molle deglutibile, tanta quantitate præſcriptum, ut ore capi poſſit, & unica vel duabus vicibus deglutiri; hinc quoque

Buc-

Buccella vocatur. Componitur ex omni fere genere Medicamentorum ut Electuarium (43.), a quo nihil distat, nisi quod unicam dosin duntaxat habeat, simul & semel deglutiendam. Vel solus assumitur, vel cum aliquo liquore ad faciliorem deglutitionem. Olim a ℥ss. vel ℥vi. exhibebatur, hodie vero raro ultra ℥is. vel ℥iij.

Interna Duriora. XLVII. Tertia Classis internorum in *Pulveres*, *Tabellas* & *Pilulas* distinguenda.

Pulvis. XLVIII. Medicamentum tusione vel tritura, in partes minutissimas siccas redactum, *Pulvis*, κόνις dictum, distinguitur 1. in *Pulverem grossum*, *Suffus*; 2. pulverem tenuissimum inpalpabilem, *Alcohol*, *Alcool*, *Alkol*, *Alcol*, *Alkaes*; & 3. pulverem compositum, *Species*, *Tragea*, τράγημα dictum, licet in ultimis fere semper aromata & saccharum adjectum sit, quod non ita in Speciebus observatur.

XLIX. Dosis pulverum raro hodie ℥j. excedit, daturque ut plurimum cum aliquo liquore, vel cum syrupo, melle, vel brodio, in Bolum, vel Electuarium; prius redigitur. Pulvis seu Tragea grossa hodie in vino infundi solet loco bellarii.

Tabella. L. *Tabella*, *Tabula* seu *Tabellatum*, continebit omnes *Confectiones siccas*, quæ ore assumuntur, forma solida, modo mojori mole constent, quam est pilula, cujuscunque formæ: si autem rotunda sit, instar seminis lupini, *Rotulæ*, *Orbiculus*, κυκλίσκος, τροχίσκος, *Annulus*, δακτύλιος; si oblonga, *Baculus*; *Bacillus*, κυλινδρος, *Magdaliones*; si formam panis habeat, *Pasta*, *Pastillus*, ἀρτίσκος; si pyxidis figuram, cui massa infusa est, habet, *Pandaleon*; si figuram quadratam vel rhomboideam obtineat, *Tessella* vocatur.

LI. Eædem hæ tabellæ masticatæ, *Morsuli*, & *Morselli* dicuntur, a quibusdam *Lozonga* & *Lozengia*: & ex variis ingredientibus, *Diamygdalatum*, *Massa panis*, *Mazapanis* vel *Marcipanis*, si ex amygdalis; *Pincolatum* vel *Pineatum*, si ex nucleis pini conficiuntur: quando moschi odorem spirant, *Muscardini* vocantur; ex melle cocto, despumato, & amygdalis, avellanis, pineis torrefactis, *Turiones*, quasi Torriones.

LII. Possunt hæc Medicamenta ex variis simplicibus præparari, quæ in pulverem redacta, excipiuntur saccharo, syrupo, melle, mucilagine gummi Tragacanthi, Arabici, radicis Althææ, succo inspissato Glycyrrhizæ, & aliarum plantarum; aut cum farina, amygdalis, pistachiis, in bellaria compinguntur; aut integra semina saccharo incrustantur a confectariis.

LIII. Usus horum determinari nequit, quoniam variis Medicamentis constant, præprimis ad morbos oris, pulmonis, & ventriculi, præscribuntur, ut linctus. (37.).

Pilulæ. LIV. Forma externa *Pilulæ* ex pilæ figura, seu *Globuli*, Græcis σφαιρία, & καταπότια, quia integre deglutiuntur, dictæ, non differunt a Tabellis (50.) nisi exhibendi modo; nam tabellæ ante deglutitionem in ore vel retinentur, donec liquescunt, vel masticantur, verum pilulæ prompte deglutiendæ sunt.

LV. Hinc ingrata, amara, nauseosa, resinosa, gummosa, in pilulas rediguntur, quæ tunc auro, argentove bracteato, vel pulvere glycyrrhizæ, obducuntur, & ad facilitandam deglutitionem, cum aliquo liquore propinantur. Olim tres vel quatuor conficiebantur ex ℥j. hodie vero totidem imo plures ex ℈j. parantur.

LVI. Id mali habent, quod, si ventriculus viscido oppletus sit, quandoque diu in eo hæreant sine solutione, quare in pilulis purgantibus cavendum, ne nimis cito ingeratur altera dosis, si prior non operetur: neque conveniunt, si promta Medicamentorum operatio desideratur.

Externa medicamenta. LVII. Medicamenta ad usum externum destinata (6.), in tres classes quoque distinguuntur, scilicet Liquida, Mollia & Duriora.

Lavamentum. LVIII. Inter liquida externa, primo loco *Lavamentum* habetur, Chirurgis in frequenti usu, quo intelligunt Medicamentum liquidum externum, quo abluunt

cutem

cutem & ulcera parva quantitate ſimul; vel plumaceola, eo liquore madida, applicant, ſi pinguia ferre nequeunt: conſtant præprimis ex ſaponaceis, abſtergentibus, aut adſtringentibus.

LIX. Talia ſi injiciantur in cava corporis, nares, os, uretram, abſceſſus, ſinus fiſtulaſque, *Lavamenti* retinent nomen vel *Injectionis*; in uterum μητρέγχυτα; in aures ὠτέγχυτα etiam dicuntur. Quæ vero lavamenta copioſiori liquoris quantitate conſtant, *Lavatio*, *Lotio*, & ex parte, quæ abluitur, *Capitiluvium*, *Pediluvium* vel *Lavipedium* dicitur, hæc vero pro fomentis ſæpe inſerviunt: ſi ſalem ſolutum cinerum continent, *Lixivia* dicuntur.

LX. Calida talia lavamenta adhibentur, quando pars ſimul fovenda eſt; tepida vero, ſi abſtergenda; & frigida, ſi adſtringenda. Materies & modus utendi ex formulis patere debet.

LXI. Ad lavamenta referri poteſt *Liquor Ophthalmicus*, qui inſtillatur oculis, vel iis applicatur, *Collyrium*, *Collurium*, ſeu potius ὑγροκολλύριον dictum, quia eo oculi abluuntur: olim vero omne Medicamentum oculis adhibendum, ſub quavis forma, ut *Vaporis ex ore*, *Liquoris*, *Pultis*, *Cataplaſmatis*, *Linimenti*, *pulveris*, *Sief* Arabibus, & quod auribus adhibebatur Collyrium dictum fuit, denotans etiam trochiſcum oblongum inſtar caudæ muris, quem in pollinem redactum oculis inſpergebant. Hodie autem per Collyrium duntaxat intelligimus lavamentum oculis adhibendum; pulveres, ſuffumigia, epithemata, cataplaſmata, & linimenta ad ſua propria nomina referuntur, etiamſi oculis adhibeantur. *Collyrium.*

LXII. Altera lavamenti ſpecies, quæ ori, dentibus, gingivis, tonſillis, faucibus adhibetur ſine deglutitione, dicitur *Collutio*, διάκλυσμα, ἀνακογχυλίασον: hic liquor ſi gargariſando in ore moveatur, γαργάρισμα, ἀναγαργάρισον vocatur: hæc variis conſtant Medicamentis, prout eſt morbus harum partium varius; in genere adſtringentia præ ceteris adhibentur. *Collutio.*

LXIII. Qui liquores interna narium abſtergunt, *Naſalia* ſeu ἐῤῥῖνα dicuntur Medicamenta; hæc quia fere omnia ſternutationem excitant, *Sternutatoria*, πταρμικὰ, & ex muci eductione copioſiori ἀποφλεγματίσματα, & *Caput-purgia*. Triplicia ſunt: 1. ſub forma liquida, quæ plerumque ex vola manus naribus attrahuntur, de quibus ſub hoc titulo: 2. ſub pulveris forma, de quibus in pulveribus externis; 3. in modum vaporis, de his in ſuffitu. *Naſale.*

LXIV. Κλύσμα, κλυσὴρ, κλυσήριον, ἔγκλυσμα, etiamſi denotent omnem *Ablutionem* aut *Lavamentum*, & ἔνεμα omnem *Injectionem* vel *Infuſum*, hodie tamen per hæc vocabula Medici intelligunt liquoris Injectionem, quæ fit in anum. *Clyſma.*

LXV. Clyſteres ſemper tepidi ſeu calidi injiciendi: id boni habent, quod diluendo & reſolvendo fœces induratas commode alvum ducant; quod fomento calido interno dolores leniant & humectent; ulcera inteſtinorum abſtergant & conſolident; acre in inteſtinis hærens diluant, mitigent & educant; in defectu deglutitionis, pro tempore, nutrimentum ſuppeditent; morboſque multos, ut febrem intermittentem, ſi per os Medicamentum aſſumi nequeat, curent.

LXVI. Quæ purgant, quantitate non debent ſuperare ℥xij; in adultis, & ad dimidium horæ retinenda.

Si ad leniendos dolores, fovendum, conſolidandum injiciuntur, ſufficiunt ℥viij. & diu retinenda.

LXVII. Ad externa liquida pertinere quoque ſentio Medicamenta; quæ aeri primo miſcentur, dein vel attrahuntur naribus, aut ore, vel diriguntur ad partem aliquam corporis; hæc ſi humida ſint ſimulque foveant, potius ad fomenta reducenda: quædam ex his ſpirant odorem aromaticum, ut aromata, ſalia, ſpiritus, & olea volatilia, gummi aromatica, inde *Odoramenta*, *Suffumigia*, *Suffimenta*, *Suffitus*. Hæc cum aere naribus attrahuntur, ut ſtimulo ſuo motum in his partibus excitent, quare in lipothymia eorum uſus frequens. *Suffitus.*

LXVIII. Alia prunis candentibus injiciuntur, horum tunc vapor ſiccus, vel ore, vel naribus, attrahitur, vel ad anum, uterum, aliamve partem corporis

dirigitur; aut panno recipitur, quo dein quædam partes fricantur, qui modus *Suffumigatio*, θυμίαμα, θύμα, vocari potest; præstans in laxitate solidorum; visciditate humorum, motu tardiore, paralysi, & similibus.

Vapor. LXIX. *Vapor* exhalans ex ebulliente vel calido liquore huc quoque pertinet, si naribus, aut ore, recipitur, ad humectanda interna narium, asperæ arteriæ, & pulmonum. Inde sub hoc titulo varia præscribuntur Medicamenta, quæ ex fomentis peti possunt.

Fotus. LXX. Sunt vero *Fomenta* varia, prout variis corporis partibus adhibentur, vel toti, vel parti alicui, & prout ex variis parantur: hæc omnia majorem calorem corpori conciliare debent applicatione sua; ex multis præcipua delibabimus, quæ hodiernis Medicis sunt in usu. Possunt distingui in *humida*, *vaporosa*, & *sicca*.

Humidus. LXXI. Si sumatur liquor calidus, cum quibusdam infusis herbis, vel decoctis, in spongia, stupa linteis duplicatis, vesica semiplena, quæ parti fovendæ applicantur, simpliciter *Fotus* & *Fomentum* vocatur, quo etiam pertinent *animalia viventia*, calida dissecta, vel & eorum *partes calentes* applicatæ: pro liquore habent *aquam* vel *vinum*: si enim *spiritus* calefacientes sumantur, non est opus ut calide adhibeantur.

LXXII. Si vero in liquore, cupa vel alio vase recepto, sedeat æger, stragulis vel conopeo tectus, ut vapor exhalantis liquoris ad umbilicum usque pertingat, *Semicupium*, seu ἐγκάθισμα dicitur; in quo observandum, ut tam calidus servetur liquor, quam ferri potest ab ægro, affundendo sensim liquorem ferventem; sedeatque in eo per horam. Si vero pedibus solis adhibetur, *Pediluvium* & *Lavipedium* potest vocari, & quia in eo sedent, *Insessio* & *Insessus*.

LXXIII. Raro toti corpori adhibetur, nisi in *thermis* naturalibus, aliisque balneis calidis, nam in vase conico usque ad collum, raro cum liquore instituitur balneum.

Vaporosus. LXXIV. Sed ex decoctis his varia parantur *Vaporaria* seu *Stuphæ*, olim *Laconicum*, *Assa* ὑποκαυσον, quando liquor ad tantum calorem ducitur, ut vaporem emittat, qui conopeo, infundibulo, vel stragulis coercitus, ad aliquam corporis partem dirigitur, vel ore aperto hauritur. *Irrigatio* seu *Stillicidium* & *Impluvium*, quod ἐμβροχὴ & *Embrocatio* vocatur, supra caput vel spinam dorsi, hodie raro adhibetur.

Siccus. LXXV. Ex accenso Alcohole, fumo aromatum prunis ardentibus asperforum, si incalescat ambiens aer, sicca vocatur *Sudatio*, πυρία, πυρίαμα; instituitur vel sedente ægro in sella, conopeo vel stragulis tecto usque ad collum, dum sub sella accenditur alcohol; vel decumbente in lecto, sub fornicata machina, stragula supra corpus sustentante, quando infundibili ope, ad hunc usum parati, accensi alcoholis calor dirigitur supra corpus: vel quædam pars simpliciter tegitur, ut fumum aromatum recipiat, vel calorem accensi spiritus vini: huc quoque pertinent *Sacculi calidi cum arena* &c.

LXXVI. Horum omnium usus est, majorem calorem corpori conciliare: si humidus est fotus, solida simul laxat, resolvit concreta densa: si siccus, roborat, discutit: si simul fumum aromaticum habet, pro virtute Medicamenti varios sortitur effectus.

Epithemata. LXXVII. Epithemata a fomentis vix differunt, nisi quod raro ad calefaciendam partem, sed frequentius ad refrigerandam adhibeantur: quamvis omnia Medicamenta epithemata possint vocari, quæ applicantur, usus tamen obtinuit, quædam genera hoc nomine insignire: habentur liquida, mollia, & sicca.

Liquida. LXXVIII. Ἐπίθεμα vel ἐπίθημα liquidum, constat plerumque ex liquore frigido vel refrigerante, spongia, vel linteis recepto; quare intinctum, ἀπόβαμμα, βάμμα, & ἔμβαμμα dictum; ut ex aceto & oleo Rosaceo, quando ὀξυρρόδινον vel ὀξυρόδινον, raro ὀκυρρόδινον, quamvis & hoc nomen aliis quoque epithematibus detur.

Mollia. LXXIX. *Mollia Epithemata* vix differunt a cataplasmatibus, nisi quod cata-

plas-

plasmata semper tepida vel calida applicentur, sed epithemata plerumque frigida; ita quod oculis adhibetur, ad glutinandum, ἀνακόλλημα; carpis applicatur plerumque ad febres subigendas, ἐπικάρπιον & περικάρπιον; quod fronti alligatur *Frontale*, φρομετωπὶς & φρομετωπίδιον; quod umbilico adhibetur, seu quod umbonem habet, ἐπομφάλιον seu ἐπομφαλικὸν: inde etiam vesicatoria, epispastica, rubefacientia, Dropaces, sua forma ad epithemata referuntur.

LXXX. *Sicca Epithemata*, si iisdem locis applicantur, eodem gaudent nomine, præterea ex figura & usu *Sacculi*, *Lectuli*, *Pileus*, πιλίον, πιλίδιον, seu *Cucupha* & *Scutum*, quale sæpe regioni ventriculi applicatur: quod a collo suspenditur, vel alicubi gestatur circa corpus, ut malignitatem avertat, aut amoliatur, *Amuletum*, περίαμμα & περίαπτον vocant. *Sicca.*

LXXXI. Alterum genus Medicamentorum externorum (57.), quod mollia complectitur, Cataplasmata & Linimenta continebit; horum mollium multa quoque in epithemate tradita sunt. *Externa mollia.*

LXXXII. Κατάπλασμα seu μάλαγμα, Medicamentum est molle, quod calide vel tepide externe corpori applicatur, ad usus varios, maxime ad emolliendum. Frequentissime hodie componitur ex herbis siccis & viridibus concisis & contusis, dein cum aqua, lacte, sero lactis, vino vel simili liquore, in pultem coctis, additis dein farina, unguento, oleo, pinguedine, donec mollem consistentiam habeat, quare sæpe residuum fomenti (75.) adjecta farina & oleo, fit cataplasma. *Cataplasma.*

LXXXIII. Componitur quoque ex farina cum melle, oleo, pinguedine; vel concoquitur cum aqua in *Pultem Pulmentum* seu *Pulticulam*, Græcis ἔτυμον.

Multæ aliæ species, quas ego ad epithemata retuli, huc quoque referuntur ab auctoribus, sed quia non emolliunt, neque calide applicantur, a cataplasmatibus separandas esse judicavi.

LXXXIV. Quodcunque parti illinitur, sive sit *smegma*, *oleum*, *adeps*, *pinguedo*, *unguentum nutritum*, ἄλειφα, ἄλειφαρ, μύρον, sive liquor tenuis, ἔγχεσον, ad *Linimenta* seu *Litus* referri possunt; quædam ex his *Balsama* vocantur, & *Digestiva*, quando cum plumaceolis applicantur, quod genus ἐπίπλασμα dici potest: horum usus late patet, quia ex variis componi possunt, & frigida vel calida affricantur. *Linimentum.*

LXXXV. Tertium seu ultimum genus (60.) externorum, continebit 1. *Pulveres externos*, 2. *Emplastra*, 3. *Turundas* 4. *Suppositoria*, & 5. *Pessaria*: sunt præterea quædam inter epithemata, ut sacculi, cucuphæ &c. quæ ad hunc quoque titulum possent referri. *Externa dura.*

LXXXVI. Quamvis pulveres ad usum externum, quoad præparandi modum, ab aliis (48.) nihil differant, eos tamen, ob usus necessitatem, in speciali classe complecti volui, ne forsan ex generali nominis cognitione, cum discrimine vitæ, hi pulveres externi propinarentur. *Pulvis externus.*

LXXXVII. Pulvis itaque externus si tenuissimus sit, *Pollen* vel *Pollis* dicitur, quando ulceribus, vulneribus, aliisque partibus inspergitur, vel ad depurandum, sanguinem sistendum, & consolidandum, aliosve usus, κατάπασμα vel ἔμπασμα vocatur. Oculis autem inspersus, *Pulvis ocularis* seu *Sief* dictus, ad collyria (61.), olim pertinebat: qui attrahitur naribus, vel ad apophlegmatizonta, vel nasalia retulerunt: si autem simul sternutamentum excitat, *sternutatorius* seu πτερμικὸς dicitur. Dentibus dealbandis, & depurandis gingivis adhibitus, *Dentifricium*, & ὀδοντότριμμα vocatur.

LXXXVIII. Ex pulveribus diversis, resinosis, gummosis, adipe, oleo pinguedine & cera, frequentissime aliquod genus Medicamenti externi, densioris consistentiæ quam unguentum, conficitur, linteo, pellibus, alutæ inducendum, quod forsan ob emplasticam vim *Emplastrum* vocant, si satis solidam consistentiam habeat; linteum vero liquefactæ huic miscelæ immersum, ut ab utraque parte obductum sit, *Tela Sparadrapum* vel *Sparadrappa* vocatur: quæ vero em- *Emplastrum.*

plaſtra molliora ſunt, ut fere ad unguenti conſiſtentiam pertineant, *Cerotum* vel *Ceratum* vocantur, quamvis ſæpe cum emplaſtris confundantur. Multa ex Pſilotris, Dropace, veſicatoriis, quoad præparationem, ad hunc quoque titulum pertinent.

Turunda. LXXXIX. *Turundas* conficiendi modus a Tabellis (30.) vix differt, uſus tamen ſolus eſt externus, quod non ita in tabellis obſervatur; ſi enim Trochiſcus oblongus aperturæ vulneris, ulceris, abſceſſus, oris, auriſve indatur, *Turunda* vocari debet, ita quoque ex *Spongia*, radice *Gentianæ*, vel ſimilibus ſi paretur, ad dilatandam aperturam, vel corrodenda calloſa latera: ſed ſi ex lino contorto, balſamo, unguento &c. obvoluto, vel liquoribus aliis impræg nato, paretur Turunda, inde, quia ex linteo parantur, *Linamentum*, *Licinium*, μοτὸς, & ex figura, *Tenta*, λήμνισκος vocantur.

Suppoſitorium. XC. Corpora teretia, oblonga, conica, minimi fere digiti longitudinem & craſſitudinem habentia, olim glandis figura, inde *Glans* & βάλανος dicta, ex varia materia confecta, ano indita, hodie ſuppoſitoria dicuntur, parum a Tabellis, (50.) ergo & Turundis (89.) diſcrepantia.

Peſſarium. XCI. Figura a ſuppoſitorio vix differt Medicamentum, quod ſinui pudoris inditur, *Peſſarium* & *Peſſus*, quandoque πεσσίσκος dictum: ſi globuli vel nodi figuram habeat, *Naſcale* vocatur, quod ex linteo raro cum incluſis Medicamentis, lino, aliiſque inſuccatis Medicamentis, applicatur, ad varia pudendorum vitia.

Præcepta generalia. XCII. Horum omnium ſi addidiſſem materiem, præparandi modum, & uſum varium, ad nimis magnam molem hic titulus increviſſet, non tamen erit inutile ſequentia obſervare præcepta.

1. In præſcriptione officinalium, prævidere debet, ne præſcribat, quæ tali in loco non exſtant.

2. In ſimplicibus viridibus ne fiat alieno tempore.

3. Evitet in his ſub diverſo nomine idem præſcribere Medicamentum.

4. Attendendum, an miſta virtutem augeant, ut ſalia cum purgantibus; vel minuant, ut acida cum opiatis; vel infringant, ut acida cum alcalicis fixis vel volatilibus; vel immutent, ut Chalybs cum adſtringentibus.

5. Si oleoſa, reſinoſa, vel gummi reſinæ, aquoſis miſcenda ſint, ſemper addendum vel Saccharum, vel Syrupus, vel Mel, vel Vitellus ovi.

6. Pulveres graviores & Mercurialia aquoſis non miſcenda; ſi autem leviores non miſcibiles pulveres admiſti ſunt, uſus tempore Medicamentum prius agitandum.

7. In longis morbis ſæpe mutanda forma Medicamenti, ne nauſeoſum fiat, & tandem nihil juvet, manente eadem curationis indicatione.

8. Quantum fieri poteſt gratiora eligenda.

9. In nauſeoſis, vomentibus, & teneris, aut ubi notabilis acrimonia prædominatur, a minima doſi ſæpe repetita eſt incipiendum.

10. Si nihil ſit agendum, ſatius eſt Medicamentum gratum, ſed nullius efficaciæ præſcribere, quam nullum.

11. In Morbis velociſſimis, promta præſcribenda Medicamenta.

12. Aromatica & volatilia nunquam coctioni, niſi vaſe probe clauſo, committenda.

13. Sales volatiles in pulveribus non exhibendi.

14. Satius eſt nimis parva, quam nimis magna doſi, peccare, in opiatis, purgantibus & vomitoriis.

TRACTATUS QUINQUAGESIMUS SEPTIMUS.

De *Adſtringentibus*.

I. QUæ Medicamenta faciunt, ut partes fibrarum ſolidæ, quibus applicata ſunt majori niſu ad ſe mutuo accedant, Adſtringentia, Conſtringentia, Conſtrictoria, Conſtrictiva, συστικὰ, σφιγκτικὰ, & συρὰ vocantur. *Definitio.*

II. In his non requiritur, ut habeant vim, qua faciunt, ut fibræ motu vitali magis agitentur, quum in coriaceis mortuis hanc vim quoque exerceant, & quædam eorum cum adſtrictione hac potius videantur minuere motum; quare ea, quæ motum ſimul augent & calorem, ſatius erit *Roborantia* vocare, ne multa damna ex præpoſtero eorum uſu fiant in curatione. *Non ſemper ſimul augent motum vitalem.*

III. Quum hæc æque agant in rebus non animatis, quam in viventibus, eorum actio in ſolidorum fabrica magis, quam in vitali cauſa perſcrutanda. *Actio in fabrica ſolida quærenda.*

IV. Demonſtratum eſt (T. I. 10.) accurtationem fibræ in ſpatiolorum a particulis elementaribus relictorum mutatione conſiſtere, quum partes ipſæ ſint immutabiles, & una alteram ingredi nequeat, ut faciat curtiorem fibram, videndum ergo quid faciant adſtringentia in ſpatiola hæc. *Mutant ſpatiola.*

V. Spatiola, cujuſcunque concipiantur figuræ, ſive parallelopipedi, ſive priſmatis, conſtant ſemper lateribus & duabus extremitatibus, ab atomis factis: ſi ergo curtior fiat fibra ſine augmento craſſitudinis, partes ad utramque extremitatem locatæ, propius ad ſe invicem accedere debent, & ita facere ſpatiola minora, & corpus denſius, ſeu ſpecifice gravius, maxime ſi ſimul propius accedunt latera, ut quandoque fieri videmus in corio adſtringenti querno cortice aſperſo. Sed ſi tantum dimoveantur latera ſpatiolorum, quantum extremitates accedunt, ut ita eadem maneat ſpatiolorum capacitas, craſſior quidem fit fibra, ut in motu forſan fit naturali, ſed minime meretur adſtrictio in hoc ſenſu vocari. *Acceſſu partium reddunt minora.*

VI. Triplici modo in nobis curtiores fiunt fibræ: 1. ut fit in motu muſculorum (T. XVIII.); medicamenta, quæ hoc efficiunt, in *Stimulantibus* deſcribuntur; 2. quæ fibras ſibi committunt vel adducunt, ut magis agere poſſint ſua inſita contractilitate; 3. quæ applicatione ſua hanc augent contractilitatem. *Triplex accurtatio.* *1. Auctio motu.*

VII. Omnibus in fibris, tam in vivente, quam in cadavere, licet minor vis eſt, qua nituntur extrema ſua adducere (T. I. 18.), ſi modo ſibi committantur: quæ ergo diſtendentem cauſam auferunt, pro adſtringentibus admitti poſſunt. Ita accurtantur 1. fibræ in varicibus, aneuriſmatibus, procidentiis, poſt ſubitas evacuationes puris, ſanguinis, lymphæ, & a partu, per ſuſtentacula, preſſiones, ligaturas, ſplenia & ſimilia; 2. Auferendo diſtendentem cauſam, ut evacuatione humoris coerciti, abſorptione humoris tenuioris, qui ſe inter ſolidas partes inſinuaverit; 3. expellendo quod conſtrictionem impediebat, ut ſunt frictiones & diſcutientia in partibus œdematoſis (confer T. XI. 6.). *2. Commiſſæ ſibi.*

VIII. Obſervamus in Praxi, Phyſiciſque experimentis, quædam corpori noſtro applicata, vel ingeſta, ſpeciali ſua virtute curtiores reddere fibras, vel ſi accurtari nequeant, quia ab aliis partibus ſuſtentantur, iſtas reddere magis trahentes. *3. Specifica adſtrictione.*

IX. Ex iſtis, quæ ſupra diſputata ſunt, liquet, adſtringentia hæc addere *partibus ſolidis*, quibus componuntur fibræ, majorem congregandi vim, qua particulæ, ad utramque extremitatem ſpatiolorum locatæ, magis ad ſe invicem accedere conantur (T. I. 10.): vel addere *particulis liquoris* in ſpatiolis contenti majorem potentiam, qua tentant in ſphæricam commutari figuram (T. I. 10. & 14.): vel utrumque ſimul agere. Etiamſi neſcimus, quid additur, aut auferatur, experientia tamen probat, tale quid fieri, & hoc ſufficit ſcire in Medicina, ad detegendas medicamentorum virtutes, & modum operandi. *Quid addunt partibus.*

X. Horum medicamentorum, quum magna ſit copia, ſelectus faciendus: quædam enim validiſſime, alia leniſſime, alia mediocriter agunt: quædam duntaxat *Selectus.*

ad

ad externum uſum, quædam interne & externe commode adhibentur : & quod obſervandum præprimis, omnia fere, præter adſtrictoriam, aliam quoque poſſidere virtutem, pauca mera adſtringentia eſſe, quin ſimul coagulent humores : quare in his virtutes medicamentorum ſpeciales examinandæ, antequam tuto iſtis uti liceat.

Effectus. XI. Adſtringentia fere omnia ſimul frigoris ſenſum inducunt ; quare proſunt evacuationibus, quæ ex majori motu concitantur.

2. Simul incraſſant humores tenues, qua virtute ſanant eryſipelas, morbos putridos, malignos, ex tenui corrupta bile.

3. Interne data magis agunt in viis primis, parum in ſanguine reliquiſque humoribus.

4. Cohibitæ evacuationes per adſtringentia, antequam materia peccans expulſa eſt, multa damna inferunt.

5. Nimius uſus, coagulando, & ita contrahendo vaſa, ut tranſitus impediatur, intolerabiles anxietates infert.

6. Sæpe metaptoſis malæ cauſam præbent applicata, retropellendo morbi materiam.

7. In motu aucto cum ſanguinis lentore nocent.

8. Curant ventriculi laxitatem, oculos lachrymantes, fauces, tonſillas, & uvulam tumefactas, diarrhœam in febribus putridis, ptyalyſmum, diabetem, æmoptoen, choleram, vomitum, bilis acrimoniam, eryſipelas.

9. Nocent in diarrhœa, dyſenteria, & cholera, non evacuata materia, podagra, lentore.

Auſtera. XII. Tam parum ab adſtringentibus diſtant, quæ *auſtera* dicuntur, ut vix verbis exprimi poſſit, niſi quod quædam inveniantur in adſtringentibus, quæ ſaporem auſterum non habent. Quare neque in catalogo, & virtutibus enarrandis vix videtur neceſſe auſtera ſeorſim colligere.

Quæſtiones. XIII. Ex dictis reſponſio prompta ad ſequentia.

1. An non licet rubedini cutis adhibere adſtringentia?
2. Quamdiu applicanda parti ab eryſipelate tentatæ?
3. An hæmoptoe in juvene, & menſium profluvium in femina debili iiſdem curanda?
4. An tumoribus lymphaticis tuto adhibentur?
5. Qua virtute Alcohol adſtringit?
6. An Alcohol interne datum ſiſtit adſtrictione ſua ſanguinem fluentem?
7. Quomodo adſtringentia quædam promovent menſes?
8. An hydropicis conveniunt, ad conſtringenda ſolida?
9. Cur curant quandoque intermittentem febrem?
10. An nunquam ſcirrho applicanda?
11. Cur cancris, qui ſævitia gliſcunt, adhibenda?
12. Quomodo anodyna quandoque fiunt?
13. Quoſnam humores diſcutiunt?
14. Cur proſunt eryſipelati, nocent inflammationi?
15. Cur aliis miſta ſæpe abſtergentia fiunt?
16. Cur morbis oculorum, oris, faucium frequentius adhibentur?
17. Cur cicatrizantia & dermatica?
18. Quomodo carnem luxurioſam, & polypum narium minuunt?
19. An ſtimulantia, quæ augent motum fibrarum, adſtringentia dicenda.

TRA-

TRACTATUS QUINQUAGESIMUS OCTAVUS.

De Roborantibus.

I. QUæ vero medicamenta priorem conſtrictionem (T. LVII.) augent, ſimulque faciunt motum vitalem majori potentia agere, *Roborantia*, *Conſortantia*, *Conſortativa*, *Firmantia*, *Confirmativa*, Græcis κρατυντικὰ, κρατωντικὰ & βεβαιωτικὰ, dicuntur. *Definitio.*

II. Horum ergo medicamentorum actio eſt duplex: 1. vi adſtringente urgere ſolida; 2. vi irritante agitare, ut ſe frequentius & validius moveant. *Actio duplex.*

III. Quare iis morbis adhibentur, in quibus hæc duo ſimul ſunt agenda: ut in laxitate, inertia, flacciditate, debilitate, *humiditate*, mobilitate, & minori motu, aut *languidiori ſolidorum*: humorum viſciditate, *acrimonia acida*, cacochymia, cruditate, craſſitudine frigida, ſpontanea corruptione catarrhoſa, levitate, tenuitate, & defectu. *Uſus in generalibus morbis.*

IV. Atque in iſtis, qui ab his generalibus dependent, ut in hydrope, *œdemate*, angina aquoſa, *pareſi*, beriberi, paralyſis & apoplexiæ quadam ſpecie, poſt aquæ & ſpirituoſorum abuſu debilitatis, dolore ex acri crudo humore, *flatibus*, *ictero* ex bile viſcida, cachexia, pallore, *chloroſi*, *inappetentia*, & alimentorum difficiliori coctione ex ventriculi viſciditate & laxitate; appetitu canino, pica, malacia, cardialgia ab acri crudo ventriculum vellicante; cholera, *diarrhœa*, lienteria, dyſenteria, teneſmo, expulſo acri ſi adfuerit, & hypercatharſi; vomitu, nauſea, ſingultu: *in fine multorum morborum*, qui debilitatem reliquerunt, vel morbum novum generarunt, ut in *rachitide* infantum, debilitate chronica ſenum, ſputatione ſeu aphthis ſalivoſis, animi frequentiori deliquio, *ſtoliditate*, motibus convulſivis, chorea Sancti Viti, palpitatione, *epilepſia*, hyſterica & hypochondriaca affectione, colica convulſiva, *febre chronica*, horrore, incubo, phthiſi nervoſa, *ſcorbuto*, *ſpirituum defectu*, torpore, tremore: atque in *copioſiori evacuatione* urinæ, ſalivæ, lactis, ſudoris, menſium, ob laxata vaſa & tenuitatem humorum; in gonorrhœa, leucorrhœa & ſimilibus: in morbis glandularum, nervorum, aurium, oculorum, oris, pudendorum; demum in capillorum defluvio, *hernia* & procidentia, efficacia ſunt, atque in *prohibita perſpiratione* excellunt, ſi fiat ex defectu propulſionis. *In ſpecialibus.*

V. Ex his cognoſcimus *Quæſtiones.*

1. Quæ differentia inter roborans, & adſtringens, & ſtimulans?
2. Cur quædam roborantia coctione fiunt adſtringentia? exemplo ſit Cinnamomum.
3. An ſtimulantia mera ſunt roborantia?
4. Quomodo referant obſtructiones?
5. Cur morbi oculorum, oris & pudendorum præ ceteris roborantibus curantur?
6. Cur roborantia inter multorum morborum prophylactica numerantur?
7. Cur præſtantiora in menſium profluvio quam hæmoptoe?
8. Quomodo menſes ſuppreſſos ducunt, & profluentes ſiſtunt?
9. Cur a leniſſimis incipiendum & minima doſi ſimul?
10. Cur roborantia ſunt diſcutientia?
11. Quomodo corporis calorem augent?

TRA-

TRACTATUS QUINQUAGESIMUS NONUS.

De Laxantibus.

Definitio. I. QUæ medicamenta, applicataque vel uſu interno, faciunt partes firmas ita mobiles, ut ab eadem cauſa tendente facilius elongentur, quam in ſanitate, vel antequam adhibeatur medicamentum, *Laxantia* vocant Medici, Græcis χαλασικά.

Qualia ſunt. II. Examinando laxitatis (T. VI. 2.) cauſas, facile invenimus, quænam medicamenta Laxantia ſunt; debent enim talem quoque inducere ſtatum, qui ab iſtis cauſis producitur.

Liquoris aucta quantitas per aquoſa. III. Talia ſunt medicamenta, 1. quæ augent quantitatem liquoris inter partes ſolidas, quibus efficitur, ut partes ſolidæ magis diſtent, ſpatiola ampliora & capaciora fiant, atque guttulę reddantur majores; quibus efficitur minor cohęrentia. Talia ſunt aquoſa pręprimis tepida, ſub forma fotus, cataplaſmatis, balnei, ſemicupii, clyſmatis, potus, vaporis &c. hęc, quamdiu adſunt, & laxant, & debilitant ſolida; ſed quia volatilia ſunt, nimis cito evaneſcunt, quando poſt ſe majorem relinquunt rigiditatem: *Humectantia* hęc vocari poſſunt.

Oleoſa. IV. Sin vero id, quod ingreditur ſpatiola, aliquam tenacitatem poſſideat, & non facile iterum avolet, quemadmodum *oleoſa*, *mollia*, *pinguia*, laxant quidem, ſed non facile admittunt integram ſolutionem: id autem incommodi habent, quod in loco calido acria facta, ſępe ſuo ſtimulo poſtea plus valeant irritando, quam ex ſua lubricitate laxent: horum operatio *Illinientibus* clarior.

Glutinoſa. V. Si accedens humor mucoſus, tenax & glutinoſus ſit, ut extracta mucilaginoſa ex plantis, quę mucagine abundant: farinoſa non fermentata cum aqua cocta: decocta glutinoſa ex partibus animalium: in principio laxant, ſed expulſo aquoſo, partes ita nectunt, ut deinceps vix ſolvi aut flecti poſſint.

Minuentia compactum. VI. Poſſumus quoque ad hoc genus referre cauſas, quę majorem liquoris quantitatem admittunt inter partes, minuendo compactum ſolidarum partium ad ſe invicem; qualia 1. ſunt quæ minuunt ſolidorum actionem, ut corporis quies, otium, ſomnus longior, animi pathemata, & cuncta, quæ minuunt motum (T. XXI. 2.) ut narcotica, refrigerantia; 2. quę minuunt preſſionem, ut omnes evacuationes ſanguinis & reliquorum humorum.

Calor major uſque ad coagulationis gradum. VII. Ad 2. claſſem pertinet *calor* ad coagulationis gradum uſque: ille enim diſponit omnes humores noſtri corporis in ſummam tenuitatem & non auget ſimul compingentem cauſam; dum vero calefacientia, quæ per auctam vim vitæ excitant majorem calorem, compingendo humores magis denſant, quam acquiſito calore liqueſcunt.

Minuentia cohæſionem. VIII. Tandem 3. quę cohęrentiam liquidorum & ſolidorum, atque eorum inter ſe minuunt, quaſi demerent attractionem inter partes naturalem, ut omnia *ſaponacea*, præprimis ſi ſtimulo carent, & quæ frigoris ſenſum inducunt; quales ſunt ſucci fructuum horęorum, & multorum olerum: hæc ſolida laxant & reſolvunt humores.

Uſus in omnibus differt. IX. Hęc omnia, quamvis laxent, non habent eandem in curandis morbis virtutem, ut patet, ſi quis cuncta ſeorſim examinet, quare vix aliquid generale proferre licet, præprimis ſi multa horum ſimul adhibeantur.

Uſus generalis in morbis. X. Ut autem conſtet, qualis horum uſus ſit primarius, quidam percurrendi ſunt morbi, ſecundum quos reliqui ſunt tractandi, nam omnes recitare nimis longum foret.

1. In nephritide ex renum calculo, aquoſa, mucilaginoſa & oleoſa: ſi vero fiat ex renum inflammatione, V. S. aquoſa, ſaponacea, aceſcentia.

2. In pleuritide & inflammatione, V. S. aquoſa, mucilaginoſa, quies.

3. In majori ſanguinis impetu, aquoſa, ſaponacea, aceſcentia, anodyna.

4. In

4. In rigiditate & ſiccitate, oleoſa & humectantia.
5. In combuſtione, humida, mucilaginoſa, oleoſa.
6. In menſibus ſuppreſſis, vapores calidi & humidi.

XI. Ut proſunt morbis quibuſdam, ita aliis obſunt, & eorum nimius uſus multos inducit morbos (vide T. VI. 3. & 4.). *Abuſus.*

XII. Ex dictis ſequentia intelligi poſſunt. *Quæſtiones.*

1. An laxitas non poteſt fieri in fibris ultimis, ſed tantum in vaſculis?
2. Cur primo laxat aqua, dein rigiditatem facit, ſi exhalaverit?
3. An fibræ nondum vaſculoſæ non admittunt elongationem, ſine integra ſolutione?
4. Quomodo laxantia vires augent & minuunt?
5. Cur illiniunt articulis, vi externa luxatis, pinguia & oleoſa chirurgi?
6. Cur corium poſt humectationem exſiccatum rigidius, quam ſi non fuiſſet humectatum?
7. Cur cutis eorum, qui ſæpe lavant, præprimis cum ſapone, frequenter contrahit rhagades, & aſperitudines?
8. Cur cutis aſperitudines, ariditas, & fiſſuræ, curantur pinguibus?
9. Cur otioſis ſolida laxiora?
10. Cur quies & ſomnus tantum juvant in acutis & inflammatoriis?
11. Cur actu calida laxant, potentia vero minus, imo ſæpe roborare videntur?
12. Cur venæ ſectio, purgans, ſudoriferum, diureticum, laxat?
13. Cur eſus fructuum horæorum laxat & refrigerat?
14. Cur aquæ calidæ vel tepidæ potus magis laxat, quam frigidæ?
15. Quare nephritis & urinæ ſuppreſſio quandoque melius curatur V. S. & purgante refrigerante, quam optimis lithontripticis?
16. Cur pars inflammata fomentis humectata non exponenda aeri nudo?
17. Quam ſpeciem menſium emanſionis curant laxantia humida?
18. Cur laxantia calide applicata refrigerare videntur?
19. Cur laxantia oleoſa combuſtis anodyna ſunt?
20. Cur clyſmata laxantia ſæpe curant colicam paſſionem?
21. Quomodo reſolvunt tumorem inflammatorium?
22. Quoſnam tumores diſcutiunt?
23. Cur dolores hyſterici leniuntur, ſed non curantur, laxantibus?

TRACTATUS SEXAGESIMUS.

De Indurantibus.

I. QUod medicamentum applicatum, vel exhibitum, facit partes noſtri corporis tenacius inter ſe cohærere, quam ut digito prementi tam facile cedant, quam ſolebant ante ejus uſum, *Indurans*, σκληρωτικὸν vocatur. *Definitio.*

II. Durior fit pars ſolida ad attactum: 1. validiore tenſione; 2. ablatione humidi inter partes elementares; 3. compactu partium arctiori ad ſe invicem; 4. majori glutinis tenacitate; 5. aucta vi attractrice, tam in glutine nectente, quam partibus ſolidis elementaribus; 6. compactu & inſpiſſatione humorum ab his ſolidis contentorum; 7. infarctione valida vaſorum; 8. frigore glaciali & majori calore. *Duritiei cauſa.*

III. Hæc omnia, vel multa horum, quæ faciunt, *Indurantia* dicuntur: quare huc pertinent *Exſiccantia*, *Compingentia*, *Incraſſantia*, *Adſtringentia*, *Auſtera*, *Abſorbentia*, *Stimulantia*, *Frigus glaciale*. *Quæ indurant.*

IV. Horum uſus excellit in ſcirrhoſis tumoribus, ſi cancrum veremur; in partibus tenerioribus, ſi ruptio immineat, vel attritum ſuſtentare debeant. *Uſus.*

V. Quoniam hæc, partibus carnoſis & membranoſis applicata, eas in callum con- *Callum generans.*

convertunt, eadem mutato nomine, *Cum generantia*, τυλωπκὰ, πωρωπκὰ, & ἐντυλωπκὰ dicuntur.

VI. Chirurgi autem per callum intelligunt concretionem ossium, qua ossa fracta conferruminantur, vel iterum concrescunt, qualia tunc medicamenta ὀστεοκολλὰ vel ὀστεογενικὰ dicuntur, & quia hæc fracturis ossium adhibentur, καταγλαπκὰ dicta sunt.

Cautela in his. VII. Ad hoc obtinendum requiritur, ut rite disposita sint ossa fracta, quieta serventur in eodem situ, modice prematur callus ne luxuriet, & curentur morbi calli generationem impedientes, tunc ipsa vis vitæ ex fracto osse emittet humorem glutinosum, sensim in ossis duritiem inspissandum, quo ossa firmiter coalescunt.

Quæstiones. VIII. Ex his patent

1. Cur cicatrices recentes spiritu vini abluendæ?
2. Cur pulveres siccos inspergunt chirurgi ulceribus dysepuloticis & carni luxuriosæ?
3. Cur cicatrizantia ex adstringentibus & exsiccantibus petuntur?
4. Cur a morsu muscarum tubercula sæpe dura?
5. Cur adstringentia sicca absolvunt curam palliativam scirrhi vetusti?
6. An vera callum generantia inveniuntur medicamenta?
7. Cur alcalia magis quam acida extolluntur in calli generatione?

TRACTATUS SEXAGESIMUS PRIMUS.

De Emollientibus.

Definitio. I. QUod facit partes facilius cedere causæ prementi, seu minus resistere mutationi situs, *Emolliens*, μαλακπκὸν seu μαλθακπκὸν vocatur.

Ex variis constant. II. Hæc mollitudo acquiritur; 1. minuendo vim tendentem evacuatione vasorum impletorum: 2. humidi copiam suppeditando; 3. minuendo impetum; 4. diluendo crassos intus contentos humores; 5. resolvendo concreta; 6. laxando solida; 7. tepore; 8. quiete; 9. ablatione virium attractricium inter partes.

Usus generalis. III. Horum multo frequentior quam indurantium est usus: in solidis enim minuunt rigiditatem, elasticitatem nimiam, contractionem majorem, motum validiorem; concreta fluida, & densa alvi excrementa, reddunt meabilia, & mollitie sua temperant humorum acrimoniam; defendunt latera ad duriorum & acrium transitum.

Specialis. IV. Inde ad sedandam inflammationem, in peripneumonia, pleuritide, phygethlo, furunculo, epinuctide, angina, anthrace, ophthalmia, termintho, rheumatismo externe & interne adhibentur: inde etiam in tussi, dysuria, stranguria, singultu, alvi fluxu, dysenteria, dyspnœa, cantharidum abusu, convulsione ex acri irritante, nephritide a calculo pungente, magnum solamen adferre solent: atque anchylosi ex induratis & constrictis ligamentis, excoriationi; escharæ, hæmorrhoidibus dolentibus; intestinis prolapsis refrigeratis; herniis, procidentiis, quæ difficulter intromitti possunt; rhagadibus & similibus multa præstant: partes contusas, combustas, gelu obstructas ad citiorem curationem deducunt.

Abusus. V. Horum autem usus damnandus in solidorum laxitate, & motu minori, visciditate humorum, post herniarum & procidentiæ restitutionem, in scirrho veteri.

Quæstiones. VI. Deducuntur ex his

1. Cur multa resolventia dicuntur emollientia?
2. Cur lenia purgantia alvum mollire dicuntur?
3. Cur emollientia quandoque leniunt dolores?
4. Quomodo referare valent obstructa?

5. Cur

5. Cur maturationem & ruptionem abſceſſus promovent?
6. Cur quidam colicus dolor ab hauſtu olei lini miteſcit?
7. Quomodo promovent calculi excretionem & mitigant dolorem in nephriticis?

TRACTATUS SEXAGESIMUS SECUNDUS.

De Humectantibus.

Definitio.

I. QUæ majorem humidi copiam faciunt admiſceri inter partes elementares, ſolida noſtra componentes, *Humectantia*, *Humidantia*, *Madefacientia* & *Madefactibilia*, Græcis ὑγραντικὰ appellantur, eadem hæc liquoribus miſta ad diluentia potius revocanda ſunt.

Ex humidi admiſtu.

II. Hoc præſtant: 1. quæ ingerendo, vel applicando, majorem copiam liquoris aquoſi ſuppeditant, ſub quavis forma; ſed quia aqua mera volatilis eſt, brevique tempore ſiccam & aridam relinqueret partem, inde magis humectant aquoſa mucilaginoſis & farinoſis miſta, retinentibus aquoſa: hæc autem ſe promptius inſinuant, tepida ſi adhibeantur, vel ſaponaceis aceſcentibus atque nitroſis adjuventur.

Ex prohibita humidi evacuatione.

III. Et quoniam in nobis 2. perpetua debet eſſe humidi exhalatio, ejus itaque evacuatio minuta vel prohibita humectant, etiamſi applicatum nihil humidi ſuppeditet.

Minori compactu.

IV. In nobis quoque 3. obſervamus denſatos humores minori motu vitali liqueſcere; & ſolida minus mota & minus tenſa, plus humidi inter ſuas partes admittere; atque ita ſine aucta liquoris copia humectatur corpus.

Reſolutione.

V. Tandem 4. humores denſi in liquamen converſi, ſive hoc fiat a medicamento epoto, ſive ex morbi quadam cauſa, humidum faciunt corpus, ſæpe cum diminuta copia liquoris.

Effectus.

VI. Humectantia laxant ſolida, inertia faciunt & flaccida, tenſionem minuunt, temperant nimium motum, & calorem, medentur ſiccitati, lentorem ſolvunt.

Uſus.

VII. Quare in rhagadibus, combuſtis, contuſis, criſpatione ſolidorum, aſperitudine, inflammatione, furunculo, anthrace, phygethlo, eſchara, pleuritide, peripneumonia, phrenitide, rheumatiſmo, principio febrium, tuſſi inani ex aſperæ arteriæ ſiccitate, menſibus obſtructis in viraginibus, aphthis, abſceſſu, fæcibus alvinis induratis, atrophia juvenum, hæmorrhoidibus dolentibus, multiſque aliis morbis ſumma remedia.

Abuſus.

VIII. Eorum autem frequentior uſus, & in morbis oppoſitis, magna damna attulit, ut rachitidem, œdemata, leucophlegmatiam, hydropem, cachexiam, chloroſin, debilitatem virium, & plura talia.

Corollaria.

IX. Ex his facile deducuntur

1. Cur purgantia educendo humidum tamen humectant?
2. Cur corpora ſicca æſtuantia a venæ ſectione refrigerantur, & ſæpe ſudoribus diffluunt?
3. Cur corpora quieſcentia humidiora quam exercitata?
4. Cur aqua tepida pota magis humectat, quam frigida?
5. Cur fructus horæi magis humectant, quam mera aquoſa?
6. Quomodo oleoſa & pinguia mollia inuncta humectant, quæ nihil humidi in ſe habent?
7. Cur bonum ſignum, ſi cataplaſma parti inflammatæ applicatum, diu humidum manet: protinus vero exſiccatum, augmentum morbi indicat?
8. Quomodo opiata humectant?
9. Quare in pleuritide ſicca cum tuſſi humectandum?
10. Quodnam genus tympanitidis, convulſionis, vertiginis, doloriſque capitis curatur humectantibus?

11. Cur paralysis ex colla pictonum humectantibus curatur?
12. Cur aquæ vapor, ore vel naribus haustus, tantum juvat in catarrho, tussi, peripneumonia?
13. Cur humida vestimenta multorum morborum causa?
14. Quando prohibent, vel augent insensibilem perspirationem?

TRACTATUS SEXAGESIMUS TERTIUS.

De Siccantibus.

Definitio. I. HUmidum superfluum partibus solidis adhærens, vel in cavitatulis, vasculisque stagnans, aut contentum, auferens, *Siccans*, *Desiccans*, *Exsiccans*, *Desiccativum* & *Arefaciens*, Græci ξηραντικὸν, ἐπιξηραντικὸν vocant.

Arenatio. II. Hoc, quia veteres frequentissime per arenam calidam & siccam perage-bant, *Arenatio* vel *Saburratio* seu ψαμμισμὸς huc referri debet.

In humoribus. III. Ad humores quoque Siccantia referri possunt, qui constant tenuioribus & crassioribus partibus, quatenus tenue auferendo, crassiores partes conjungendo, humores cum vasis suis continentibus in unum firmum corpus convertunt.

1. Absorbentibus. IV. Acquiritur hoc, 1. *Absorbentibus siccis* applicatis, ut est linteum siccum, sal decrepitatum siccissimum, furfures, milium, farinosa sicca, arena, pulveres, & integræ herbæ aromaticæ siccatæ, aer siccus calidus.

2. Expellentibus. V. Expellendo 2. per majorem motum humorem tenuem, ut sunt diaphoretica, sudorifera, purgantia, diuretica, calefacientia, discutientia, roborantia, frictiones cum asperis, siccis, motum circulatorium excitantia.

3. Detractione humidi. VI. Denique 3. suppeditando parciorem humidi copiam, qui tunc modus *victus exsiccans* vocatur.

Usus. VII. Usu siccantium accurtantur solida, & robustiora fiunt; aufertur abundans humor; restituitur æquilibrium; naturalem calorem revocant; acrimoniam tenuem volatilem abripiunt; putredinis progressum inhibent; perspirationem insensibilem augent; humores versus cutem alliciunt; carnem luxuriosam comprimunt; humores viscidos, ob inertia vasa stagnantes, movent, discutiunt; medentur ulceribus rheumaticis & fistulosis; ulceraque citius ad cicatricem perducunt: in angina aquosa, bronchocele, hydrocele, hydrocephalo, tumoribusque reliquis humidis & frigidis præcipua sunt: herniam & procidentiam restitutam firmant.

Abusus. VIII. Humores autem effusos, coagulatos, condensatos, magis inspissant; contusa, inflammata in scirrhum convertunt; tandem solida in callum commutant & rigida faciunt: partibus internis nocent, ut vulneribus, ulceribus, partibus prolapsis: inde natura partem apertam crusta tegit, sub qua ad consolidationem conducit vulnus.

Corollaria. IX. Inde patent
1. Cur nocent ambustis & contusis?
2. Quomodo abstergunt ulcera & fistulas?
3. Quare utilia erysipelatosis?
4. Quomodo & quæ evacuantia exsiccant & humectant?
5. Cur hydropicis victus exsiccans præcipua pars curationis?
6. Cur rachiticis semper sicca vestimenta induenda?
7. Cur videntur frigefacta calefacere?
8. Quæ species luxationis siccantibus curanda?
9. Cur externa siccantia compescunt alvi fluxum?

TRACTATUS SEXAGESIMUS QUARTUS.

De Corrodentibus.

I. PArtes firmæ noſtri corporis, quodam nixu & ope glutinis cohærentes, ſi actione applicati medicamenti vel veneni ſeparantur, quædam fit ſpecies ſolutæ unitatis: quæ, etiamſi propria corporis actione, a medicamento excitata, fiat, applicatis tamen adſcribitur; quorum operatio varia, dum deſtruunt cohæſionem, multa ſuggeſſit nomina. *Definitio.*

II. Nam ſi meram ſeparationem videntur facere, horum actio minus tuto, cito & jucunde quam ſectio, relinquit ulcus ſordidum, & ante aperturam factam eſchara ſolvenda eſt, ut dum aperitur abſceſſus ab applicato corrodente, *Rumpens*, & chirurgis *Ruptorium*; quibuſdam *Erodens* & *Peredens*; Græcis διαβρωτικὸν & διαιρετικόν: quo quoque referri poteſt *Divellens*, ἐκπλωτικόν. *Ruptorium.*

III. Horum actio, quia in corpore mortuo non obſervatur, magis quærenda in motu vitali ſuperſtite, quam in propria medicamenti energia: videntur quædam horum laxare ſolida tantum, ut imparia fiant ſuſtentare tenſionem, & motum naturalem: quædam vero majorem motum & tenſionem facere, quam ferre valet cohærentia fibrarum. *Actio in motu vitali quærenda.*

IV. Si vero præter ſeparationem a medicamento factam quædam pars ſolida ablata videatur, & conſumpta, *Exedens*, *Comedens*, *Exeſivum*, *Depaſcens*, διαβρωτικὸν, ἐσθιομενὸν & καθαιρετικὸν vocant: & quia hæc male inductam cicatricem auferunt, *Cicatricem delentia* dicuntur. *Exedens.*

V. Hæc prioribus validiora eſſe debent, dum non ſolum rumpi faciunt partes, ſed & totam cohærentiam ita deſtruunt, ut partes firmæ in liquamen convertantur; quare hæc carni luxurioſæ, ulceribus cancroſis, ſordidis, fiſtulis calloſis, paraphymoſi; ſarcomati, morſui venenato, malo mortuo, verrucis, acrochordoni, condylomati, mariſcæ, callo, elephantiæ, polypo, aliiſque morbis cutaneis adhibentur, ut tota auferatur maſſa. *Effectus.*

VI. Sed medicamentum in lacinias veluti diſrumpens ſolida, quaſi morſu dentium inæqualiter fuiſſent ſeparata, *Corrodens*, *Corroſivum* & διαιρετικὸν vocant; vel & cum prioribus confundunt, ob ſimilitudinem ſummam. *Corrodens.*

VII. Videntur hæc paulo mitius agere, quam exedentia (4.), quia ſolida ab his minus liqueſcunt; quare in prioribus morbis (5.) ſi mitius agere volumus, hæc eligenda ſunt; tum etiam in morbis, qui non exigunt validiſſima, ut in cerio, ſcabie, porrigine, vitiligine, maculis, gutta roſacea, hydrocele. *Effectus.*

VIII. Quæ autem ex laceratis ſolidis, confuſis & concretis liquoribus, cruſtam relinquunt mortuam, vivis adhuc adhærentem, ἐσχαρωτικὰ vocant, qualia fere omnia præcedentia. *Eſcharoticum.*

IX. Hæc quia circulationem in cruſta genita ſiſtunt, tranſitumque ex ea ad partes ſanas viventeſque intercipiunt, præſtantiſſima ſunt, ſi maligni humoris metaptoſin veremur; ut in ulceribus phagedænis, cancroſis, ſphacelo prorepente, morſu rabidorum, hæmorrhagiis, ſi aliter ſiſti nequeant; vel ſi magna apertura ſit facienda in partibus flaccidis, ut in ſcroto hydrocele laborantis. *Effectus.*

X. Poſt factam cruſtam, tentanda eſt ejus ſeparatio, ut dictum eſt (T. XLVIII. 10.); niſi hæmorrhagiæ metus ejus ſolutionem prohibeat. *Curatio eſcharæ.*

XI. Tandem multa ex his ſimul excitant igneum ardorem, ac ſi verus ignis admotus fuiſſet, quæ inde *Urentia*, *Ignis potentialis*, καυτήριον, καυστικὸν ſeu πυρωτικὸν vocantur. *Cauterium* vero *actuale* ad Inſtrumenta chirurgica refertur. Quæ applicata ſimilem ardorem excitant, ſine partis deſtructione, vel cum ſola *veſicularum* elevatione & *rubedine* partis, ad *Stimulantia* potius reducere volui. *Urens.*

XII. Quoniam ignis ipſe, corpori applicatus, a mente noſtra non percipitur, ſed id mutatum in noſtro corpore ab igne, inde ſi ſimilis mutatio ab his medi- *Effectus.*

camen-

camentis ad thermometrum etiam frigidis in nobis producitur, mens noſtra judicat, partem affectam igne vero comburi. Horum actio itaque ex cauſa naturali in nobis calorem excitante explicanda, quæ ab irritante hoc medicamento major fit & validius agens: quoque ex his liquoribus miſſa incaleſcunt.

Putrefaciens. XIII. In hac quoque claſſe reperiuntur, quæ ſua maligna indole ſimilem inducunt corruptelam, ac ſi revera pars putredine periiſſet, inde σηπτικὰ vel σηποποιὰ dicta, a quibus potius abſtinendum, ne reliquos quoque humores inficiant. (T. XXXVII. 8.)

Generalia obſervanda. XIV. In his omnibus obſervandum.

1. Venenata eſſe, ſi ergo miſcentur humoribus circulantibus, ſæpe interficere.

2. Actionem corrodentium determinandam emplaſtris tenacibus, ne diffluant, & aliena loca aggrediantur.

3. Validiſſima eſſe ſtimulantia, doloreſque ſummos excitare.

4. Variis in locis pro natura partis differre eorum operationes.

5. Partes acutiſſimo ſenſu præditas, ut oculi, aures, mitiſſima ex iis poſcere.

6. Apoplecticis, paralyticis, & viſcidis, magis ſtimulandi, quam corrodendi ſpe applicari.

7. In combuſtis, contuſis, Eſchara, ulceribus ſordidis, depurantia eſſe efficaciſſima.

Corollaria. XV. Ex his patent.

1. Quomodo laxantia juvant abſceſſus diſruptionem?

2. Cur quædam actu frigida nobis calidiſſima videntur?

3. Cur fere omnia corrodentia, ante deſtructionem, ſummum ardorem excitare ſolent.

4. Cur cauſtica quandoque leniunt dolores arthriticos?

5. Cur ſæpe dira ſymptomata ab applicatis corrodentibus?

6. Cur quædam ulcera ſordida non niſi cauſticis depurantur?

TRACTATUS SEXAGESIMUS QUINTUS.

De Conſolidantibus.

Conſolidans. I. QUæ medicamenta, ut & auxilia chirurgica, partes ſolidas, vi quadam ſeparatas vel ruptas, ita iterum jungunt, ut coaleſcant vel ferruminentur, *Conſolidantia*, *Conſolidativa*, & *Conſolidatura* vocantur.

Glutinans. II. Hic coalitus quia frequentiſſime fit interveniente glutine, vel quia putarunt ſine eo concreſcere non poſſe partes, *Glutinans*, *Glutinatorium*, *Conglutinans*, *Adglutinans*, Græcis κολλητικὸν, παρακολλητικὸν & ἀνακόλλημα in eodem ſenſu adhibuere: quo etiam referri poſſunt Emplaſtra *tenacia adhæſiva*, quibus labia vulneris detinentur, ne dehiſcant, hic modus deligandi a Chirurgis *futura ſicca* vocatur: gluten hoc, quia caret motu vitali, etiamſi in principio validiſſimam cohæſionem faciat, ſenſim ſeparari debet; inde tale interpoſitum gluten remoratur conſolidationem.

Conſolidationis materia. III. In omnibus fibris vis quædam eſt ſe accurtans, qua ſeparatæ partes ſuſtentaculo privatæ ſenſim magis dehiſcunt: & nudæ partes in homine vivente ſe mutuo tangentes aliquamdiu ita coaleſcunt, ut deinceps ſine laceratione ſeparari nequeant.

Adductio. IV. Ad Conſolidationem itaque requiritur, ut hiſcentes partes eouſque adducantur, donec ſe mutuo modice tangant, (nam validior compreſſio ſuffocat motum in vaſis ſe mutuo tangentibus,) & retineantur quietæ in eodem ſitu: hoc præprimis arte chirurgica comparatur, per ſplenia, ligaturas, futuras, emplaſtra tenacia, artificioſe adhibita.

Depuratio. V. Si modo aliquid ſit interpoſitum, vel ſi latera tangentia ſint glabra, nondum coaleſcunt: requiritur itaque ad conſolidationem, auferantur ſordes, vel cor-

pora

pora aliena interpoſita ; unde abſtergentia ſæpe ſumma habentur conſolidantia ; imo corrodentia ; ſi calloſa ora ulceris conſumenda ſint , vel glabra latera fiſtulæ & ſinus purulenti auferenda : quæ ſi ad loca pervenire nequeant , quandoque inſtrumentis fiſtulæ & ſinus aperienda , & denudanda ſunt .

Spontanea curatio.

VI. Tali modo ſi tractetur , ſponte ſua pars ad conſolidationem pervenit ſemper in homine ſano : verum multæ ſunt cauſæ , quæ hanc benignam remorantur curationem , & inde in locis læſis , quæ difficulter ad curationem perducuntur , varia debet eſſe medela .

In tenuitate humorum.

VII. Si enim tanta ſit in humoribus tenuitas , ut nimis facile perfluant , ex ſuis ſignis detegenda (T. XLIV.) : ex conſolidantibus eligenda quæ incraſſant , qualia ſunt mucilaginoſa , glutinoſa cum leni adſtrictione .

Acrimonia.

VIII. Varia genera quoque acrimoniæ (T. XXXVIII. & T. XLV. 45. ad 69.) conſolidationem inhibent , quibus curatis , breviter ad ſanitatem perfectam pervenitur .

Putredine.

IX. Frequentiſſime ex putredine , vel in toto corpore nata (T. XXXVII.) , vel depoſita ad partem conſolidandam , vel ex humoribus , etiamſi fuerint boni , ſtagnando in parte corruptis , retardatur , vel omnino prohibetur conſolidatio : quare præter generalia interne data (T. XXXVII.) , topica talia ſunt adhibenda , quæ vocantur *antiſeptica* & *balſamica* , quæque ſimul leni adſtrictione prædita ſunt .

Laxitate.

X. Vaſa ſuſtentaculo orbata , ab impetu interno , præprimis ſi ſimul laxiora ſint , nimis diſtenta , carnem luxurioſam , & tumores fungoſos producunt : quod inſcitiæ Chirurgorum ſæpe adſcribendum ; qui mollia , pinguia , & humida ſine judicio omnibus vulneribus & ulceribus adhibent : hoc in caſu interne præſcribenda , quæ in *Laxitate* (T. VI.) propoſita ſunt : externe topica *adſtringentia* (T. LVI.) applicanda , primo modica , ſi non auſcultat malum , ad fortiora deveniendum ; imo ad ea , quæ ſimul ſunt *Cathæretica* : interim pars leviter comprimenda .

Cautelæ.

XI. In uſu horum omnium attendendum , ne pars conſolidanda nimis diu aeri , præprimis frigido , exponatur , quum vaſa exſiccata , vel humores in iis ex frigore concreti , curationi obſint .

Diæta.

XII. Diæta generalis cauſis appropriata eſſe debet , & quæ bonum chylum utcunque glutinoſum ſanguini communicat , quare ſæpe per *ſtomachica* plus efficere poſſumus ad conſolidationem , quam ullis aliis medicamentis . Evitanda ſalſa , acria , cruda , concoctu difficilia .

Vulneraria.

XIII. Quoniam iiſdem his utimur in curatione vulnerum , hæc quoque *Vulneraria* ſeu τραυματικὰ vocantur .

Carnem generantia.

XIV. Et quia citius iis portio carnis in vulnere , ulcere , & abſceſſu , amiſſa renaſcitur , *Carnem generantia* , *Incarnantia* , *Incarnativa* , σαρκωτικὰ dicta ſunt ; vel & *Replentia* , ἀναπληρωτικὰ ſeu ἀναπληρωματικά .

Callum generantia.

XV. Si vero id fiat in oſſibus fractis , καταγματικὸν , ὀστεοκολλὸν vel ὀστεογενικὸν vocatur (T. LX. 6. & 7.)

Cicatrizantia

XVI. His , quæ paulo magis exſiccant & adſtringunt , citius regeneratur cutis in ulcere vel vulnere aperto , inde δερματικὰ dicta ; atque locus apertus promptius cicatrice obducitur , unde *Cicatrizantia* , ἐπουλωτικὰ , κατουλωτικὰ , ἐπιδερμικὰ & σωτουλωτικὰ vocata . Ulcus autem ex combuſtione magis laxantia exigit : & cicatrix facta ſpiritu vini vel liquore adſtringente abluenda , atque non nimis cito aeri nudo exponenda .

Corollaria.

XVII. Ex dictis patent .

1. Cur non debemus citiſſime per adſtringentia vulnera & ulcera obducere cicatrice ?

2. Quamobrem in cicatricibus ſæpe perſentiunt tempeſtates futuras ?

3. Cur ſinus purulentus ſpleniis modice comprimendus , vel , ſi profundius hæreat , aperiendus ?

4. Cur

4. Cur portionem liquoris abſtergentis medicamenti injecti relinquunt Chirurgi in ſinu purulento?
5. An generalia inveniuntur vulneraria?
6. Cur pinguia & mollia ſæpe carnem luxurioſam generant?
7. An aer ſua maligna indole ulceribus & vulneribus nocivus?

TRACTATUS SEXAGESIMUS SEXTUS.

De Obvolventibus.

Definitio. I. MEdicamenta tanta tenacitate donata, ut, acrimoniæ alicui miſta, ita tegant eminentes partes lædentes, ne noſtrum corpus afficere vel vellicare poſſint, *Obvolventia* dicuntur Medicis: in his quoque nihil acre adeſſe debet, ne ſtimulando magis moveant, quam obvolvendo tegant acre hærens in corpore.

Demulcentia. II. Ab his quia compeſcitur dolor & mitigatur vellicans cauſa, interponendo mollia inter partem ſentientem & acre rodens, idem medicamentum vocatur *Demulcens* ſeu παρηγορικόν.

Lubricantia. III. Hæc obvolventia non ſolum defendunt partem, ſed quoniam in nobis continuus motus fieri debet, qui retardatur aſperitate, ſiccitate, & validiori continua conſtrictione a ſtimulo, per hæc medicamenta quia latera vaſorum obducuntur, tollitur remora ex aſperitate, humectantur ſicca, & compeſcitur contractilitas ex ſtimulo nata, motus facilior redditur lubricando, quamobrem tunc *Lubricantia* dicuntur; uti mucilaginoſa & oleoſa in fæcibus alvinis induratis, & calculo hærente in viis urinæ, fiunt lubricantia.

Medicamenta ex vegetabilibus. IV. Varia genera medicamentorum ad hunc titulum concurrunt, quæ regnum vegetabile & animale ſuppeditant, nam ex mineralibus pauca ſi ulla inveniuntur. Ex vegetabilibus ſunt *Olea blanda* expreſſa ex ſeminibus oleoſis; *gummi inſipida* inodora; *herbæ molles mucilaginoſæ*; *olera* fere omnia; ipſa *farinoſa* in pultem redacta: hæc ſimplicia vel & maxime inter ſe miſta applicari vel ingeri poſſunt; uti fomenta, linimenta, emplaſtra, cataplaſmata, vapor, linctus, decocta, emulſiones, clyſmata, injectiones.

Ex animalibus. V. Animalia duplex genus ſuppeditant, pinguia ſcilicet & gelatinoſa: ita ipſa *pinguedo*, adeps, axungia, medulla oſſium, butyrum inſulſum, cremor lactis, cera ab apibus collecta: *gelatinoſa*, ut decocta ſpiſſa carnis, oſſium, ligamentorum, membranarum, tendinum, corii, albumen ovi; *vitellus* autem ex animalibus, *ſaccharata* & *mellita* ex vegetabilibus, quia *ſaponacea ſunt*, haud recte ad hunc titulum referuntur, ſed oleum ovorum ſaponacitate privatum huc pertinet.

Uſus internus. VI. Hæc fere omnia, quoniam petuntur ex alimentis, *analeptica* ſunt: obtegendo quodvis acre impediunt veneni & vomitoriorum aſſumtorum efficaciam, & eorum eductionem facilitant; *dolorem ventriculi* ex acrimonia humorum in ventriculi vel inteſtinorum cavo hærentium mitigant; *dolorem colicum* ex aſperis & duris excrementis curant; latera nuda dolentia ad attactum tegunt: ita *facilitant deglutitionem* poſt tranſitum boli durioris, vel ex nimia tenuitate aut defectu mucilaginis naturalis faucium & œſophagi ita quoque *laxant alvum* ſiccitate laterum inteſtinorum ſuppreſſam; medentur *ſtrangurix* & *Dyſuriæ*, poſt calculi tranſitum; compeſcunt *mictum cruentum* ex cantharidum abuſu; *hæmorrhoidum dolores* leniunt, & *teneſmum* curant: compeſcunt *ſingultum*: imo ſi miſceantur humoribus acribus fluentibus ex ipſa parte, dolores *nephriticos* & *pleuriticos* mitigant, ſi ex lympha tenui acri oriantur: lubricando vias multas *evacuationes promovent*: motum adauctum, convulſionem, & calorem temperant, obvolvendo ſtimulantem cauſam, quare *refrigerare* quandoque videntur.

Externus. VII. Frequentiſſime ſub forma fomenti, cataplaſmatis, linimenti, clyſmatis, injectionis, gargariſmatis, adhibentur ad aſperitatem faucium & cutis, excoriata, Rhagades, roſiones ex ichore cancri vel ulceris mali moris vel fiſtulæ, ad

teneſ-

teneſmum, indurata alvi excrementa, hæmorrhoides dolentes, difficilem partum ex ſiccitate viarum.

VIII. Non tamen judicandum, nihil damni provenire ex his; ſi enim humor acris ex partis ſubſtantia fluere debet, occludendo poros, acre ſtagnando fit acrius: ſi ex *vegetabilibus* ſumantur in corpore debili, quia brevi aceſcunt, mira tormina pariunt: ſi ex *oleoſis* petuntur, vel ex partibus animalium, in morbis acutis, hæc majori calore, vel in rancorem, vel putredinem alcalinam convertuntur. *Damna.*

IX. Ex his reſponſio facilis. *Corollaria.*

1. Cur injiciunt oleum lini vel raparum in colica ex fæcibus induratis?

2. Cur oleum amygdalarum dulce mitigat dolorem nephriticum, & promovet calculi evacuationem?

3. Cur ad nates unguentum illiniendum in intertrigine?

4. Quibus curanda iſchuria & ſtranguria poſt calculi tranſitum?

5. Cur dant cochlear unum olei infanti ventris torminibus laboranti?

6. Cur hæc ſæpe anodyna?

7. Quibus cutis brevi ab inunctione rubet & prurit?

8. Cur eryſipelatoſi non ferunt pinguia?

9. Cur poſt pinguium & juris nimis ſpiſſi eſum ſæpe ructus nidoroſus?

10. An pinguia danda in morbis acutis?

11. An recte dant ſaccharum, ſyrupum & mel, vel vitellum ovi ad obvolvendum, quia tenacia ſunt?

12. Cur dolor ex acrimonia ſucci nervoſi ſolet exaſperari ab obvolventibus?

13. Quæ nephritis & cardialgia & colica augetur ab obvolventibus? quæ mitefcit?

TRACTATUS SEXAGESIMUS SEPTIMUS.

De Evacuantibus.

I. QUoniam homo vivens ita natus, ut propria actione vitali periret, ſi nova non ingereret; idque ingeſtum quoque corrumperetur; neceſſe erat ergo, ut tanta copia auferatur, quanta fuerit ingeſta, niſi homo mole increſat vel minuatur. *Evacuationis neceſſitas.*

II. Inde *naturales evacuationes* datæ ſunt, quibus id inutile factum & ſuperfluum educeretur, quandoque vero bona ſimul exeunt cum levamine, ſi abundant. *Sæpe utile exit.*

III. Per eaſdem has quoque vias morborum materia, præprimis ſi ſit in liquoribus, educitur, antequam perfecta recuperatur ſanitas: rariſſime enim liquor morboſus factus ita aſſimilari poteſt, ut ſanam induat indolem. *Et morboſus humor.*

IV. Utitur natura emunctoriis ad hæc educenda: 1. *conſuetis*, alvo, renibus, cute ad evacuanda perſpirabilia: 2. *minus conſuetis*, naribus, ore ad evacuandum ventriculi contenta moleſta, & quæ eo confluunt aliena ex pulmonibus & membrana pituitaria, oculis, auribus, pudendis: 3. *inconſuetis* & veluti artificioſis, dum alicubi aperturam pandit effundentem liquorem; quæ non eſt in corpore ſano. *Emunctoria.*

V. Quæ medicamenta vero, vel naturalem horum humorum fluxum augent, vel minorem ad ſolitum redigunt, vel ſuppreſſum revocant, *Evacuantia*, *Exinanientia* & *Educentia* dicuntur, quæ Græcis παγχυμαγωγὰ vocari poſſunt, quamvis hæc ſoleant ad alvum ducentia reduci. *Panchymagoga.*

VI. Hæc iterum differunt, aliaque accipiunt nomina: 1. ex humoribus, quos expellunt per idem emunctorium, uti μελαναγωγὰ, χολαγωγὰ, φλεγμαγωγὰ, ὑδραγωγὰ: 2. per emunctoria varia, uti purgans, vomitorium, διαφητικὸν, ſudoriferum &c. de quibus in humoribus particularibus infra eſt agendum. *Evacuantium varia nomina.*

Evacuationis requisita. VII. Ad evacuationem hæc requiruntur ; 1. humoris præsentia ; 2. aptitudo, ut possit per emunctorium naturalem educi ; 3. liquor fluxilis ; 4. via aperta vasorum usque ad organum evacuans, & ipsius emunctorii ; 5. causa urgens a tergo.

VIII. Medicamenta igitur *Evacuantia* quædam horum, vel omnia simul, præstare debent.

Addita copia. IX. Quæ suppeditando copiam operantur, copiosiorem faciunt evacuationem, sed non minuunt quantitatem totius ; imo quandoque augent, & magis dilutam relinquunt massam : hæc igitur adhibentur, si in humorum defectu, crassitudine, vel lentore, quædam evacuatio est molienda : eligi possunt ex diluentibus (T. LXXVIII.).

Mutata indole. X. Sæpe accidit, ut abundet in nobis humor, viæque sint apertæ, minime tamen exeat, ut in hydropicis, & in largiori potione cum suppressa urina, experimur : dato vero medicamento, quod liquoris cumulum ad emunctorium determinat, vel potius ejus indolem ita invertit, ut jam possit per excretorium eliminari, protinus ingens copia effluit.

Resolvens generale vel speciale. XI. Duplex genus evacuantium in his, quæ fluxilem reddunt humorem, occurrit : primum, quod humores ad quamcumque evacuationem disponit, ut sunt fere omnia resolventia & attenuantia (T. LXXIX.) ; alterum, quod specialem alicujus humoris evacuationem auget ; de quibus postea, ubi de humoribus specialibus acturi sumus : interim tamen multa ex his non carent resolutione totius massæ.

In quibus humoribus. XII. Qui ergo vitiosi in nobis humores semper idem aggrediuntur emunctorium ut exeant, istis universalia hæc quidem medentur, sed in specialibus observandus naturæ ordo.

Fluor conciliandus. XIII. Cum evacuatio est in liquoribus quoque loci mutatio, per determinata vasa, tanta igitur in liquoribus evacuandis requiritur partium suarum parvitas, ut ingredi possint orificia excretoriorum, quæ semper circulantibus vasis exiliora sunt ; & tam parva inter se ipsas, & inter solida coercentia, cohæsio, quæ non superat propellentem causam : quæ ergo solvunt concreta, vel destruunt tenacitatem, universalia sunt evacuantia ; quæ in humorum visciditate, lentore, crassitudine & glutinositate adhibentur, antequam evacuationem meditamur. Sed quia Resolvens non omne concretum in fluorem redigit (vid. T. LXXIX.), ex istis eligendum tale, quod speciali concretioni dicatum est.

Apertura. XIV. Ex eadem quoque ratione, si ex obstructione circulantium ad organum secernens, vel emissariorum, subsistat evacuatio, medicamenta aperientia (T. LXXXII.) evacuantia fiunt : quæ iterum varia, ex obstructionis causa multiplici, esse debent.

Moventia. XV. Sæpe etiam subsistit evacuatio, si debilior sit impetus, quam requiritur ad aperienda vasa contractilia, & superandam cohæsionem partium, humorem secernendum componentium : inde in solidorum laxitate, inertia & debiliori motu, medicamenta calefacientia, motum augentia, & ipsius corporis motus, evacuationem promovent.

In majori copia. XVI. Dum exhibetur evacuans, videndum, an abundet humor in corpore : tunc enim revocatur calor, vires debilitatæ eriguntur, & symptomata reliqua, ex majori copia nata, evanescunt.

In mediocri. XVII. Si mediocris sit in homine humorum bonorum quantitas, evacuans datum debilitat, destruendo æquilibrium : quare non expedit his propinare evacuantia, nisi pandere velimus viam ad medicamentorum ingressum ; vel tempestas ea instat, in qua ferre non possumus solitam liquorum quantitatem. Morbi, qui ex dato evacuante tunc sequi solent, ex humorum defectu (T. XXXII. 18.) intelliguntur.

In parciori. XVIII. Etiamsi multi omni in morbo præcipiant evacuandum esse, uti in mobilitate solidorum, debilitate chronica, febre intermittente diuturniore, passione hysterica, scorbuto, hecticis, aliisque morbis chronicis diuturnioribus, post evacua-

vacuationes copioſiores, relictis, ut ſomniatos humores morboſos educant; quia vero ſolos malignos educere non poſſumus, intactis bonis, plus ſæpe damni ex humorum defectu expectandum, quam emolumenti ex parva humoris mali eductione.

XIX. Imo vero, quamvis ducantur humores mali poſt eorum acervatam evacuationem, uti puris in empyemate, laticis in hydropicis, inopinata mors interim obrepit, & pœnam luunt prepoſteræ evacuationis. *In materia morbi.*

XX. Quæ autem regulæ ſpeciales in quavis evacuatione ſervandæ ſunt, ſuis locis exhibebuntur. *Speciales regulæ.*

XXI. Quia excretoria vaſa omnia anguſtiora ſunt, quam eſt magnitudo particularum in noſtris humoribus, ſi excipiantur inteſtina contenta ſua educentia; inde omnes evacuationes partem tenuiorem auferunt. Quod autem quandoque remanentem maſſam relinquant fluidiorem, id vel 1. provenit ex virtute reſolvente medicamenti; vel 2. minuta compingente cauſa; vel 3. ex copioſiori liquoris ingeſtione. Quare non ſemper poſt factam evacuationem relinquitur humor craſſior. *Evacuans tenue.*

XXII. Ex dictis deducuntur ſequentia. *Corollaria.*

1. An nullum ſpecificum evacuans?

2. Cur mutato regimine, per unum evacuans, varias poſſumus producere evacuationes?

3. Cur reſolventia, evacuantibus miſta, eorum augent efficaciam?

4. Cur multa evacuantia, parciori doſi data, fiunt reſolventia?

5. Cur ſcitu neceſſarium, per quodnam organum natura ſolet exterminare morboſum?

6. Cur fotu ad lumbos ſæpe promovetur urinæ ſecretio?

7. Cur frictiones tam utiles ad promovendam Diaphoreſin?

8. Cur motus corporis, poſt largiorem aquæ potum, majorem urinæ ſecretionem excitat, quam ſi corpus quieſceret?

9. Cur vectio in rheda, non conſuetis, majorem urinæ ſecretionem facit?

10. Cur ab iiſdem medicamentis, in diverſis hominibus, evacuatio augetur & minuitur?

11. Cur ab evacuantibus frequentioribus exhibitis, in podagricis & febre intermittente, ſæpe hydrops?

12. Cur abſtinendum ab evacuantibus, ſi per roborantia tentamus morbi chronici curationem?

13. An in hecticis humorum malignitas evacuantibus depuranda?

14. Cur evacuatione tenuioris, remanens maſſa ſæpe relinquitur dilutior?

15. Cur purgantia & vomitoria maxime, diuretica & ſudorifera minus debilitant, diaphoretica omnium minime?

TRACTATUS SEXAGESIMUS OCTAVUS.

De Abſorbentibus.

I. QUæ humidum aquoſum vel ex aere, vel alio corpore humido, evocant, & ita abliguriunt, ut a liquore recepto in ſuis ſpatiolis augeantur pondere, vix cum ullo voluminis augmento, *Abſorbentia* ſeu ἀναπίνοντα vocantur. *Definitio.*

II. Duplex in his obſervatur genus; alterum quod ab accepto liquore liqueſcit, uti ſunt *Sales* ſicci humidum avidiſſime imbibentes, donec ſaturati ſunt, ſeu in fluorem redacti, quando hæc ceſſat actio. Horum ergo uſus duntaxat externus, ſi iſtis abſorbere eſt animus, & non relinquendi diutius, quam donec liqueſcere incipiant; poſtea enim, vel interne dati, reſolventem & ſtimulantem exercent virtutem. Ne nimis cito liqueſcant hi ſales ſicci, quibuſdam farinoſis pulveribus ſiccis aſpergantur. *Abſorbentia liqueſcentia.*

Non liquescentia. III. Alterum vero genus a recepto liquore non liquescit, imo quædam ex his *Bibulis* indurescunt potius, ut multa ex vegetabilibus, alia autem cum accedente liquore in pultem convertuntur. *Terrestria* sicca humorem *Imbibentia*, *Saturantia* vocant: quæ cum simul acrimoniam acidam infringant, doloris frequentissimam causam, *Temperantia* & *Concentrantia* dicta sunt.

Usus externus. IV. Horum vero actio tandem cessat, minus in oppositam abeunt operationem quam priora. Externe applicata, humiditatem superfluam in se recipiendo, Exsiccantium (T. LXIII.) virtutem exercent; quare adhibentur manantibus ulceribus, & ut citius inducatur cicatrix; compescunt luxuriosam carnem, humorem tenuem, tam salinum quam biliosum absorbendo, ut in serpigine, erysipelate, igne sacro, humorem ichorosum fundente, pruritum & dolorem mitigant. Et quoniam ablato humido coercetur putredo, tumoribus cancrosis vel scirrhosis, qui auferri nequeunt, & quorum transitum in cancrum veremur, ad curam palliativam adhibentur. Ab his vero abstinendum, si pars exsiccata damnum adferet.

Internus. V. Ore assumpta multo minus præstant quam prædicatur a multis, sentientibus omnem temperare acrimoniam, obcœcatis futili hypothesi, qua contendunt omnium fere morborum causam esse acidum, dum hoc solis ingestis debet originem, & raro ultra primas vias operatur: neque cogitant, pulveres terrestres oscula lacteorum ingredi non posse; absorptionemque cessare, quam primum saturati sunt, inde ad absorbendum minime valere, sed exstinguendo in primis viis acidum, ut ita intercipiant acidi productionem per reliquum corpus, præcipuam operationis partem absolvere.

In quibus morbis. VI. Inde in ventriculi intestinorumque morbis, cardialgia, acore ventriculi, colica passione, aliisque ventris torminibus, excrementis acidum spirantibus eruginosis, reliquisque morbis primarum viarum ab acido spontaneo natis, præstantissima sunt; hinc Harris morborum omnium in infantibus curationem in his posuit; cum tenella hęc ętas, non nisi acescentibus nutrita, frequentissime torminibus ventris, imo convulsionibus ab acido, primas vias vellicante, vexatur. Si autem admiscentur his sales lixivioſi, & tunc dentur parva copia simul, ne molestam excitent in ventriculo effervescentiam, multo certius curant: nam viscidum, quod fere semper huic acido admistum est, cum his absorbentibus in molem densam, vix solubilem compingitur, multas molestias in præcordiis excitantem. Si vero recens natorum convulsiones ex meconio retento & acriori facto nascantur, absorbentia hæc plus damni quam juvaminis adferunt, quum meconium fuisset diluendum & educendum?

Operandi modus. VII. Absorbentia hæc liquorem applicatum, tam in vacuo Torricelliano, quam in aere aperto, & æque sursum & deorsum, quam ad latera ducendum, abliguriunt: imo quædam vi & sibilo in se trahunt humidum; quare vis externa premens aeris vel ætheris perperam statuitur hujus actionis causa, quæ ex amicitia summa inter absorbens & absorbendum, erat deducenda.

Corollaria. VIII. Ex Præcedentibus clara sunt.

1. Cur lintea sicca, pulveribus absorbentibus aspersa, applicant parti erysipelate tentatæ?
2. Cur vestimenta sicca juvant insensibilem perspirationem?
3. Cur aer siccus sanitati conducit?
4. Quomodo cucuphæ & epithemata sicca medentur doloribus capitis?
5. Cur admiscent salem decrepitatum siccum epithematibus, quæ tumoribus hydropicis applicant?
6. Cur partis inflammationem frequenter in scirrhum convertunt?
7. Qua virtute Cancri lapillus educit alienum oculo illapsum?
8. Cur pulveres testacei sæpe curant convulsiones infantum?

TRA-

TRACTATUS SEXAGESIMUS NONUS.

De Discutientibus.

Definitio.

I. HUmor tenuis, vel crassus, primo attenuatus, per causam pellentem insensibiliter, sine vasorum sensibili solutione, si evacuetur ex parte quadam corporis, Discussus dicitur, medicamentum hoc præstans *Discutiens*, *Discussorium*, & quandoque *Digerens* vocatur. Etiamsi διαφορητικὸν idem denotet, Medici tamen intelligere frequentius solent medicamentum, quod perspirationem insensibilem auget.

Requisita.

II. In discutientibus ergo requiritur primo, tanta in humoribus tenuitas, ut per minutissima vasa duci possint; 2. ut sint ejus dein indolis, ut facile misceantur invisibiliter aeri, vel aliis humoribus nostri corporis, cum quibus circumducuntur; 3. motus in solidis validior, quam antea, dum congregatus humor fere stagnabat.

Exitus discussi humoris.

III. Cum discutitur tumor, duplicem exitum habere potest: 1. perfectum, si stagnans humor educatur insensibiliter; 2. si admisceatur ita circulantibus humoribus, ut dispareat in priori loco tumor, minus perfecta discussio habetur.

Per resolventia.

IV. Quia vero per resolventia talis conciliatur tenuitas, ut humor, antea ob crassitudinem stagnans, jam vero libere permeet vasa, inde multa resolventia discutientia sunt: ut in tumoribus frigidis, pituitosis, viscidis, œdemate, si simul calefaciendi vim possideant. Sed quæ humectando simul agunt, contusionis tumorem discutiunt, de his amplius in Resolventibus (Tr. LXXIX.).

Moventia.

V. Quæ vero medicamenta majorem motum in solidis excitant, uti stimulantia, calefacientia, maximam partem discutientium adimplent: uti in angina aquosa, hydrocele, hydrocephalo, emphysemate, aliisque morbis ex solidorum inertia & laxitate natis.

Roborantia.

VI. Huc quoque referri possunt roborantia (T. LVIII.), si ob motus defectum, & laxitatem solidorum, collectus sit humor: ut in rachitide, procidentia, prohibita perspiratione in corpore debili.

Adstringentia.

VII. Sed si simul adsit humor tenuis, acer, calidus, biliosus, ut in erysipelatosis tumoribus: adstringentia (Tr. LVII.) discutientia fiunt.

Absorbentia.

VIII. Tandem multa ex absorbentibus (Tr. LXVIII.) discutientia dicuntur, quia faciunt insensibiliter evanescere tumorem.

Effectus.

IX. Quia ex vario genere medicamentorum petuntur discutientia, eundem omnia non præstant effectum, id autem commune habere debent, quod omnia magnitudinem partis minuant. Debemus quoque eligere ea, quæ duabus tribusve suis actionibus tumori proposito respondent.

Quæstiones.

X. 1. Quomodo discutientia capiti applicata sæpe capitis dolores curant, & an omnes?

2. Quæ & quomodo curant soporem & quandoque convulsionem?

3. An Tumor inflammatorius, erysipelatosus, scirrhosus, scrophulosus, œdematosus, iisdem discutientibus curandus?

4. Cur actu calida & calefacientia juvant Discussionem?

TRACTATUS SEPTUAGESIMUS.

De Evacuationem sistentibus.

Necessitas.

I. IN homine, quia ad vitam sustentandam ingerenda sunt alimenta, & actione corporis multa fiunt inutilia, requiritur quoque proportionata inutilium evacuatio, ut maneat sanitas, si vero evacuati humoris copia sit major ex emunctoriis naturalibus, vel novis factis, medicina requiritur, quæ vel moderatur

tur hanc evacuationem, ut ad juſtam copiam redeat, vel totam ſiſtat, ſi requiritur: ſi vero proportionata ſit evacuatio ſemper damnoſa ſunt.

In morbis duplex. II. Eſt ergo horum medicamentorum duplex effectus: 1. in morbis minuere effluentis quantitatem, 2. cohibere totum effluxum: hæc tantum prioribus ſunt validiora, vel adhibentur evacuationibus facilius ſiſtendis.

Varia eligenda. III. Quia vero multis ex cauſis copioſius effluunt humores, medicamenta evacuationem ſiſtentia non ſemper ſunt eadem: quandoque multa ſimul ex ſequentibus ſunt adhibenda, ut unitis viribus effectum ſortiantur.

Obſervatio neceſſaria. IV. Ad faciliorem intellectum operationis horum medicamentorum, ſciendum eſt, liquores ſemper circumduci, premereque coercentium vaſorum latera, ex quorum lateribus vaſa evacuantia oriuntur: quod vero omnis liquor non ſubeat excretoria, anguſtiis eorum, & magnitudini partium hunc liquorem componentium, atque incovenientiæ utrorumque eſt adſcribendum.

Diviſio operationis. V. Inde curatio vel ad vaſa coercentia, vel ad liquores transfluentes, vel ad utraque ſimul eſt dirigenda.

Vitio vaſorum dilatatorum. VI. Vaſorum enim oſculis latioribus factis, vel ex quadam cauſa eorum lateribus ſolutis, ſolida imparia fiunt coercendo continendos humores, qui inde effluunt.

Laxitate. VII. Laxiora itaque facta vaſa ab eodem liquoris impetu diſtenduntur, & tranſmittunt humores retinendos, qui tunc ſponte frigidi plerumque, quia motus defectu non ſervantur in naturali calore, effluunt humores ex emunctoriis laxis, flaccidis, pendulis, carne vel cute molli ſubfrigida ſuſtentatis.

Motu auctо. VIII. Vel ſolida majori motu vitali inſtigata, cum determinatione ad emunctorium aliquod, ſæpe magnam derivant & expellunt humoris calidi quantitatem.

Vitio humorum ex motu majori. IX. Liquorum quoque motus auctus dilatans vaſorum dilatabilium oſcula, & aucta velocitate transfluentis, & amplioribus factis emiſſariis, eodem tempore plus pellit e corpore, quam ſanis fieri debet.

Tenuitas. X. Idem quoque fit, quando humoris particulæ minores factæ, ſeu tota maſſa tenuior eſt, quam ut vaſis ſuis ſolitis poſſit coerceri, ſed promptius intrat excretoria: tunc enim, niſi propulſio ſit debiliſſima, effluit humor; imo tanta ſæpe eſt tenuitas humorum, & tam parva in excretoriis conſtrictio, ut ſponte quaſi exſtillet.

Abundantia. XI. Si abundet in corpore humor vaſa magis dilatans, eorum orificia diſtendens, copioſiorem quandoque facit evacuationem, quando motu ſolidorum propellitur: ſed ſuperans virtutem moventem non exit, ſed accumulatur in corpore.

Cauſarum congregatio. XII. Raro in nobis ſimplex ex his cauſa obſervatur, ſed plerumque duæ vel plures ſimul operantur: quare medicamenta evacuationem ſiſtentia vel ſupprimentia varia eſſe debent, quæ vel uni, vel pluribus cauſis ſimul medentur, ut ita certa obtineatur curatio.

In apertura. XIII. Nam ſi ex apertis vaſis manat liquor, ut in Hæmorrhagia (T. XXXII.) dictum eſt, 1. preſſione ſupra aperturam ne effluat; 2. preſſione vaſis adducentis liquorem in ea parte, unde venit liquor, ne fluere poſſit uſque in vas apertum; 3. *Tenacibus*, quæ adducunt; 4. *Adſtringentibus*, contractionem fibrarum vaſis augentibus, ut fiat apertura minor, & vas laceratum abſcondatur ſub carne; 5. *Obturantibus* & *emplaſticis*, exitum inhibentibus vel obſtipantibus; 6. Liquorem *coagulantibus* & *inraſſantibus*, ne tam facile effluere poſſit, quia concretus in vaſe conico humor effluere cohibetur, quo faciunt & nexus cum reliquo ſanguine in adjunctis ramis contento, & concretio cum lateribus vaſorum; 7. motum in toto corpore minuentibus, evacuando vel refrigerando, & in parte ipſa applicatis frigidis & *refrigerantibus*, atque derivando aliunde.

In laxitate. XIV. Si vero ex laxitate fiat, medicamenta ſunt eligenda, quæ non ſolum *adſtringunt*, ſed ſimul *roborant* & *caleſaciunt*, ut motus vitalis reſtituatur, & liquores remanentes præparentur: ſi enim hoc in caſu mera adſtrictione retineantur,

tur, aggravabitur totum corpus, & maxime pars evacuans, atque homo anxius redditur.

XV. Dum motu majori extruditur liquor (8), quies inducenda *Hypnoticis Refrigerantibus*, ut & *frigidis* applicatis ad partem ipsam, & remotiores; quandoque sanguinis missione, vel interceptione in membro notabili, per ligaturas modice constrictas, alterne solvendas, impetus frenandus est. *In Motu aucto.*

XVI. Si ob *Tenuitatem* (10.) copiosius effluit humor, 1. is majori circulatione est inspissandus (T. XLIV. 5.); cave ne nimius fiat: vel 2. causa solvens, ut in malignis, est extinguenda, vel evacuanda: 3. adhibenda, quæ *incrassare* dicuntur (T. LXXVII.). *In tenuitate.*

XVII. Si uberior copia effluxum fecerit (T. XI.), is non statim supprimendus, sed temperandus, ne acervatim effluens humor pejorem quam prior inducat morbum: si perfectam suppressionem acquisivimus, videndum, num arte non sit renovandus effluxus, vel per aliam succenturiatam evacuationem subveniendum: maligni humoris effluxus potius temperandus, quam cohibendus, nisi paulatim, & emendato malo. *In Abundantia.*

XVIII. In sano autem homine, quia cohibent, quæ erant evacuanda, eorum collectio ex humoris retenti indole varios producit morbos, in parciore evacuatione proponendos: præterea quod supprimentia, vel obstipantia, aliam quoque possideant energiam, qua lædere possunt. *In sano.*

XIX. Hæc medicamenta, applicatione, suppressis humoribus, operandi modo varia accipiunt nomina. *Denominatio.*

XX. Quæ enim vi mechanica claudunt, vel coarctant vasa, *Compressiva* seu *Restringentia* dicuntur: si vero auctam vim contractilem a medicamento accipiunt fibræ, qua clauditur vas, id medicamentum *adstringens* vocatur. (T. LVII.) *Compressiva.*

XXI. Quæ vero meatus exitum præcludunt infarciendo ejus cavum, *Obstruentia* vel *obturantia* habentur: inter quæ præstantissima habentur, si simul sint *tenacia adhæsiva*, vel *Emplastica*, *coagulantia* & *incrassantia*. *Obstruens.*

XXII. Si his cohibeatur effluens sanguis, ἔναιμον, ἰσχαιμον, vel αἱμοστάτικον vocant Græci, de quibus actum est. (T. XXXII) *Bucellatio* autem est modus sistendi sanguinem, imponendo linamentum supra arteriam vel venam. Possunt his quoque addi, urinam, alvum, sudorem, salivam supprimentia. Sed quoniam organorum illorum, & eorum humorum spetialis descriptio præcedere debet, in hoc titulo pertractari nequeunt. *Sanguinem fluentem sistens.*

XXIII. Ex præcedentibus deducuntur facile. *Quæstiones.*

1. An non cum tardiore circulatione major fieri potest humorum evacuatio?
2. Quid denotat humoris frigidi copiosior effluxus?
3. Cur sudor frigidus in acutis malum signum?
4. An calidi humoris effluxus semper ex humorum acrimonia?
5. Cur hectici tam copiose sudant?
6. Cur in fine acutorum, cum multo sudore, perit sæpe æger?
7. Cur acuto morbo pressi, alvum adstrictam habentes diu, plerumque ante mortem copiose deponunt excrementa tenuia, splendentia & fœtida?
8. An copiosior evacuatio in morbis semper denotat morbi materiei eductionem?
9. Cur non omnes evacuationes copiosiores eidem medicamento obtemperant: sed quandoque oppositio curantur?
10. An diu assuetis tota evacuatio sit supprimenda?
11. An ulcus cacoethes & rheumaticum vetustum, brevi, si fieri possit, ad curationem est ducendum?
12. An Ichtyocolla danda ad cohibendum sanguinem fluentem?
13. An nulla potest sisti evacuatio ab internis obstipantibus, quin tota massa debeat incrassari?

TRA-

TRACTATUS SEPTUAGESIMUS PRIMUS.

De Nutrientibus.

Nutrimenti neceſſitas.

I. HOminis corpus ita creatum eſt, ut inevitabili lege ad vitam ſuſtentandam egeat alimentis & potulentis, quæ tandem humoribus noſtris miſta, & nutritioni, hoc eſt reſtitutioni deperditorum, adaptata feruntur ad cuncta corporis loca, ut ibidem reſtituant, quod quacunque cauſa amiſſum eſt.

Non omni momento.

II. In hac autem nutritione invenimus, non neceſſe eſſe, ut ſine ulla interpolatione ſuppeditetur nutrimentum, nimis longa tamen inedia necatur homo; quia tandem frequentiori uſu, tum ſolida, tum fluida, functionibus exercendis redduntur inepta.

Defectus nutritionis, 1. ex defectu ingeſtionis.

III. Nutritio impeditur variis modis, uti 1. *Defectu ingeſtionis*: quale fit, A. ſi ex *perverſa opinione*, vel aliena nutritioni aſſumunt, uti Chloroſi, Pica, Malacia, ſimilibuſque laborantes, quando ex malis ingeſtis, & defectu alimoniæ laborant: vel uti melancholici & delirantes, ſi prorſus nihil aſſumere volunt; B. quando *ob os* conſtrictum, tumore intus oppletum, & ex quacunque cauſa nihil aſſumi poteſt; C. In *angina* conſtrictis faucibus frequentiſſime pabuli defectu laborant; D. ut & *tumore œſophago adnato*, tranſitum impediente, vel & *œſophago rupto*, nihil in ventriculum deſcendit; E. multi quoque morbi ventriculi & inteſtinorum introitum chyli & alimentorum intercipiunt; F. denique obſtructio, compreſſio & ruptio lacteorum.

2. Corruptione alimenti.

IV. Alterum genus, quod depravat nutritionem, ut inappetentia, corrupti humores in ventriculo & inteſtinis nutrientem vim ingeſtorum invertentes; imo & in ſanguine, reliquiſque inde ſecretis humoribus corrumpens indoles, fruſtra facit alimentorum aſſumptionem, & Medici auxilio eget: quare medicamenta, has corruptelas & morbos curantia, ad hunc titulum conferri poſſunt.

3. Copioſiore evacuatione.

V. Tertia claſſis cauſarum nutrimenti evacuationem continet, ut vomitus frequens, alvi fluxus, Lienteria, Diabetes, nimia lactatio, omnes evacuationes copioſiores, vel nutrimentum crudum, vel elaboratum educentes.

Curatur 1. ablata cauſa.

VI. In medicamentis itaque *analepticis* ad tria quoque reſpicere debemus: primo, ut tollantur morbi chyli introitum intercipientes; vel eum corrumpentes, quod non eſt hujus loci; vel denique copioſior evacuatio minuatur.

2. Suppeditando per alias vias nutrimentum.

VII. Si tolli nequeant morbi, tranſitum impedientes per œſophagum, ſatis cito, uti in angina, tunc Medicus per alias vias nutrimentum applicet ad ſtomachi regionem, ut panem calentem ex clibano eductum, vino, aromatibuſque aſperſum, ſæpe iteratum, vel animal ſanum mactatum; vel *clyſma nutriens* injiciat, parva quantitate, quod retinendum, quamdiu poteſt; & hauriat vaporem nutrientem.

Alimenta levis materiæ.

VIII. Denique ſi morbi curati ſunt & per os alimenta admitti poſſunt, eligenda ſunt, quæ dicuntur ἄπεπτα, minima quantitate ſimul, ſæpius de die, quorum concoctio lenibus aromaticis, vinoſis, ſtomachicis promovenda: hæc, quamvis ad artem culinariam pertinere videantur, frequentes tamen occurrunt caſus, in quibus Medicus talia ſcire & præcipere debet.

Corollaria.

IX. Ex quibus patent.

1. An Medicus non debeat callere artem culinariam?
2. An ſolum per os nutrimentum ſuppeditari poteſt?
3. Cur jura ſpiſſa debiles minus nutriunt quam dilutiora?
4. Quodnam genus lactis optimum nutrimentum præbet infirmis?
5. An lac vaccinum aqua dilutum minus ſalubre, quam aſininum vel caprinum?
6. Cur potus ex pane fermentato præſtantior in perinfirmis, quam decoctum hordei & farinaceorum non fermentatorum?

7. Cur

7. Cur roborantia, ſtomachica, omni materia nutriente deſtituta, ab auctoribus dicuntur analeptica?
8. An in China & ſalſaparilla vera materia nutriens, quoniam laudantur in phthiſicis?
9. Cur nutrimentum ex vapore alimentorum exhalante comparatum brevi perit?
10. An cibus immutatus verum nutrimentum ſuppeditat?
11. An medicamentum Analepticum, parva quantitate datum, veram materiam nutrientem ſuppeditat?
12. An aqua & aer quoque non nutriunt?

TRACTATUS SEPTUAGESIMUS SECUNDUS.

De Condientibus.

Definitio.

I. QUum liquores noſtri corporis ſibi relicti corrumpantur certo temporis ſpatio, atque malignas affectiones ab aliis quoque recipiant, quibus promptius degenerant, ſive talis ſit cauſa in nobis, vel extra nos; inde medicamenta, quæ ſua virtute noſtros humores a corruptione ſpontanea & inquinatione defendunt, ſeu ita muniunt, ut minus afficiantur, *Condientia* poſſunt vocari.

Balſamicum.

II. Quia vero cadavera *Balſamatione* diutius a corruptione ſervantur, inde medicamenta talia *Balſamica* vocare licet; quæ in homine vivente, ſi deficiat circulatio, qua ſani ſervantur liquores, ita condiunt humores, ut diutiſſime a corruptela ſerventur. Inde nervis læſis induntur & applicantur, ne corrumpendi ibidem humores, dolores & convulſiones inducerent, inde quoque *nervina* ſæpe vocata. Et quia *vulnerum* promovent conſolidationem, per Balſamica hæc ſæpe intelligunt Medici, quæ vulneribus adhibentur. Omnia fere interne ſumpta urinam ducunt, & morbis pectoris opitulantur; inde in hæmoptoicis, tuſſientibus, præprimis ſenibus, vel a crudo acri humore laryngem irritante, atque empyemate, ulcereque pulmonum, interne adhibentur.

Varia genera.

III. Videntur huc quoque pertinere, quæ ſanguinem reliquoſque humores muniunt, ut reſiſtere valeant corrumpentibus admiſtis: ita 1. contra malignos in nobis natos humores, uti aquam hydropicorum ſtagnantem, pus in abſceſſu vel cavo ventris, ichorem cancri, humorem corruptum febris hecticæ; vel 2. contra infectionem peſtis, variolarum, morborum epidemicorum & endemicorum, ſcabiei, atque reliquorum morborum inquinantium ſeu contagioſorum: verum quia fere omnibus parva habenda eſt fides, & non poſſit ita præparari ſanguis, ut omnibus his reſiſteret, eodem, at vario, medicamento utendum, quod ſimul afficientem cauſam exſtinguit; quare magis conducit hæc propriis titulis proponere.

Gummi-reſinæ.

IV. Quia ad condiendos humores non minorem poſſident efficaciam ſucci vegetabiles concreti, partim ex materia in aqua ſolubili, non inflammabili, *Gummi* dicta; partim ex materia, quæ aquæ conſortium renuit, ſed flammam alit & in oleo ſolubilis, liqueſcens ad ignem, in frigore ſæpe friabilis, *Reſina* vocata, *gummi aromatica* ſed potius *gummi-Reſinæ* dicenda, ad hunc titulum conferuntur.

Uſus.

V. Hæc ſic dicta *gummi* non tantum ſolvunt viſciditates, concretioneſque ſcirrhoſas & polypoſas, verum optime putredini & corruptioni reſiſtunt, & morbis nervorum antidota, corrigendo ſucci nervorum acrimoniam, ſimulque leniter laxant alvum: inde in catarrhoſis, hyſtericis, hypochondriacis, mobilitate ſolidorum, alvo adſtricta vix purgantibus auſcultante, viſciditate, incubo, palpitatione, obſtructione, ſcirrho, menſibus ſuppreſſis, ulceribus, abſceſſu, gonorrhœa, purulentis morbis, contuſione, tumoribus duris, ut matureſcant & emolliantur, glandularum morbis, tumoribus folliculoſis, leucorrhœa, paralyſi, convulſione, atra bile, aſthmate, ulcere pulmonum, dyſpnœa, ſputo tenaci, tuſſi, phthiſi,

cruditate, anorexia, angina aquoſa, hydrope, œdemate, acrimonia, colica hyſterica, anchyloſi, eorum frequens eſt uſus.

Reſinoſa. VI. Materia vegetabilis ex oleo plantarum inſpiſſato nata, ad ignem liqueſcens, in oleo ſolubilis, flamma conſumenda, aquæ non miſcibilis, in frigore tenax vel friabilis magis quam oleum, *Reſina* dicta, vel naturalis, vel artificialis, fere eaſdem virtutes poſſidet, quas gummi aromatica, & utplurimum ſub eodem titulo comprehenduntur ab auctoribus.

Corollaria. VII. Ex his deducuntur.

1. Cur balſamica, clyſmatis forma injecta, ſanant dyſenteriam inveteratam & teneſmum?

2. Quomodo balſamica tuſſim leniunt?

3. An febris hectica balſamicis vel refrigerantibus curanda?

4. Quomodo balſamica fiunt anodyna?

5. An gummi aromatica, ſeu gummi-reſinæ, & gummi inſipida iiſdem morbis adhibenda?

6. Cur danda gummi aromatica diu alvo adſtricta laborantibus?

7. Cur tuſſis phthiſicorum melius curatur condientibus, quam eclegmatis mucilaginoſis?

TRACTATUS SEPUAGESIMUS TERTIUS.

De Corrigentibus.

Definitio. I. CORrigere & alterare humorem a ſanitate recedentem, ita ut, vel ſanis fiat ſimilis, vel innoxius, multi præcipiunt Medici: ſed hoc obtinere multum faceſſit negotii; ut enim emendetur vel invertatur noxium, cognoſcenda eſt diverſorum horum natura, & exſtinguens ἀντίδοτον.

In quo differunt a condientibus. II. Hæc differunt a *Condientibus*, quod ſuſceptam, vel ſuſcipiendam malignitatem, ita invertant, ut nihil noceat; ſed Condiens tantum muniat noſtrum corpus, ne afficiatur.

Varia genera. III. Quot ergo ſunt genera malignorum, tot diverſa quoque erunt corrigentia; quare infinita fere inveniuntur, quæ ab ἀντὶ incipiunt, ut ἀντιπυρετὸν, antiſcorbuticum, antihecticum, antacidum, ἀντιδυνικὸν, aliaque, vel ex morbo, vel vitiato humore, nomen habentia; hæc ergo, niſi prius intellecto morbo, deſcribi nequeunt, ſed eorum titulus ipſe inſpiciendus.

Corollaria. IV. Ex præcedentibus patent.

1. An ex generali corrigentium titulo, ſine diſtinctione ulteriori, ex arte aliquod medicamentum certum eligi poteſt?

2. An generalia inveniuntur corrigentia, uti auctores præcipiunt, quamlibet impuritatem emendantia?

3. An omniuum malignitatum antidota cognita?

4. An antidota ratione vel experientia deteguntur?

5. An impoſſibile, antidotum podagræ, variolarum, hydrophobiæ, aliorumque morborum, inveniri poſſe?

6. An ſemper opus, ut correctus humor viſibili forma exeat?

7. Si morbus antidoto curatus nullam ſenſibilem facit materiæ morbi evacuationem, an denotat materiem retineri?

8. An certior curatio, quæ agit evacuando, quam corrigendo?

9. An fides adhibenda arte inventis, minime experientia comprobatis, corrigentibus?

10. Num unum alterumve experimentum ſeu obſervatio valet certitudinem antidoti comprobare?

11. An abrogandum corrigens, ſi non ſemper curat?

TRA-

TRACTATUS SEPTUAGESIMUS QUARTUS.

De Obtundentibus.

I. ACria eminentibus angulis donata, noſtris humoribus circulantibus miſta, tam parvæ cohærentiæ, ut attritu laterum vaſorum, vel agitatione particularum humores conſtituentium inter ſe, vel abradantur, vel complanentur, innoxia fiunt: quæ hoc faciunt *Obtundentia* dicuntur. *Definitio.*

II. Si vero major ſit in iſtis partibus cohærentia, venena nobis erunt, in quibus forſan maxima pars venenorum conſiſtit. *Quando acre venenum.*

III. Acria hæc, vel ingeſta ſunt, vel in nobis ex ſtagnatione, motu majore, minore atque perturbato, naſcuntur, vel quia retenta ſunt, quæ evacuanda erant: inde examinandum, cujus ſit indolis id acre, quod obtundendum eſt. *Multiplicia acria.*

IV. Omnia acria, majori motu nata, non patiuntur obtundi. *Cautelæ.*

Acria putrefacta obtundendo exaltantur.

Acria acida (T. XXXVIII. 60.) ſimul exigunt reſinoſa, gummoſa, balſamica, aromatica;

Generales cautelæ datæ ſunt (T. XLV. 66.)

V. Facile liquet examinanti, ſolam circulationem auctam eſſe obtundentem cauſam; quare omnia ea medicamenta, quæ motum augent, ad obtundentia referri poſſunt: ut motus muſcularis major, exercitium, vectio, frictio, ſtimulantia, aromatica, calefacientia & roborantia. *Obtundens quibus conſtat*

VI. Ad ſequentia facilis reſponſio ex dictis. *Corollaria.*

1. An omnia genera acrimoniæ obtundentibus curanda?
2. An actione medicamenti vel circulationis acre obtunditur?
3. Cur acida cruda acrimonia omnium optime obtundentibus curatur?
4. Cur a parva doſi & mitioribus incipiendum?
5. Cur obtundentia in perinfirmis quandoque nihil efficiunt?

TRACTATUS SEPTUAGESIMUS QUINTUS.

De Præparantibus.

I. PEr præparantia intelligunt Medici talia medicamenta & methodum, quibus corpus noſtrum & humores ita diſponuntur, ut poſſint facilius ſuſtentare futuram operationem, & peragere ſecretionem & excretionem, quam fieret, ſine præmiſſis his. *Definitio.*

II. Ut differunt in nobis functiones, ita varia ſunt præparantia: præparatur ſtomachus ad faciliorem ſubactionem alimentorum, quæ poſtea ingerenda ſunt; vel leni ſtimulo aut narcotico munitur corpus, ad ſuſtentandam operationem chirurgicam; prædiſponitur corpus, ut citior fiat & perfectior criſis; vel diſponuntur humores & corpus ad faciliorem evacuationem; vel digeſtivis præparantur pus & ſordes ad abſterſionem; horum omnium methodus paucis exponenda. *Varietas.*

III. Quoniam actione ventriculi & affluentium humorum ingeſta alimenta in chylum ſunt convertenda, medicamenta actionem ventriculi augentia, & emendantia eo confluentes liquores, præparantia ſunt, ſi ingerantur ante cibum ſumtum: imo, quæ poſtea aſſumuntur, modo alimenta diſponant ad faciliorem in chylum commutationem, præparantia dicuntur, ſed in alio ſenſu eadem hæc vocantur *ſtomachica*, *concoquentia* ſeu *peptica*, & *digeſtiva*. *In alimentorum confectione.*

IV. Ad magnas ſuſtentandas operationes chirurgicas, uti amputationes membri, paracentheſis inſtitutionem, ſectionem calculi, Medicus debet propinare *Cardiacum anodynum*, ut vires valeant ſuſtentare has operationes, & minus afficiatur æger dolore, ex talibus operationibus nato. *In Chirurgica operatione.*

In alvi ductione. V. In *alvo exoneranda*, ad duo attendere debemus: primum, ut alvi excrementa reddantur mobilia magisque diluta, quod præstamus *clysmate emolliente*, & *potione molli humida alvum simul laxante*, quibus sæpe sine fortiori sequenti purgante alvus solvitur: alterum est, ita disponere humores, ut, si instet crisis per alvi fluxum, facilius & promptius ad intestina ferantur; hoc eodem laxante potu perficitur.

In vomitu concitando. VI. Ad *vomitum* concitandum etiam mobilia reddenda sunt ventriculi contenta, *potu diluente* & *resolvente*, ex quibus pro indicatione delectus fieri potest: quia autem vomitus violenta est actio, huic præmittere solent venæ sectionem, ne vasa copia majore impleta rumpantur.

Ad diuresin. VII. Si morborum crises per *urinam* exspectamus, vel si calculus evacuandus est, viæ urinæ laxandæ, humores diluendi potu leniter *diuretico*.

Ad sudorem. VIII. Si vero materia morbi per sudorem educenda, adjuvamus hanc evacuationem, & eo ducitur humor, præparantibus, *diluentibus*, *leniter sudoriferis* vel *diaphoreticis*.

Ad salivationem. IX. Multo quoque facilius ptyalismum excitamus, & minori periculo sialagoga exhibentur in corpore, per potum diluentem & resolventem sudoriferum præparato, quam si protinus salivam ducere tentemus.

In morbis chronicis. X. Quæ autem præparant humores, ut promptius & facilius curaretur morbus, quemadmodum febris intermittens, cachexia, aliique chronici, in alvi ductione, venæ sectione, & medicamentis resolventibus, & aperientibus, consita sunt: ita præmittitur etiam venæ sectio in chronicis, ut facilitetur medicamentorum ingressus.

In morbis acutis. XI. In morbis autem acutis inflammatoriis, materia phlogistica densa in vasculis hærens, commutanda est in pus, si integre resolvi nequeat. Hæc tunc dicuntur *peptica*, *maturantia* & *suppurantia*.

In ulceribus. XII. Ulcera quoque sordida ante depurationem sunt præparanda, ut concretus humor tenax, hærens in semimortuis vasis, vel partibus viventibus sua tenacitate agglutinatus, resolvatur, & facilius possit postea, applicatis depurantibus, auferri; hinc aliquid de injecto liquore saponaceo in sinu vel fistula depuranda relinquunt: si semimortua solida simul adsint, iisdem præparantur; si vero simul accedat maceratio, & in parte vivente motus major, depellens corruptum, citior sequitur separatio. Hæc tunc dicuntur a Chirurgis *Digestiva*.

Corollaria. XIII. Ex his deducuntur.

1. Cur implent corpus decocto resolvente ante Mercurii usum?

2. Cur parva dosis purgantis melius operantur in corpore præparato, quam major in non præparato?

3. Cur omnis injectus liquor ex sinu vel fistula non statim educendus?

4. Cur cataplasma molle, calidum, humidum, promovet escharæ separationem?

5. Cur calefacientia & leniter corrodentia sæpe digestivis admiscent?

TRACTATUS SEPTUAGESIMUS SEXTUS.

De Pus moventibus.

Definitio. I. QUæ medicamenta lentorem phlogisticum citius commutant in pus, quam si sibi fuisset relictus, *Pus moventia* seu *suppurantia* appellantur; quia vero tuberculum inflammatum, quando materia contenta in pus abiit, habetur maturum, quod putarunt veteres coctione fieri, inde eadem *Maturantia* & *Concoquentia* dicta sunt. Quæ pus tenax, sordesque ulceribus adhærens in bonum pus convertunt, *Digestiva* vocantur Chirurgis.

Differentia in his. II. Observamus in praxi, materiem phlogisticam promptissime tunc abire in pus,

pus, quando modico calore fovetur, motuque vitali æquabili agitatur, inde non eandem omnia maturantia poſſidere debent virtutem.

III. Si enim violentiori motu vitali nimis denſetur lentor, humidumque expellatur, optima erunt ſuppurantia, quæ conſtant *humectantibus*, *laxantibus*, *mucilaginoſis pinguibus*, *mollioribus*: qualia adhibentur in inflammationibus, febre ardente, phygethlo, abſceſſu, empyemate, parotidibus, ſiccitate, combuſtione, contuſione, epynictide, termintho, furunculo, carbunculo, attritu, gangræna, eſchara, partibus congelatis, hæmorrhoidibus dolentibus, multiſque aliis tuberculis cutaneis inflammatoriis. *Maturantia mollia.*

IV. Si autem mutanda materies tenacior, glutinoſior, motuſque vitalis languidior, eligenda ſunt, quæ magis *reſolvunt*, *calefaciunt* & *ſtimulant*: ita in anthrace, phygethlo, contuſione, gelu combuſta parte, phymate, furunculo, intus tenax pus habentibus, tumoribus viſcido impletis, atheromate, ſteatomate, pulmonum abſceſſu cum ſputo tenaciori & dyſpnœa, tumoribus glandularum, & aliarum partium, tarde ad maturitatem pervenientibus. *Maturantia acriora.*

V. Si autem ex ſignis conſtat, non multum recedere naturam a motu requiſito, duo hæc genera ita inter ſe miſcenda, ut *temperatum* habeatur medicamentum, quo ſervatur ille motus & calor partis, ſimulque ſuppeditatur humidum maturitatem promovens. *Temperata.*

VI. Si autem pus nimis tenax, ſordeſque partibus ſolidis ſanis adhærentes, ſolis maturantibus in pus converti nequeunt, quædam ſimul *Abſtergentia* admiſcenda & *Digeſtiva*, qualia proprio titulo exhibituri ſumus. *Abſtergentia.*

VII. Ad ſequentia facile reſponderi poteſt. *Corollaria.*

1. Cur cataplaſmata humida tepide applicata promovent maturationem magis in tuberculis inflammatis, quam emplaſtra?

2. Cur pix aliaque calefacientia in tuberculis frigidis ſunt maturantia.

3. Cur ſæpe calefacientia cataplaſmatibus admiſcenda, ut promoveatur ſuppuratio in ſphacelo.

TRACTATUS SEPTUAGESIMUS SEPTIMUS.

De Incraſſantibus.

I. PEr humorem craſſum non ſemper intelligunt idem; eſt enim craſſus, cujus partes ſunt majores, atque craſſus eſt ex tenuioribus conſtans tenacius inter ſe hærentibus: neque medicamenta eadem virtute humores incraſſant, quandoque enim compingunt, coagulant, inſpiſſant, vel admiſcendo glutinoſa, mucilaginoſa, farinoſa, id præſtant, quare multa ſunt genera in his, quæ quandoque oppoſita virtute operantur. *Varia continet genera.*

II. Liquor etiam inſpiſſandus non eſt ſemper omnibus in partibus ejuſdem generis, quare a Medicis diſtinguuntur in homogeneos & heterogeneos: in quibus iterum duplex occurrit differentia; nam partes liquoris & magnitudine & indole differre poſſunt. Quæ ergo medicamenta, auferendo partes tenuiores, reliquam maſſam inſpiſſant, id minime valent facere in liquore homogeneo: ita, ex indole partium varia in heterogeneo, quædam poſſunt coagulari reliquis intactis; examinanda ergo eſt natura humoris, antequam adhibetur Incraſſans. *In homogeneo & heterogeneo liquore.*

III. Præter generales has regulas, inquirendæ ſpecialiores leges, quæ in noſtris humoribus ſolis obſervantur, quum motu majori & calore adurente inſpiſſantur multi in nobis, atque e contrario tardiore circulatione inviſcantur, alias liqueſcunt. *In humoribus noſtris.*

IV. Quæ majore agitatione circulationis ex tenuioribus faciunt craſſiorem ſanguinem; ſive quod commutent priorem indolem, uti in morbis inflammatoriis & robuſtis hominibus: ſive quod per inſenſibilem perſpirationem vel ſudorem exprimant tenuiſſimum, *Compingentia* vel *Condenſantia* poſſunt vocari. Hoc ergo faciunt medicamenta *ſtimulantia*, *calefacientia*, *roborantia*, quæ ſimul non reſol- *Compingentia calida.*

ſolvunt, ſed potius adſtringunt : huc quoque referri poſſet frictio & corporis exercitatio.

Uſus. V. Horum omnium fere uſus præſtans in morbis chronicis, laxitate ſolidorum & inertia, humiditate, rachitide, phthiſi nervoſa, cruditate humorum, alvi fluxu debilitatis viribus, febre hectica, motu languido, acrimonia acida, viſcido; diabete, menſium profluvio, hæmoptoe, tenuitate humorum, ſanguinis fluxu, pareſi, mobilitate, tremore, leucorrhæa, gonorrhæa, incubo, hydrope, palpitatione, hyſterica & hypochondriaca paſſione, cacochymia, tremore, motu languido, levitate humorum, frigoris interni ſenſu, catarrho : humores enim tenuiores in requiſitam craſſitudinem compingunt, cruda, acida & viſcida ſubigunt, atque dein inſpiſſant, gluten nectens ſolida tenacius reddunt.

Cautelæ. VI. Cavendum, ne nimis ſubito ingerantur vel adhibeantur ; tenuiores enim humores tanto impetu agitati nimis expellerentur : atque ſolida laxiora & debilia rumperentur ; ſi adeſſet viſcidum humorve crudus, circulationi ineptus, in vaſis minimis accumularetur, ſuffocaretque tranſitum ; acre, majori impetu delatum, deſtrueret vaſa : expedit ergo a lenioribus & parca doſi incipere, ſenſimque ad majorem adſcendere doſin, & generoſiora medicamenta.

Incraſſantia frigida. VII. Ut majori motu inſpiſſantur humores noſtri, ita motu quoque minori in aliam craſſitudinem, coagulationi fere ſimilem, degenerant, præprimis ſi medicamenta *concreſcendi* & *refrigerandi* vim ſimul poſſideant.

Uſus. VIII. Ampliſſimus tam in Chirurgia, quam Medicina, eſt uſus horum, uti in hæmorrhagiis omnibus ; laxitate ſolidorum, herniis, procidentiis, menſium profluvio, varicibus, aneuriſmate, eryſipelate, varicocele, exomphalo, tenuitate humorum, ichore rodente, excoriatione, ſcirrho in cancrum abituro, imo in effluente ſanie ex cancro vel ulcere, alvi fluxu, motu ſolidorum aucto, hæmorrhoidibus, fiſtulis, ulceribus, vulneribus ad cicatricem perducendis, ſarcomate, pudendorum, oris & oculorum morbis multis, quibuſdam in febribus intermittentibus, hæmoptoe, putredine, alvi fluxu, diabete, gonorrhœa, leucorrhœa, hypercatharſi, nauſea, vomitu, puſtulis, pruritu, ſudamine, ſolidorum elongatione, angina, oculorum rubedine & ophthalmia, bothore, cutis rubedine, ozœna, narium polypo, emphyſemate, thymio abſciſſo, gingivarum corruptione, oris fœtore, tinea, achoribus, phlyctæna, hydatidibus, ægylope, pterygio, rhyade, herpete, bile & febre putrida. Quippe coercent majorem motum, ſolida magis conſtringere faciunt, corruptelam inhibent, liquores craſſiores faciunt, oſcula aperta magis conſtringunt, putredini bilioſæ reſiſtunt.

Cautelæ. IX. Verum ſi tenuitas adſit cum minori motu vitali, plane ſtagnare faciunt humores, inde obſtructiones & anxietates ; cohibendo effluentem morboſum humorem, eum ſæpe, vel intropellunt, vel intus retinent ; inducunt quidem craſſitudinem, ſed non ſemper nobis ſanam.

Frigida. X. Quia noſtri humores in majori frigore ſemper magis concreſcunt, inde actu frigida huc quoque referenda ; idem fere præſtant, quod incraſſantia frigida, horum amplior deſcriptio in titulo proprio.

Evacuans tenue. XI. His modis tota maſſa reddebatur ſpiſſior, ſed, ablatione partis tenuioris, remanens portio denſior fit ; hoc faciunt *Evacuantia tenue* (T. LXVII. 21.) & *Abſorbentia* (T. LXVIII.).

Terrea. XII. Medicamenta arida, friabilia, opaca, neque ductilia, neque aquæ miſcibilia, *Terrea* dicta, duplici modo liquorem craſſiorem reddere poſſunt. 1. Admiſcendo ; verum quia eorum partes majores, quam ut lactea intrare poſſint, interne, extra primas vias, hac virtute parum efficere valent. 2. Abſorbendo partem tenuiorem, reliquam maſſam craſſiorem relinquunt, ut Abſorbentia (T. LXVIII. 3 ad 5.) ; ſi vero occurrat viſcidum, cum eo concreſcunt ſæpe in maſſam irreſolubilem : quia multa horum ſimul exſtinguunt acidum, effectus inde venientes ex antacidis petendi.

Mucilagino- XIII. Quæ vegetabilia in aqua cocta vel macerata humorem exhibent tenacem,

cem, inſtar muci, *Mucilaginoſa* inde dicuntur: adhibentur in rigiditate, majore elaſticitate, robore contractilitatis, eryſipelate, inflammatione, acrimonia rodente, doloribus aurium, oculorum, aliarumque partium, ex his cauſis, attritu, combuſtione, cancro rodente, hæmorrhoidibus, contuſione, excoriatione, pſorophthalmia, ulcere pulmonum, hæmoptoe, tabe, ſingultu, ſanguinis fluxu, mictu cruento, ſtranguria, dyſenteria, teneſmo, lentore, nephritide, tuſſi, phygethlo, epinyctide, termintho, furunculo, carbunculo, attritu, pruritu, excoriatione, aſpredine: quia acre in ſe recipit, id minus lædere poteſt, adhærens lateribus ſolidorum ea defendit; adjuncto ſuo humido ſolida laxat, minuſque moveri facit, & humectat mucilaginoſum. *ſa, & eorum uſus.*

XIV. Verum quia facilius concreſcunt, & acorem concipiunt, ſi minus moveantur, corporibus laxis, pituitoſis, frigidis, & in quibus acidum prædominatur, nociva habentur. *Abuſus.*

XV. Plus præſtant externe, & in primis viis, quam in reliquis partibus, quia illibatis viribus non intrant oſcula lacteorum. *Effectus.*

XVI. Non multum diſtant ab his ſemina cerealia, leguminoſa, nuces, & radices tuberoſæ, ex quibus farina conficitur, conſtans oleo multo blando, (quod ſæpe exprimi poteſt,) terraque glutinoſa: præbent nutrimentum leviſſimum, ſi aliquantulum cum liquore fermentata fuere; parantur inde potiones, emulſiones, panes; conciliant cataplaſmatibus tenacitatem: quare horum uſus frequens, tam in ſanitate, quam morbis. *Farinoſa, & eorum uſus.*

XVII. Cruda autem hæc aſſumpta a corpore debili, in gluten abeunt, & acorem; quando ſuſcipiunt fermentationem, multum aeris in primis viis generant. *Abuſus.*

XVIII. Per *gelatinoſa* quoque fere eadem intelligimus, quæ per mucilaginoſa, niſi quod coctione ex partibus animalium, cornibus, membranis, tendinibus, ligamentis, vel pelle conficiantur; adeoque eundem uſum præſtent, niſi quod non abeant in acorem, ſed in nidorem vel putredinem, ex oleo rancido & ſale volatili conſtantem: inde in morbis calidis inflammatoriis, eryſipelatoſis, putridis, evitanda. *Gelatinoſa.*

XIX. Tandem etiam incraſſant, vel totam maſſam, vel quandam ejus partem, *Coagulantia* dicta, uti vitriolata, aluminoſa, acida fortiſſima mineralium, auſtera, alcohol, omniaque fere adſtringentia, hæc ſunt fortiſſima incraſſantia (§. 7.): interne ſumpta, inducendo coagulum, ſummamque ſolidorum conſtrictionem, toxica ſunt, & ſtrangulantia, quare a prudentioribus nunquam interne adhibentur. *Coagulantia, interne.*

XX. Externe autem ad ſiſtendum fluentem ſanguinem, polypum narium conſumendum, carnem luxurioſam ſupprimendam, in vulneribus, aneuriſmatibus, thymio & acrochordone abſciſſis, verrucis, fiſtula, & ulceribus ſordidis, cancro, & ſimilibus, ſi humores ſunt coagulandi, ſolida vehementer contrahenda, excreſcentiæ cohibendæ, & ſordes laxe adhærentes conſtringendæ, in frequenti ſunt uſu. *Uſus externus.*

XXI. Ut cum fructu adhibeantur *Incraſſantia*, ad ſequentia attendere oportet. *Obſervatio generalis.*

1. Medicamentum incraſſans raro id ſolum præſtat, ſed adjuncta alia virtute aliam quoque operationem facit; quare videndum an tale omni ſua virtute in propoſito morbo conveniat.

2. Idem incraſſans & coagulans non omnes humores æque coagulare, quod ex ſimplicium examine liquet.

3 Sanguinem coagulatum vel incraſſatum prius ire debere per pulmonum anguſta vaſa.

4. Craſſitudinem inductam non eſſe talem, qualis requiritur in nobis ſanis.

5. Inductam craſſitudinem per compingentia farinoſa, gelatinoſa, mucilaginoſa & coagulantia, non eſſe ejuſdem indolis.

6. Eouſque incraſſatum ſanguinem, ut nequeat ex vaſe aperto fluere, ire quoque non poſſe per arteriarum extrema.

XXII. Ex dictis patent *Corollaria.*

1. An

1. An in nobis humores nequeant fieri craſſiores ſine tenuioris evacuatione?
2. Cur per ſudorifera vel purgantia, humoris tenuioris evacuata magna quantitate, ſanguis tamen invenitur tenuis?
3. Cur ſudore colliquativo & diabete laborantes, aut diarrhæa diu vexati, ſanguinem tamen tenuem habent?
4. Cur a motum augentibus, & motum ſiſtentibus, incraſſantur humores?
5. An eadem craſſitudo ex duobus his oppoſitis producitur?
6. Cur frigida incraſſant, & refrigerantia utplurimum attenuant?
7. Cur pulveres teſtacei curant convulſiones infantum, & an omnes?
8. Quomodo mucilaginoſa leniunt tuſſim, nephritidem, dyſenteriam, ſtranguriam?
9. An poſſibile inveniri medicamentum, quod duntaxat eam portionem ſanguinis coagularet, quæ fluxura eſt per vas apertum?
10. An impoſſibile inveniri coagulantia ſpeciales humores, cum ſpecialia reſolventia habeantur?
11. An coagulantia augent vim attractricem, an vero augent cauſam prementem externam, quando liquorem in corpus ſolidum convertunt?
12. An ſtimulantia viſcidum ſtatim incraſſant, an vero primum reſolvunt?
13. In rachitide an recte incraſſantia frigida adhibentur?
14. Cur in tenuitate cum motu minori nocent incraſſantia frigida?
15. Cur morbis eryſipelatoſis egregia, inflammatoriis ſæpe nocent?
16. Quomodo hæc depurant ulcus cacoethes?
17. An tenuium humorum effluxum per incraſſantia & frigida ſemper cohibere liceat, uti in ſcabie, ſerpigine, ulcere rheumatico?
18. Cur menſium profluvium ex laxatis vaſis, cum minori motu vitali, per incraſſantia frigida cohibitum, anxietatem inducere ſolet?
19. Cur actu frigidis ſiſtitur hæmorrhagia, etiamſi remotis partibus applicentur?
20. Cur terreſtribus alcalia fixa admiſcenda, ſi acidum glutinoſum in primis viis eſt curandum?
21. Cur poſt eſum farinoſorum præcordiorum inflatio, & multi ructus acidi?
22. An mucilaginoſa integris ſuis viribus ad ſecundas vias perveniunt?
23. Quantum differunt incraſſantia a *figentibus*?

TRACTATUS SEPTUAGESIMUS OCTAVUS.

De Diluentibus.

Diluentia. I. PEr *Diluentia* intelligunt Medici talem liquorem tenuem, qui craſſiori admiſtus eum liquorem dilutiorem reddit tantum, quanta eſt diluentis admiſti quantitas; ſi enim tenue admiſtum coagulum ſimul inducit, ut alcohol tenue cum albumine ovi, liquor tenuis talis potius ad *coagulantia*, quam diluentia referendus: ſi vero tenuiorem reddat liquorem, quam poteſt fieri ex quantitate admiſti tenuioris, tale diluens potius *Reſolvens* vocandum.

Abluentia. II. Si hoc modo ſordes externe adhærentes, vel & in cavitatibus fluxiles factæ, auferantur, hæc *Abluentia* dicuntur.

Dilutionem juvantia. III. Diluentia ſola vix aliquid efficere valent, niſi juventur calore, motu, & reſolventibus ſpecificis: ſi ergo diluendum ſit, pro indole humoris, ex his tribus claſſibus petenda medicamenta, quæ addenda ſunt diluentibus.

Aqua ſola diluens. IV. Ex quatuor principiis, tam Chemicis, quam Galenicis, ſola eſt aqua, quæ diluit: ſucci vero vegetabilium & animalium, quatenus diluunt, id aqua contenta perficiunt; quod autem aquæ minerales quædam multo magis diluunt, quam aqua pura, id ſalibus admiſtis tribuendum.

Inacrimonia. V. Si humor tenuis acer diluendus ſit, præter generales regulas (T. XLV. 63.),

63.), juvat diluentibus admiſcere glutinoſa, mucilaginoſa, oleoſa mollia; ita ſæpe compeſcitur hæmorrhagia (T. XXXII. 3.), mictus cruentus, dyſenteria cruenta, atque vomitus, ab acribus vel vomitoriis in ventriculo hærentibus, ſingultus, dolor (T. XVII. 54.), & multa alia.

VI. In phlogiſtica diatheſi (T. XLI. 10. & 12.), inflammatione (T. XLVII. 14. 14.), motu accelerato (T. XLVI. 15 & 17.), calore corporis aucto (T. XLIX. 17.), febre ardente, typho ex inflammatione viſcerum (T. LII. 47), globulorum majore magnitudine (T. XLV. 15 & 23.), gravitate (T. XLV. 37.), frigore febrili, principio variolarum, & morbis ſimilibus, admiſcenda diluentibus nitroſa, antiphlogiſtica, ſucci fructuum horæorum, acida, & aceſcentia: hæc bibenda & applicanda calide. *In Lentore.*

VII. Si vero humorum craſſitudo (T. XLIII. 6.), ad crudam (T. LXXXIX. 10.) vel pituitoſam (T. XL. 12 ad 18.) vergit indolem, diluentia mera nocent; ſed motu corporis, in exercitiis, vel uſu ſtimulantium agitata, ſalibus lixivioſis neutris & urinoſis, ſaponaceis, alcalinis, aromaticis & calefacientibus adjuta, præſtantiſſima ſunt, præprimis ſi actuali calore inſtigentur. *In viſcido.*

VIII. Tanta eſt ſæpe puris ſordities & tenacitas, vel muci ſpiſſitudo, ut meris diluentibus abſtergi nequeant, quare his tunc addenda balſamica, ſucci ſaponacei, quandoque ſales alcalini, vel & fortiſſima abſtergentia ad externum uſum. *In ſordibus.*

IX. Præter has omnes virtutes, diluentia humectant & laxant ſiccata ſolida, ſitim ſedant, tenuiores reddunt humores, materiem præbent ſudori & urinæ, quæ ſecum rapit, ſine corporis incaleſcentia, multum de morbi materia. *Uſus.*

X. Ex dictis intelliguntur. *Corollaria.*

1. Cur balnea & ſemicupia diſcutiunt œdemata pedum?
2. Cur poſt potum aquæ corpus movendum?
3. An omnis craſſitudo iiſdem diluenda?
4. Cur aqua pura data in ardentibus ſæpe brevi poſt redditur per urinam, cocta vero cum farinoſis magis lenit ſitim & diutius retinetur?
5. Cur Chirurgi mel alioſque ſapones admiſceut diluentibus injectionibus?
6. Cur ablutio minuit cancri dolorem?
7. Cur aloetica, myrrhata, ovi vitellus, tanti uſus in ulceribus ſordidis?
8. Cur tanta differentia effectuum ex diluentibus, cum vel ſine motu, in frigore vel calore, exhibitis?
9. Quare Practici dant copioſum potum nephriticis, antequam ambulare vel equitare inchoant?
10. Cur calculoſi minus afficiuntur mictu cruento, ſi ante motum corporis multum bibant?
11. Cur copioſa potatio ſeri lactis, vel lactis ebutyrati, ſæpe ſedat vomitum & dyſenteriam?
12. Cur ſudorifera & diuretica diluentia tantum valent in morbis acutis?

TRACTATUS SEPTUAGESIMUS NONUS.

De Reſolventibus.

I. TAlia dicuntur Reſolventia medicamenta, quæ humoris concretas partes ita ſeparant, ut minus inter ſe cohæreant, fiatque liquor fluidior, particulis minoribus & minus cohærentibus conſtans, quam antea. Quando his tenuiores videntur fieri humores, vel quando ſanus liquor tali modo ſolvitur, ea *Attenuantia* dicta ſunt. Horum operationem quum putarunt conſtare in particulis, concretas maſſulas ſecantibus, ut id peragitur in corporibus ſolidis, eadem quoque vocarunt *Incidentia*. *Definitio.*

II. Nihil occurrit frequentius, quam ex obſtructionibus morborum deducere cauſam, & quaſi in promptu eſſent medicamenta, quæ reſolvendo concretum *Difficilis pertractatio.*

reſerarent obſtructiones; horum autem difficilior inventio, quam quis incautus judicaret, & obſtructionum rarior præſentia, quam vulgo ſtatui ſolet, unde difficilis ſæpe & irrita curatio.

Diviſio. III. Ut ex arte curentur morbi, qui concretione humorum producuntur, ad duo hæc attendendum: 1. varia eſſe medicamenta, quibus reſolutionem obtinemus, quæ omnia non eodem modo operantur; 2. cunctos humores concretos eodem modo nec poſſe, nec debere ſolvi.

Auxilia reſolventia. IV. Auxilia poſſumus in hæc diſtinguere genera: 1. quæ moleculas concretas vi mechanica deſtruunt; 2. quæ aucto calore liqueſcunt; 3. quæ, laxando ſeu minuendo compreſſionem, concretum laxant; 4. quæ diluunt ſine coagulatione, 5. quæ coagulantem cauſam vel evocant vel ſubigunt.

Solventia mechanica. V. Deſtruit moleculas concretas major vis applicata, quam poteſt ab earum particularum cohærentia ſuſtentari. Hæc autem actio inducitur: 1. motu externo applicato, ut ſunt frictiones, concuſſiones, motus corporis, exercitia quævis; 2. motu vitali & circulatorio auctis, & impetu corporis acris gravioris.

Externa motum augentia. VI. Sive ab alterna preſſione frictionis & concuſſionis, ſive motu muſculari agitantur vaſa, eodem tamen modo humor in iſtis hærens concretus plus patitur, quam ſolebat antea: hæc vis, ſi ſuperet cohærentiam, attenuat humores; excitatur enim ſimul motus humorum per vaſa, adeo ut duplici hac actione reſolvatur concretum: modo fiat in tali humore, qui obtemperare ſolet, ut in viſciditate, glutine ſpontaneo, cruditate, cacochymia: nam concretiones ex aucto motu circulatorio natæ, lentore, & polypo, magis compingerentur, quum augeat concretionis cauſam.

Interna. VII. Altera pars earum cauſarum, vel agit 1. ut cauſæ externæ, niſi quod a *ſtimulo* motus vitalis in tali parte validior fiat; 2. impetu corporis vel gravioris vel acutioris in moleculam concretam delati, diffringentis ejus cohæſionem.

Graviora. VIII. Videtur hic modus facile per leges mechanicas exponi poſſe, quum videmus per acria & gravia, impetu delata, diffringi obſtaculum, modo ferantur per medium reſiſtens: verum ex iiſdem quoque legibus liquet, præprimis in liquoribus per canales fluentibus, graviora ſubſiſtere primo, dum tamen pergunt leviora; quæ leges ultimæ duntaxat functionibus noſtri corporis applicandæ; in quo fluxus ſemper per determinatos canales.

Acria. IX. Acria tamen, præcipue ſi ſimul ſunt graviora, multo certius impetu ſuo diſcindere videntur concreta, in quæ impingunt; omnem enim impetum conferunt in parvum punctum: ſed qui attendit, liquores fluentes, acria ſecum ferentes, non ſemper alluere materiem concretam, quæ fere ſemper hæret in altera canalis extremitate, dum canalis reliqua pars, a materia obſtruente uſque ad truncum, ſanguine vel alio liquore ſemper plena eſt, adeo ut corpus acre ad partem ſolvendam pertingere nequeat, facile perſpicit, acria non perſcindere concreta.

Si autem ponatur, concretam maſſam hærere in rami orificio, ut alluatur a transfluente liquore per truncum, directio ergo impetus fere parallelus erit, & inde parum agens.

Qui autem ſupponit, moleculas lateribus vaſorum tenaciſſime adhærere, non conſiderat arteriarum latera (de venis nullum movetur dubium) mucilagine lubrica obducta eſſe, non facile admittentia talem adhæſionem, quin brevi poſt, aggregatis moleculis ſanguinis ad eam prominentem partem, totus per illum canalem interceptus eſſet tranſitus.

Sed acria multum valere, ſi una cum moleculis concretis circumducantur, quia circumrotatione, ex perpetua colliſione ad interna vaſorum latera, acquiſita, partes adjacentes, & ſecum delatas, diffringere poſſent, nullus dubito: an vero tale quid in nobis fiat, dum uno vel altero grano medicamenti ſolventis tota humorum maſſa, quam libris 120. comparavi (Tr. XXXI. 8.), ſolvatur, haud veriſimile videtur; quare lubentius amplectar eorum ſententiam, qui putant,

tant, acria & gravia irritatione ſua, inſtar ſtimuli, proritando vaſorum motum vitalem, ſuam exſequi ſolutionem. Quare acrium effectus & operationes ex *Stimulantium* titulo petenda.

X. In altera Reſolventium Claſſe (IV. n. 3.) quæ augmento caloris ſolvunt, attendendum, num actu vel potentia id præſtant, quia calor applicatus quovis modo ad coagulationis gradum uſque tenuiores reddit omnes noſtros humores: verum, qui motu vitali majore excitatur (T. XXV. T. XLVI. T. XLIX.), alios ſolvit, alios condenſat, multaque alia producit, ut amplius ex ſtimuli natura liquebit. *Calor.*

XI. Tertia Claſſis tria complectitur genera, quæ, etſi diſcrepant, effectu tamen reſolvendi fere idem præſtant; primum eſt *Evacuans* quodvis (T. LXVII.), modo abſit ſtimulus: his demitur quantitas liquorum, & impetus a tergo urgens concretas moleculas in vaſa anguſtiora, quibus particulæ compactu congregatæ, nunc minus preſſæ, vel retropelluntur in vaſa majora, vel expanduntur, & imbibentes adjacentem humorem tenuiorem ad faciliorem ſolutionem diſponuntur. *Evacuantia.*

XII. Quod ultimum per *Laxantia* (T. LIX.), præprimis quæ humidum ſimul adducunt, quoque obtinetur; maſſa enim minus preſſa ſponte liqueſcere incipit. *Laxantia.*

XIII. Tandem quies, ſive inducatur minori motu muſculari, ſive ablatione ſtimulantis, ſive compeſcendo motum per anodyna & hypnotica, minorem agitationem & compreſſionem in moleculam concretam faciens, eam permittit ſponte ſua liqueſcere. Forſan nitri virtus antiphlogiſtica in quietem conciliando præcipue conſiſtit, cum ex ejus uſu inducatur frigus, quod minorem vitalem motum arguit. *Quies.*

XIV. In quarta Claſſe (IV. 4.) omnia recipi poſſunt Diluentia (T. LXXVIII.), quæ ſimul ex indole ſua non coagulant, magis enim partes diſtare faciunt, quo debilitatur earum attractio mutua, & ſolida ſimul fiunt laxiora; quare ea eligenda, ſi ſimul deſideratur ſolidorum laxitas: hinc ad ſolvendas viſciditates, quæ ex motus defectu atque minori potentia naſcuntur, ineptiora imo quandoque damnoſa. *Diluentia.*

XV. Ultima Claſſis (IV. 5.) ſpecifica reſolventia complectitur, quæ exſtinguendo cohærentiæ cauſam operantur, & difficilia ſunt explicatu, & varia continet genera. Hæc in *ſalina*, *ſaponacea*, *gummoſa*, & quædam *appropriata* diſtinguere ad relevandam memoriam & curationem facilitandam conducit. *Specifica.*

XVI. Salina Reſolventia diſtinguunt in alcalina, acida, & neutra; atque in acidis & alcalinis obſervant fixa & volatilia: horum omnium uſus expoſitus (T. XXXVIII. 1. ad 48.). *Salina.*

XVII. Inter Reſolventia excellunt ſapones naturales ex vegetabili & animali regno, tam acidi, quam alcalini fixi & volatiles (T. XXXVIII. 24 ad 26. 33. ad 36.), prout ſal diverſus admiſtus ſit: ambo ſapones, tam alcalini, quam acidi, id commune habent, quod faciant humores tenuiores, pinguia aquoſis miſcibilia, & ſolida laxiora. *Alcalini* vero magis agunt in humores viſcidos, acidos, crudos, auſteros, cum motu languidiore (vid. T. XXXVIII. 26.). *Acidi* autem, ut & *fructus horæi*, magis ſolvunt lentorem, minuunt motum & calorem; quare magni uſus in morbis acutis & inflammatoriis, atque acrimonia muriatica, cohibentque putredinem. Pro ſapone neutro, *Olera* poſſunt ſumi, quæ ſucco ſaponaceo nitroſo refrigerante & ſolvente, cum multo humore diluente, conſtant. Cuncta hæc alvum ſimul laxare ſolent, & promovere urinam, ex quibus, & iis, quæ in Abſtergentibus (T. LXXXI.) dicenda, horum uſus patet. *Saponacea.*

XVIII. Ex vegetabilibus multa ſunt amaro ſapore prædita, ex animalibus ſola bilis excellit: cuncta hæc, quia ſaponacea, ad alcalinam naturam vergentia & calefacientia ſunt, ad morbos frigidos, viſcidos, œdemata, & præprimis appetitus morbos, egregia præſtant. *Amara & bilioſa.*

XIX. Vix conſtat, quid ſibi velint auctores per *Rareſacientia*; dicunt enim, hæc aperire poros, promovere inſenſibilem perſpirationem, calidaque eſſe & humida, *Rareſacientia.*

mida, ſi vero inſpiciuntur medicamenta ſimplicia, ea conſtant laxantibus, & pinguibus, quæ talia non præſtant. Quare impoſterum Rarefaciens vocabo, quod facit molem humorum ſub eodem volumine leviorem, vel quod ſolidorum poros & oſcula facit majora; inde idem denotat in liquoribus, *ac leviorem reddens*; in ſolidis autem *aperiens*.

Volatilizans. XX. Quum reſoluti humores facilius eleventur & permiſceantur, quam compacti, hinc *volatilizantia* ſunt etiam ipſa reſolventia: tale fit præprimis in nobis majori circulatione & calefacientibus, ſi humores antea fuerint craſſi, crudi, pituitoſi.

Menſtrua. XXI. Menſtrua non ſolvere cuncta, quibus permiſcentur, experimenta chemica evincunt, quare coacti ſunt ſemper Chemici appropriatum eligere menſtruum, experientia duntaxat inventum: quidquid in contrarium tendunt Medici, quærentes univerſale Reſolvens, irritum fuit huc uſque eorum conamen, clamat quidem adeptus, ſe univerſale poſſidere reſolvens, dogmatici autem confitentur, tale deſiderari.

In variis humoribus. XXII. Ut inveniatur generale, vix ulla ſpes affulget, requirit enim humor concretus ex indole ſua (III. 2.) diverſum ſolvens; ita pituita (T. XL.), lentor (T. XLI.), humor craſſus (T. XLIII.), polypoſa concretio (T. XLII.) particularum magnitudo aucta (T. XLV. 2. ad 15.), humor lentus tenax putrefactus (T. XXXXVII. 14.), gelu conſtrictus, qui ab accedente majore calore deſtruit coercentia ſolida, tenacitas melancholica (T. XVII. 45.), bilis viſcida, concretus humor in ſcirrhis & ſtrumis, cruditas, cacochymia, auſterum, glutinoſum ſpontaneum, materia tartarea, calculoſa, & multa alia, iiſdem non ſolvuntur medicamentis.

Operatio. XXIII. Ex dictis ſatis liquet, Reſolventium medicamentorum operationem per leges mechanicas exponi non poſſe, ſed poſſidere aliquam virtutem nonnulla eorum imperſcrutabilem, qua deſtruunt cohærentiam inter partes, non niſi experimentis eruendam: conducit ergo rimari ſpecificas virtutes in planta quavis, medicamentiſque officinalibus, ut tandem aliquid certi in quavis concretionis ſpecie inveniatur, ne nimis his generalibus inhæreamus.

Miſcenda ſæpe. XXIV. Hoc in generalibus ſolventibus notandum venit, quod ea ſæpe jungenda ſint, quum ſæpe ſola nihil efficerent, dum vero combinatis viribus multa præſtent.

Virtutes. XXV. Generales Reſolventium virtutes ſunt, humores facere tenuiores, reſerare obſtructa, augere evacuationes per omnia emunctoria, diſcutere, aperire: eorum autem damna ex particularum minuta mole (T. XLV. 17 ad 27.), & humorum tenuitate (T. LIV.), deduci poſſunt.

Quæſtiones. XXVI. Ex præcedentibus ſequentes quæſtiones deduci & reſolvi poſſunt.

1. Cur Reſolventia ſunt emmenagoga?
2. Cur multa refrigerant, alia calefaciunt? & quæ?
3. Cur diſcutientia conſtant reſolventibus & ſtimulantibus?
4. Cur ſal volatile oleoſum optimum reſolvens in chronicis?
5. An mineralia gravitate ſua reſolvunt?
6. Cur ſæpe Cholera & Diarrhœa ex eſu fructuum horæorum?
7. An aurum ſolutum optimum reſolvens, quia graviſſimum?
8. Qua virtute Mercurialia efficaciſſima reſolventia?
9. Nitroſa quam ſpeciem concretionis ſolvunt?
10. Bilioſa & amara cur ita juvant in morbis chronicis?
11. Quando reſolventia curant ſanguinis vomitum?
12. Cur venter tumidus durus in pueris curatur reſolventibus bilioſis?
13. Cur curant frequentiſſime febres intermittentes lentas chronicas?
14. Quinam alvi fluxus reſolventibus curatur?
15. Cur reſolventia plus agunt, dum movetur corpus, quam ſi quieſcat?
16. Cur reſolventia carent ſæpe effectu, ſi corpus quieſcat?

17. Qua-

17. Quare phlogiſtica concretio frictionibus non auſcultat?
18. An ſtimulantia reſolvunt omnes concretiones?
19. Num graviora valent cum noſtris humoribus delata impetu ſuo ſolvere concreta?
20. An acria diſcindendo ſolvunt concretam maſſam?
21. Quomodo reſolvit venæ ſectio?
22. Cur laxantibus humidis & calidis pars inflammata fovenda?
23. Cur ſomnus placidus tantum juvat in acutis?
24. An obſtructiones in leucophlegmaticis & debilibus per diluentia reſerandæ?
25. Cur inveniuntur reſolventium varia genera ſibi invicem ſæpe oppoſita?
26. An veriſimile inveniri generale medicamentum ſolvens?
27. Cur poſt exhibitum reſolvens in morbis chronicis corpus movendum?
28. An Opiata nunquam reſolvunt & quomodo?
29. Cur magni uſus in hydrope, œdemate, angina pituitoſa, paralyſi?

TRACTATUS OCTUAGESIMUS.

De Lenientibus.

I. LEniens medicamentum varias habet in medicina ſignificationes: 1. quod alvi excrementa emollit, & ſine multa perturbatione educit; 2. quod concretos in tumoribus humores reſolvit, tumoremque molliorem facit; 3. quod acre vellicans corrigit; 4. vel diluit *Temperans* dictum; 5. vel obvolvit; 6. quod mitigat dolores; 7. quod laxat ſolida. *Significatio varia.*

II. *Lenia* autem ſunt, quæ blanda ſeu miti ſua actione non multum perturbant corpus, quæ ergo duplicia: vel quæ parvam actionem exercent, uti omnia mollia; vel quæ ex claſſibus acriorum benigniſſima ſunt, aut parva quantitate adhibentur, uti lenia purgantia, vomitoria, ſtimulantia &c. *Lenia.*

III. Sub titulo itaque hoc ſola continentur medicamenta, quæ conſtant multa mucilagine, oleo blando, & liquore molli diluente, quibus, diluendo acre, compeſcitur dolor; laxando ſolida, minuitur tenſio ſolidorum & motus major, atque temperatur exæſtuans calor; ſuppeditando mucilaginem & blandum oleum, muniuntur latera ad tranſeuntem humorem acrem: quare in colico dolore, tam ex inflammatione, quam acri hærente in inteſtinis; in urinæ ardore & ſtranguria, vel a calculo, vel defectu muci, ſingultu, rigiditate, elaſticitate, inflammatione, excrementis induratis, combuſtione, abſceſſu, contuſione, termintho, phygethlo, ſpina ventoſa, carbunculo, anchyloſi, cancro, rheumatiſmo, tuſſi, phthiſi, attritu, acrimonia, hæmorrhoidibus, aſpredine, luxatione, pſorophthalmia, angina, raucedine, hæmoptoe, empyemate, hernia, dyſenteria, hypercatharſi, fiſſuris, coryza, aſthmate, convulſione, trhachomate, impetigine adhibentur. *Uſus.*

IV. In humorum autem viſciditate, laxitate ſolidorum & inertia, corporibuſque frigidis augent malum. *Abuſus.*

V. Ex his patet *Corollaria.*

1. Quæ differentia inter lenia & lenientia.
2. Cur reſolventia ſæpe dicuntur lenientia?
3. Cur obvolventia ſimul ſunt lenia & lenientia?
4. Quomodo acre datum vel applicatum fit leniens?
5. An ſine diſcrimine lenia mucilaginoſa, gelatinoſa & oleoſa adhibenda?

TRA-

TRACTATUS OCTUAGESIMUS PRIMUS.

De Abſtergentibus.

Definitio. I. SOrdes ex ſemieroſis & corruptis ſolidis, vel ex corruptis atque inſpiſſatis humoribus, vel denique ex alienis, natæ, partibus ſolidis viventibus adhæreſcentes, per medicamenta *Abſtergentia* dicta a ſanis ſeparantur, atque e corpore expelluntur.

Mundificans & ejus uſus. II. Ita pars a ſordibus liberata *pura* dicitur vel *mundificata*, quare hæc eadem mutato nomine *mundificantia* dicuntur, maxime ſi id fiat in partibus, quæ oculis contueri poſſunt, & quando ſordes alienæ adhærent cuti; nam purgantia inteſtinorum melius ad alvum ducentia referuntur. Adhibentur ſæpe, ut nitor cuti concilietur, uti. Coſmetica in papulis, furfuratione, rhagadibus, aſpredine, ſquamulis adhærentibus, maculis, gutta roſacea, fine variolarum, & combuſtione: ſæpe oleoſis & pinguibus primo partes ſunt emolliendæ.

Varia genera abſtergentium. III. Variis modis detergentur ſordes: 1. Abſterſione lintei carpti, ablutione, vel alia actione chirurgica, uti abſciſſione, evulſione, quandoque combuſtione; 2. Ope medicamenti Cauſtici vel corrodentis; 3. Aucto motu vitali ſolidorum, & impetu humorum interno, ſordes depellente; 4. Applicatione menſtrui ſolventis; 5. Quandoque adſtringendo laxata ſolida; 6. Denique variæ partes, alia abſtergentia exigentes, eorum numerum augent, quorum operationes cum multum diſcrepent, diſtinctis titulis proponenda.

Abluens. IV. Simpliciſſimus modus abſtergendi, ſi excipiamus operationes ceteras chirurgicas, fit *ablutione* externa, vel *dilutione* interna, per medicamenta liquida, tenuia, ſaponacea, in ſputo vel pure tenaci abſceſſus, empyematis, atque ulceris; acri viſcido intricato; ſolidis ſiccioribus, humoribuſque concretis, lentore; fæcibus in inteſtinis induratis; ſordibus cuti adhærentibus; pruritu; eſchara; aurium, oris & faucium ſorditate; aſpretudine; cruſtis variolarum & ſimilibus.

Corrodens. V. Quandoque adhærentes ſordes tam tenaces ſunt, ut non niſi *Corrodentibus lenioribus*, vel etiam *fortioribus*, a ſanis & vivis partibus ſeparari poſſint: uti in lichene, ulceribus venereis & ſordidis, ſcabie, impetigine, elephantiaſi; cirone, vitiligine, anthrace, furunculo, tumoribus folliculoſis, fiſtula, multiſque aliis cutis morbis.

Stimulans. VI. Quia motu vitali interno depellendæ ſunt ſordes, hic ſi deficiat, ne nimis diu adhæreant, *ſtimulantia abſtergentia* interna & externa ſunt adhibenda: uti in humorum viſciditate, ſolidorum inertia, motu ſolidorum languido, ulcere frigido ſordido, eſchara ſphaceli, vitiligine, lentigine, partibus ſcarificatis, ulcere ex gelu relicto, Cirone, abſceſſu, & ulcere vetuſto, in œdematoſis, valida contuſione, morphœa, malo mortuo.

Calefaciens. VII. Idem fere præſtant, quæ majorem caloris ſenſum in nobis excitant; quare, ſi ſimul ſigna minoris motus vitalis, ſolidorum inertia, frigoris ſenſus, humorum viſciditas, adſint, adhibentur: uti in cachecticis, cacochymicis, œdematoſis, acido laborantibus, cruditate humorum oppletis, tumoribus frigidis glandularum, eſchara diu adhærente, ulceribus ſordidis vetuſtis, malo mortuo, vitiligine.

Roborans. VIII. Si autem ſolida laxiora ſint, & magis langueant, quam ut poſſint depellere adhærentes viſciditates, adhibenda ſunt roborantia, uti in capitis ſorditie capillorum regenerationem impediente, acrimonia acida, & cruditate humorum.

Diſcutiens. IX. Parum a præcedentibus (6. 7. 8.) diſtant, quæ ſimul abſtergunt & diſcutiunt: ſolvunt hæc ſtagnantes humores, atque excitato majori ſimul motu, inviſibiliter educunt ſolutos humores; quare in viſciditate, tumoribus œdematoſis frigidis, glandularum multis morbis adhibentur.

Adſtringens. X. Requiritur non raro ad depurationem, ut ſolida laxa adſtringantur, ſimul-

que

que calor major tali in parte temperetur ; uti in oris , gingivarum & faucium ulceribus, puſtulis, pruritu, ſerpigine, lichene , ophthalmia , bothore circa oculos, ſi poſt depurationem ſpectemus hæmorrhagiam : in ulceribus malignis, putridis, cancroſis horum uſus excellit.

Conſolidans.

XI. Dum in mundificando verſamur, ſæpe ulcera , fiſtulæ , vel abſceſſus ſordibus obſceſſa ad conſolidationem ſimul deducenda, per balſamica, adſtringentia, & vulneraria dicta , quæ ſimul abſtergunt ; uti in dyſenteria diuturniore ex inteſtinorum ulcere, vulnere & ulcere externo & interno , empyemate , hæmorrhoidibus, contuſione, combuſtione, congelatione , ægylope , rhyade , hypopyo, multiſque aliis oculorum morbis , narium polypo & ozœna , auris malo odore, ulceribus pudendorum, fluore albo, gonorrhœa.

Antiſepticum.

XII. Sordes putredine autem imprægnatæ antiſeptica abſtergentia exigunt, quæ vel præſentem putredinem emendant , vel natam exſtinguunt ; ita in gangræna, ſphacelo, eſchara, parte congelata , vel valide combuſta, maculis, lentigine, oris, narium, auriumque fœtore, dentium corruptione, gingivarum eroſione, ulceribus ſcorbuticis male olentibus, carie oſſis , multa viſciditate ſubnigra linguæ vel aliis partibus adhærente , eliguntur pro neceſſitate ex calefacientibus , refrigerantibus, acidis, condientibus.

Antipueticum.

XIII. Si ob puris nimiam tenacitatem ulcera , abſceſſus , fiſtulæ, vel vulnera depurari nequeunt , eligenda abſtergentia , quæ quam maxime pus reſolvunt & educunt, tam interna, quam externa.

Pectorale.

XIV. Quia in empyemate idem faciendum eſt, ut eo liberius per ſputum vel urinam educatur collectum pus e cavo pectoris , omnia fere antipuetica quoque præſcribuntur in empyemate, ulcere & vomica pulmonis, quando vocantur *Pectoralia :* hic autem titulus ampliorem habet ſignificationem , nam ſputum quoque tenax in aſthmaticis eſt abſtergendum & educendum, ſæpeque tuſſis excitanda eſt , ut lentus humor educatur , quare *abſtergentia pectoralia* varia ſunt , in phthiſi, aſthmate , tuſſi , ſputo tenaci , quare pectoralium horum materies medica varia.

Diureticum.

XV. Multa quoque ex iiſdem morbis urinæ opitulantur ; ſed vero alia inter *Diuretica* abſtergentia magis appropriata ſunt , ad abſtergendum viarum urinæ mucum & pus, conſolidanda earum partium ulcera , urinam in œdematoſis & cachecticis ſuppreſſam reſerandam, gonorrhœam & leucorrhœam depurandam.

Uterinum.

XVI. Non multum diſtant ab his diureticis , quæ medentur uteri morbis, *Uterina* inde dicta, in menſium ſuppreſſione, depurandis pudendis a materia viſcida tenaci.

Purgans.

XVII. Quæ autem inteſtinorum morbos curant , ex aliis omnino medicamentis componuntur ; neque hæc omnia ſunt eadem, multum enim differt , an excrementa ſola, materieſque viſcida ex inteſtinis ſit educenda, an vero ſimul alii inteſtinorum morbi curandi ſint , hæc tamen omnia debent ſimul alvum laxare, ut ſint *abſtergentia purgantia*.

Hepaticum.

XVIII. Quæ ſaponacitate nitroſa , amara , bilis viſciditatem reſolvunt , *Abſtergentia hepatica* dicta, adhibentur in ictero , cachexia & leucophlegmatia : alvum laxare ſolent , blande reſolvere ſimulque diluere & refrigerare, aut calefacere.

Aperiens.

XIX. Si humores tenaciores ita obturant vaſa , ut liber tranſitus ſit interceptus, hi abſtergentibus ſoluti meatus reſerant ; talia autem medicamenta dicuntur *Abſtergentia aperientia :* ingens ergo horum eſt numerus , & operatio varia , in chloroſi, menſibus ſuppreſſis, bilis viſciditate, multis glandularum morbis, tumoribus frigidis, urina ſuppreſſa , cruditate & cacochymia humorum, meſenterii & inteſtinorum infarctione, dyſpnœa, aſthmate humido.

Sapo.

XX. Maxima ſaponaceorum virtus quia in abſtergendo exercetur , ita ut per abſtergentia ſæpe intelligamus ſapones , & viciſſim , omnium optime ſapones in titulo hoc explicandi ſunt. Per *Saponem* autem intelligimus talia menſtrua, quorum

rum interventu oleoſa, reſinoſa, glutinoſa, & pinguia aquoſis miſcibilia reddun-tur, quam ſocietatem antea renuebant.

Sapo alcalinus fixus. XXI. Varia ſunt medicamenta, quæ ad ſapones referuntur. Ex oleo expreſſo fixo, cum ſale alcalino fixo, uti ſapo niger, & ſapo Venetus; quandoque loco olei ſumitur pinguedo animalium, (conf. T. XXXVIII. 26.). Hi ſapones adhibentur in acrimonia acida, auſtera, eruda, craſſitudine humorum, viſciditate, cacochymia, & cachexia, motu languido, œdemate, meſenterii obſtructione, viſciditate inteſtinorum & ventriculi, appetitu abolito, & malacia, vermibus in primis viis, lienteria ex obſtructis lacteorum oſculis a glutinoſo, ulceribus & abſceſſu ſordido frigido, eſchara: horum acerrima eſcharotica ſunt, maculas, furfures, excreſcentias conſumunt; mera quoque ſalia fixa (T. XXXVIII. 11. ad 15.) huc pertinent.

Sapo alcalinus volatilis. XXII. Ex oleo fixo cum ſale volatili, vel oleo volatili cum ſale fixo ſemivolatilis ſæpe conficitur; aut ex ſapone alcalino ſpiritibus fermentatis diluto, denique ſuccis vegetabilium acribus, penetrantiorem virtutem habet: quare in doloribus frigidis catarrhoſis, tam externe, quam interne, anodyna ſunt; diſcutiunt tumores frigidos, aquoſos, œdematoſos; obſtructiones ex viſcido referant, paralyſi, & torpori medentur; dolores arthriticos compeſcunt; motum languidiorem ſolidorum excitant; ſtagnantes humores concitant; in leuce, vitiligine, malo mortuo, vitam parti reddunt: mitiora horum egregie expectorant & aſthmaticis opitulantur.

Saponacea varia plantarum. XXIII. In plantis quoque aliud genus ſaponis invenitur, conſtans ſale neutro ſaponaceo, oleo vegetabili miſto, uti *olera* (T. LXXIX. 17.) alia *amara frigida lacteſcentia*; alia autem ſaponacea magis calefacientia ſunt & amara (T. LXXIX. 18.), inſtar bilis animalium, ex oleo ſemivolatili & ſale alcalino abſtergente, quandoque in his urens obſervatur vis: horum ergo uſus ex ſimplicium deſcriptione petendus.

Sapo aceſcens. XXIV. Magna copia plantarum continet ſuccum acidum vel aceſcentem ſaponaceum, ex oleo vegetabili, multo liquore & ſale ſaponaceo fixo acido; ut ſucci fructuum horæorum bene maturorum acido-dulcium: ad hanc quoque claſſem pertinet ſal tartareus acidus, tartarus vitriolatus, ſucci vegetabiles concreti, mel, manna, ſaccharum, Rob, ſapa, defrutum, gelatina ſucci vegetabilis, ſyrupus & ſimilia. Hæc ſolvunt lentorem, attenuant ſanguinem, laxant ſolida, minuunt motum & calorem, laxant alvum, rancorem emendant, bilis viſciditatem ſolvunt, optima ſtomachica, & ad nauſeam & nidoroſum ructum emendandum, ſi ex corrupta tenaci bile oriantur.

Emolliens. XXV. Non raro in concretionibus induratis, craſſis, tenacibus, partes pinguibus oleoſis emolliendæ ſunt, antequam per abſtergentia, modificantia aliquid effici poteſt.

Corollaria. XXVI. Ex dictis patent

1. Ex qua materia generantur ſordes in vulneribus & ulceribus.
2. Cur vulnus vel ulcus diutius aeri nudo expoſitum ſordes contrahit?
3. Num pellicula albida, ablata epidermide, apparens in parte combuſta, ſit ſordida, & an abſtergenda?
4. An non abſtergentia in actualia & potentialia poſſunt dividi?
5. Quo reſpectu idem medicamentum dicitur abſtergens & mundificans?
6. Quomodo corrodens fieri poteſt abſtergens?
7. Num ſtimulantia abſtergendo agunt in ſordes vel partem viventem ſubjectam?
8. Quomodo adſtringentia majorem facientia cohæſionem poſſunt abſtergere ſordes?
6. Cur vitriolum, ærugo, ſimiliaque adſtringentia in regionibus fervidioribus optima ulcerum depurantia?
10. Quando ſapones aceſcentes, & quando alcaleſcentes fiunt ſtomachica?

11. Cur ſapones optima abſtergentia?
12. An mel & ſaccharum obvolvit, an abſtergit?
13. Quid faciunt emollientia ad abſterſionem?

TRACTATUS OCTOGESIMUS SECUNDUS.

De Aperientibus.

I. QUæ impeditum per vaſa tranſitum expediunt, ut iterum liber fiat fluxus, *Aperientia* dicuntur, *Deoppilantia* & *Deobſtruentia*; hoc ſi fiat in vaſis circulantibus, ἐκφρακτικὰ; ſed in vaſis excretoriis, ſeu oſculis evacuantibus, potius ἀνασεμωτικὰ appellantur. *Definitio.*

II. Ut variis modis hic intercipitur tranſitus, ita multum differunt aperientia, quare opus obſtructionis cauſas perſequi, quæ ſpecialiora exigunt aperientia. *Aperientia varia ſunt.*

III. In nobis viventibus, vel perpetuus, vel reciprocus, vel certo tempore rediens motus habetur per omnes canales, & ora vaſorum; quare obſtructionis cauſæ ad tres redigi poſſunt claſſes: 1. quæ pertinent ad canalem vel meatum; 2. quæ ad transfluentem liquorem; 3. quæ ad utraque ſimul. *Obſtructionis cauſæ generales.*

IV. Omnes canales, ſi excipiuntur oſſei, ſunt compreſſiles & dilatabiles, elongari & intorqueri poſſunt, quare a preſſione, tam externa, quam interna, ſive cauſa premens in nos, vel noſtrum corpus, viciſſim in eam agit, interna canalis cavitas minui, ex figura cylindrica mutari, vel integre comprimi poteſt. Tales comprimentes cauſæ, ſive ſint tumores duri vel molles, vel liquor effuſus in cavis, ſive hærens in vaſis, ea dilatans, niſi tollantur, tranſitus liquorum reſtitui nequit. Quod quoque ſtatuendum in cauſis protendentibus & intorquentibus. *1. Compreſſio, elongatio, & contorſio.*

V. Omnia etiam vaſa in ſuis lateribus componuntur ex aliis vaſculis minoribus, quæ iterum ex aliis exilioribus, uſque ad omnium minimum vaſculum ſimplex, ex membrana ſimpliciſſima factum: dilatatio horum minuit ſemper majoris vaſis capacitatem. Quæ deplent hæc dilatata vaſcula, aperientia ſunt. *Impletio vaſculorum lateralium.*

VI. Latera quoque dictorum vaſorum ex villis componuntur, in quibus viget ſemper contractilitas, motuſque vitalis, & fortius agunt ob cauſam ſtimulantem; quæ omnia magis agentia canalem arctant, & ſæpe claudunt, per aperientia referandum. *Villorum in lateribus contractio.*

VII. Contractilitas hæc aucta (T. IX.) laxantia (T. LIX.) exigit; humectationem (T. LXII.) exſiccatorum, fotum tepidum humidum poſt calorem adurentem; lenem evocationem gelu per nivem, aquam frigidam, dein tepidam; ablationem & ablutionem adſtringentium; lentam & blandam extenſionem, ſi villi hi nimis diu ſibi commiſſi fuere. *Curatur.*

VIII. Motus vitalis reciproce agens, ſi commutetur in motum *tonicum*, ſiſtit non raro transfluxurum liquorem, ut experiuntur colici, hyſterici, & hypochondriaci, epileptici, vel qui ſubito ab animi pathemate corripiuntur: in quo caſu antiſpaſmodica nervina fiunt aperientia. *Spaſmus villorum.*

IX. Hic quoque motus a *ſtimulo* agitatus frequentiſſime in perpetuam contractionem commutatur, qua omnis tranſitus per eum canalem intercipitur, cujus curatio ex ſpaſmi titulo (T. XXX.) petenda. *A ſtimulo*

X. In canalibus majoribus ad interna latera quædam invenitur *mucago oblinien*s, ut facilis eſſet liquoris tranſitus, & laterum munimentum: hoc ſi deficiat gluten, vel ſi ſit alienatum in liquorem minus lubricum, non ſolum ob minorem canalis lubricitatem, ſed etiam ob majorem conſtrictionem quæ naſcitur attactu tranſeuntium villos nudos, frequentiſſime ſiſtitur transfluxus, quemadmodum experimur in deglutitione difficiliore & ſtranguria. Aperientia in his ex mucilaginoſis, gelatinoſis & lubricantibus conſtare debent. *Nuditate laterum.*

XI. Ad hanc claſſem denique conferre poſſumus *coalitum* canalis in exitu, quemadmodum in imperforatis ſeu atretis virginibus, ano, præputio, ore coali- *Coalitus.*

to, quando ſectio chirurgica, corrodens, vel ſpontanea ruptio, aperientia fiunt.

2. Vitia liquorum. XII. Sine vaſorum vitio liquores tranſfluentes (*3.* n. 2.) multis modis tranſitum remorantur, vel integre ſuffocant. Nam 1. ex *mutata figura* particularum globoſa in aliam figuram angulosam manente in ea liquoris particula, eadem materiæ quantitate; 2. ex *magnitudine aucta* (T. XLV. 2 ad 16.); 3. ex *concretione* plurimorum in maſſulas majores (T. XLII.); & 4. ex majore *adhærendi potentia* inter ipſas partes & cum lateribus vaſorum, quam eſt actio circulatoria, propellens & divellens has partes. His obſtruuntur vaſa & meatus, variis aperientibus reſerandi, uti ex *craſſitudine* (T. XLIII.), *lentore* (T. XLI.), & *viſciditate* (T. XL.) conſtat. Denique *Humor crudus* (T. XXXIX.) conſtans figuris vaſorum non adaptatis ad hanc claſſem reduci poteſt. Quænam in his omnibus ſint aperientia, in allegatis locis videri poſſunt, & ex adjunctis effectibus perſpici poteſt, quænam cauſa obſtructionem faciat.

3. Utrorumque, ut Errore loci. XIII. Ad ultimam partem diviſionis (3. n. 3.) pertinet 1. *Error loci*, ſeu quando partes liquorum, quæ in nobis non omnes ſunt ejuſdem magnitudinis, intrarunt vaſa aliena, per quorum extremitates permeare nequeunt: uti globulorum rubrorum in arterias lymphaticas, ſeroſorum in minores arterias, quam quæ in ſtatu ſano globulos ſeroſos reciperent, introitus; an vero in minoribus vaſculis talis fiat error, veriſimile eſt, ſed viſu hucuſque non detectum. In tali obſtructione aperientia ſunt, quæ minuunt a tergo impetum, ut ita repelli poſſint partes in vaſa majora: quemadmodum ſunt venæ ſectio, purgans refrigerans, diluentia & refrigerantia medicamenta.

Minori impetu. XIV. *Minor motus*, ſive concipiatur in partibus firmis, ſive fluentibus, ſubſiſtere facit humores. Ut enim promoveatur liquor, qui fluit ſecundum latera, motum attritu retardantia, cauſa pellens requiritur a tergo, quæ omnes has poteſt ſuperare reſiſtentias. Languidior igitur actio firmarum partium (T. XXI.) brevi tempore ſtagnare facit humores. Ita liquores quoque minori impetu (T. L.) latera vaſorum diſtendentes efficiunt, ut vix quidquam agere poſſint villi ad propellendos hos humores. In utroque caſu ſtimulantia, roborantia, aromatica, ſpirituoſa, calefacientia fiunt aperientia.

Obſtipatio. XV. Denique huc pertinent cauſæ externæ meatus obſtipantes, oſculis vaſculorum tenacitate ſua ita adhærentes, ut effluxum inhibeant; & tunc quam maxime, ſi ſimul aliquam vim adſtrictoriam poſſident. In hujuſmodi obſtructione abluentia, ſaponacea, abſtergentia, depurantia, lixivioſa fiunt aperientia.

Corollaria. XVI. Ex dictis ſequuntur.

1. An impeditus motus cauſa, an effectus obſtructionis?
2. Humor effuſus in cava corporis quomodo obſtruere poteſt?
3. An plethora diſtendens vaſa nequit eſſe cauſa obſtructionis?
4. Cur luxatum vel fractum os ſtatim reponendum?
5. An non ſuffocata circulatio quandoque in tenuitate humorum laborantibus, ſi latera vaſorum fiunt nuda?
6. Quomodo curant mucilaginoſa urinæ ſuppreſſionem?
7. Cur clyſma oleoſum, mucilaginoſum, ſine admiſtis purgantibus, ſæpe alvum conſtipatam laxat?
8. Cur multi homines difficultate deglutiendi laborantes, poſt potum aſſumtum, facilius deglutiunt?
9. Unde tanta anxietas poſt longum jejunium, ſi modica quantitas alimentorum deglutitur?
10. Quomodo venæ ſectio, & purgans, aliaque evacuantia ſine ſtimulo, poſſunt dici aperientia?
11. An refrigerans nequit fieri aperiens, ſi minuit impetum?
12. An aperientia ſemper debent aucto motu vaſa aperire?
13. Cur quandoque ſicca, quandoque humida, aperiunt?
14. Cur frictio nonnullos tumores diſcutit, alios autem magis obſtruit?

15. Quo-

15. Quomodo externa corporis depuratio, & capillorum tonſura inſenſibilem perſpirationem promovet?

16. An frictio ad cutem cum pannis aſperis non poteſt promovere exhalationem?

TRACTATUS OCTOGESIMUS TERTIUS.

De Moventibus.

I. QUid ſit motus in rebus mechanicis, a Phyſicis exponitur; in noſtro autem corpore vivente duplex eſt: alter, qui ſequitur leges generales omnium corporum motorum; alter vero quibuſdam in rebus a priori recedit, quamdiu vivit homo: hunc motum explicatum invenies in Exercitatione noſtra *de Motu vitali*. *Definitio motus.*

II. Omnia Medicamenta, & medendi methodus, quæ utrumque hunc motum celeriorem, vel magis agentem faciunt, *Moventia* poſſunt appellari; hæc in triplici ſtatu adhibentur: 1. in tardiori ſeu languidiori motu, ſeu in perfecta ſtagnatione; 2. in mediocri motu; 3. in corpore, quod habet motum celeriorem aut vehementiorem: ex quibus patet, idem medicamentum movens conducere & nocere poſſe, & quam maxime, quum moventibus nonnulli morbi in deterius ruant. *Movens quid?*

III. Præter generales motuum leges, in corpore vivente duplicem motum deſcribunt auctores: 1. *Inteſtinum*, uti putredinis, efferveſcentiæ, fermentationis, ſed quoniam de his alibi agitur, ad hunc titulum non referendum; 2. *Localem*, quem vocant *Circulationem*, quæcunque ad hunc motum pertinent, in hoc Tractatu perpendenda. *Motus localis & inteſtinus.*

IV. Exponemus primo medicamenta totam circulationem augentia, quæ moventia proprie dicuntur, quo etiam pertinerent *Stimulantia*, & *Calefacientia*, de quibus vero in ſequentibus, ne ob multitudinem fieret confuſio. Dein agendum de moventibus ſpecialioribus, uti ſunt *Revellentia*, *Derivantia*, *Attrahentia*, *Rubefacientia*, *Frictio*, *Cucurbitulæ*, *Fonticuli*, *Setacea*, *Veſicantia*. *Moventia generalia, & ſpecialia.*

V. Augent motum, quæ in fibris generant majorem potentiam conſtringendi, uti *Roborantia*, quæ augent villorum contractilitatem, non vero ſimul compeſcunt eorum motum vitalem, quemadmodum fit a quibuſdam adſtringentibus. Si ponatur æqualis ſpirituum influxus cum augmento roboris, potentia movendi quoque augetur (T. LVIII.). *Roborans motum auget.*

VI. Duobus his junctis prævenitur ſpontanea ingeſtorum & cunctorum humorum corruptela, eaque nata vel ſubigitur, vel expellitur; promovetur vaſculorum abſorbentium potentia; ſpiritus puriores generantur, & ad organa ſenſuum copioſius derivantur; prævenitur viſcidi generatio, & ſi natum ſit, diſſolvitur; oſcula evacuantia laxata potentius ſe conſtringunt; ſtagnantes humores exagitantur, protruduntur & diſcutiuntur; ſolida flaccida accurtantur, inertia moventur; humores omnes ab actione corporis perfectius præparantur; quiete attenuati compinguntur, gravioreſque fiunt; adhærentes ſordes excutiuntur; corporis naturalis calor augetur. *Uſus horum generalis.*

VII. Quare in acrimonia acida, cruda; cardialgia ex corruptis humoribus in ventriculo; capitis, lumborum, renum, aliarumque partium dolore; & arthritide ex ſpontanea illorum acrimonia; flatibus murmuribuſque inteſtinorum; mobilitate ſolidorum; convulſione hyſterica; palpitatione; horrore; & febre cacochymica excellunt: promovendo abſorptionem alvum fluentem in debilitatis ſiſtunt; diſcutiunt tumores hydropicos: medentur amauroſi, pareſi, ſurditati, apoplexiæ, animi deliquio, perinfirmis, maniæ, catalepſi, incubo, ſpirituum defectu laborantibus, tremori: magnum quoque auxilium ferunt viſcido oppletis, quod potentiori motu diſſolvunt, & in naturalem craſſitudinem commutant; ita *Specialis.*

anginam aquoſam, tumores œdematoſos, leucophlegmatiam ſanant: neque ullis medicamentis melius compeſcitur ptyaliſmus, ſudor colliquativus, alvi fluxus diuturnior, gonorrhœa, leucorrhœa, diabetes infantum, menſium profluvium, aliæque ſanguinis emanationes per laxata oſcula, quam his: multumque præſtant in ſolidorum laxitate, inertia, herniis, procidentiis, hydropicis educta aqua, podagra, aliorumque morborum debilitate relicta, aphthis diu permanentibus, mania poſt diuturniores febres intermittentes, vel multam evacuationem, rachitide, ulceribus ſordidis frigidis, aliiſque morbis frigidis, chloroſi, cachexia, febre cacochymica, luxatione ex leviſſima cauſa, phthiſi nervoſa, varicibus, multiſque uteri morbis: tandem magnum auxilium præbent ventriculi morbis, apepſiæ, anorexiæ, languori, frigiditati; & multas obſtructiones reſerant in glandulis, uti ſunt tumores frigidi, ſcrophuloſi; ipſi ſcorbuto non leve præbent auxilium, quum ſine ſpontanea corruptela vix in nobis generatur.

Cautelæ. VIII. Quamvis ad multos morbos curandos adhibeantur, non expedit, in nimia tenuitate & aucta evacuatione, protinus a validioribus incipere, ne nimis extrudantur liquores: neque in ſolidorum fragilitate & debilitate, ne diſrumpantur vaſa; neque in viſcido ob metum ſuffocandæ circulationis; neque in frigore febrili, quia ſubſequens calor omnia deſtrueret; neque in febre hectica, doloribuſque ab humore acri tenui, cum ſæpe intolerabilem dolorem inferant. Denique nocent omnibus morbis ex motu aucto.

Reſolventia. IX. Multa inter *Reſolventia* ſunt, quæ ſolo motu aucto humores tenuiores faciunt: quorum effectus præſtantiſſimus, fere in omnibus morbis præcedentibus, & quorum modus operandi ex Reſolventibus (T. LXXIX.) intelligi poteſt.

Frictio. X. Inter moventia partem aliquam ſpecialem *Frictio*, gr. τρίψις, omnium ſimpliciſſimum modum movendi humores & partes firmas exponit: eſt enim actio mechanica, qua alterne magis & minus quædam pars comprimitur ſucceſſive; vel ſervat ſemper eandem directionem, vel facit alternum oppoſitum curſum & directionem motus. Simpliciter adhibetur a Medicis, vel una cum quibuſdam medicamentis ſtimulantibus calefacientibuſve, vel ſimul applicato calore inſtituitur, quare tunc ex adjunctis his fricationis uſus eſt exponendus.

Effectus generales. XI. Motum alternum 1. inducunt frictiones partibus firmis, ſine majori ſpirituum in villos iſtos influxu; 2. contentos liquores ex eo loco pellunt, ſpatiumque minus preſſum dein relinquunt affluxuro; 3. majori impetu urgent liquorem verſus eam partem, quo tendit directio frictionis; 4. ſi fiant itu & reditu in vaſis valvulis carentibus, tantum impediunt, quantum promovent fluxum; 5. in vaſis vero valvulis inſtructis fluxum promovent ſecundum ſitum valvularum; 6. ſed repetitæ frictiones, verſus eundem locum, promovent eo verſus directionem & impetum liquoris; 7. ſtagnantibus in eo loco liquoribus vel tardius motis, majorem motum conciliant; 8. concretis ex ſtagnatione & minori motu fluorem conciliant & eos reſolvunt; 9. liquorum partes, figuræ alienæ, vaſorum figuræ internæ magis appropriatas faciunt. 10. cruda aſſimilant, viſcida reſolvunt, tenuiora compingunt, lentorem magis condenſant; 11. pellunt partes majores in anguſtiora vaſa; 12. majori impetu ruere faciunt liquorem ad eam partem; 13. derivant aliunde impetum; 14. partem tandem rubedine ſuffundunt; 15. ceſſantibus frictionibus major motus & calor relinquitur in parte; 16. laxata ſolida roborant; 17. inertia commovent; 18. frigori medentur; 19. depellunt vel diſcutiunt frigidos tumores.

Effectus ſpeciales. XII. Qui hos effectus mechanice contemplatur, eum latere nequit, multis in morbis admodum prodeſſe frictiones, cum vel ſine ſtimulantibus: uti in animi deliquio; obſtructionibus meſenterii, omenti, hepatis, lienis, hydrope; œdemate, leucophlegmatia, paralyſi, prohibita perſpiratione, tumoribus frigidis; viſcido; inertia, laxitate & humiditate ſolidorum; multis morbis chronicis; acrimonia acida; cruditate humorum, arthritide vaga; morbis frigidis; hydropis, podagræ, aliorumque morborum prophylaxi; pareſi, ſcorbuto; beriberi; ventris

infar-

infarctione; rachitide, & infinitis aliis morbis.

XIII. Eædem fere cautelæ obſervandæ, quæ ſuperius de roborantibus moventibus (8) recenſitæ ſunt: id autem boni præſtant, quod motum faciant vix ſine ullo ſpirituum diſpendio, quod in motu muſculari non fit, & quod ſemper operentur, quod a ſtimulantibus non ita eſt exſpectandum. *Cautelæ.*

XIV. Qualis frictione mechanica in cute producitur rubedo, talis quoque infertur medicamentis *Rubefacientibus*, quæ græc. φοινιγμοὶ dicuntur, per excitatum motum a ſtimulo, ut patebit (T. LXXXIV.): nam motus in villis irritamento concitatus, ſive vocatur acre, ſive σιναπισμὸς, ſive ῥῴπαξ ſeu *picatio* ex applicato medicamento, pellit ſanguinem rubrum in principia arteriarum lymphaticarum, quo pars rubedine & quodam tumore ſuffunditur. *Rubefaciens.*

XV. Frictiones autem nihil heterogenei admiſcent liquoribus iſtius loci, & pro lubitu augeri, minui & omitti omnino poſſunt, atque in vaſis inertibus omni motu vitali privatis, poſſunt tamen concitare motum: rubefacientia vero ſæpe aliena admiſcent liquoribus, & poſt ablationem non raro aliquid relinquunt alieni, quod quandoque ne quidem abluendo auferri poteſt, atque in cadaveribus nihil, in inertibus ſolidis vix aliquid efficiunt. Ut igitur fiat electio, perſpiciendum, an rubefaciens debeat continuare motum, an potuerint inertia ſolida in motum concitare, & denique an non quædam ſit alia virtus in rubefaciente, quæ in eo morbo vel proſit vel noceat. *In quo differt a frictionibus.*

XVI. Quoniam omnes effectus ex frictionibus (11. & 12.) intelligi poſſunt, non erit opus repetere. *Effectus.*

XVII. Quæ acria, ut fecerunt Arabes, corpori applicata lympham eliciunt, & ſub epidermide a cute elevata eam colligunt, vel ea tandem eroſa lympham ex denudata cute effluere faciunt, dicuntur *Veſicantia* & *Veſicatoria*: quamvis multa purgantia hydragoga, uti jalapa, talem quoque exerceant virtutem, cantharides tamen præ omnibus merentur, ut veſicantia propterea *Dicantharides* dicta fuere. *Veſicantia.*

XVIII. Quoniam veſicantium effectus differunt a rubefacientium & frictionum productis (excitant enim veſicantia, ſine multo ſæpe dolore, exigua rubedine partis, veſiculam ichoroſam), præter motum generalem concitatum, aliquid ſpeciale faciunt. *A quibus differunt.*

XIX. Quare ad binas operationes attendere oportet, ad generalem ſc. qua agunt moventia, & ſpecialem, quæ in ſolis veſicantibus obſervatur. *Operatio duplex.*

XX. A pulvere *Cantharidum* ſanguini miſto, primum aliquantulum ſanguis concreſcit, dein vero reſolvitur in liquamen plumbeum, ſubnigrum, ichoroſum. Cantharides applicatæ primo veſiculam ichoroſam elevant, cum quadam rubedine in ambitu & calore; diutius retentæ cutem ſubjectam, in cruſtam ſubnigram ichorem fundentem, corrodunt. Nimis ingeſtæ, ut alia venena, vomitum & nauſeam concitant; multum ſalivæ viſcidæ effunditur, caput titubat, & præ ceteris afficitur; ſitis ingens cum lingua arida; delirium, convulſioneſque accedunt; dein renes & veſica patiuntur, urina copioſe funditur, abraditur mucus harum partium, non raro merus ſanguis emittitur, & exulcerantur urinæ viæ. *Effectus ſpeciales cantharidum.*

XXI. Ex perſpectis his experimentis facile eſt dijudicare, quando *Veſicantia* ſint adhibenda, nam virtute ſtimulante generali non multum differunt a rubefacientibus. Sed ſpecifica natura, qua reſolvunt viſcidum, in concretionibus pituitoſis, œdematoſis, hydropicis, apoplexia, morbis ſoporoſis, amauroſi, ſurditate ex tali cauſa natis, multa præſtant. Quia alliciunt humores & educunt, in catarrhoſis, capite dolentibus a cruda acri lympha, dolore iſchiadico, odontalgia, fluxu humorum ad oculos, ſtigmatibus nigris ex combuſtione relictis, conducunt; aut quando ad aliquam partem derivatio eſt facienda humoris acris, minime bilioſi vel inflammatorii. Et quoniam præprimis urinam fundunt, adhibenda ſunt morbis frigidis, humidis, laxis & frigidis, qui copioſiorem urinæ evacuationem exigunt, uti in ſputo tenaci, aſthmate. *In quibus morbis adhibenda.*

XXII.

In quibus visanda. XXII. Nocent vero morbis cum majori circulatione, calore corporis, colliquatione pinguedinis, ſiccitate inflammatoria: quare in hujuſmodi delirantibus, comatoſis, apoplecticis, atrophia, tabe, febre hectica & colliquativa laborantibus noxia ſunt, præprimis ſi adeſt lingua arida, & ſitis intenſa. In mictu cruento, ardore urinæ ob muci uretræ abraſionem vel defectum, morbum augent. Hydropicis applicata, ulcera dyſepulotica, & non raro gangrænoſa generant.

Curatio in abuſu. XXIII. Quoniam in perverſo uſu medicamentorum non raro Medici prudentioris auxilium expetunt, ſcire oportet, quomodo mala, ex veſicantibus nata, ſint tollenda. Si externe pateat, pars abluenda liquore molli, & applicandum mel roſarum; vel ſi nimis ſæviat, diluenti admiſceri poteſt tantillum ſacchari Saturni. Virus cantharidum humoribus miſtum temperatur multa dilutione aquoſi, & ingeſtione lactis; infringitur acidis.

Cucurbitulæ. XXIV. Liquores ab omni parte æqualiter preſſi, in eo loco quieſcere videntur, ſed ſi a quacunque parte tollitur cauſa premens, eo majori impetu eo verſus ruunt, quo cauſæ prementes validius operantur: ita agunt *Cucurbitulæ* & *Suctiones*, auferendo preſſionem aeris incumbentis in aliquam partem, contentos in eo loco liquores, & qui eo fluere poſſunt, alliciunt. Quare cucurbitarum actio eſt mechanica, qua conſtat, omnes liquores fluere verſus partem eam, ubi eſt minor preſſio.

Omnes liquores alliciunt XXV. Cum ſit lex generalis omnibus liquoribus competens, nonnulli inepte adſtruere conantur ſpeciales elici liquores. Aliqua tamen eſt ſtatuenda differentia in faciliori & difficiliori acceſſu; qui enim mobiliſſimi ſunt, tenues & parum adhærentes partibus firmis, & qui per patentiora ire poſſunt vaſa, prius accedunt; dein alii craſſiores, tenaciores, partibus firmis adhærentes tenaciter, & qui per anguſtiſſimos canales tranare debent, tardius accedunt ad partem minus preſſam; alii vero omnino non attrahuntur, quorum nempe cohæſio eſt major, quam eſt trahens potentia.

Cum & ſine ſcarificatione. XXVI. Sive premens aer auferatur antlia pneumatica, ſive ſuctione alia, ſive accenſione flammæ aerem primo rarefaciente, qui dein frigefactus attrahit partem cucurbitulæ annexam, effectus operationis idem eſt, niſi quod flamma videatur truculentior. Verum in effectu differt, ſi pars ſcarificetur, vel integra maneat, cum in parte integra ſoli tenuiſſimi tranſmittantur, ſed in ſcarificatis etiam craſſiſſimi.

Quid fiat in parte. XXVII. Pars, poſt operationem ſuctionis & cucurbitæ, tumet, rubet, dolet, ſæpe tranſudat humor, &, ſi ſcarificata fuit, non raro impetu erumpit ſanguis. Urgentur itaque omnes liquores, in arteriis, venis, lymphaticis, excretoriis glandularum, cryptis, aliiſque interſtitiis, vel & in nervis hærentes, verſus partem minus preſſam confluere & quandoque effluere. Quamvis curſus liquorum, in venis cruentis & lymphaticis, ſit oppoſitus, huc verſus tamen determinatur, niſi obſtent valvulæ: eadem quoque actione ampliantur vaſa.

Uſus. XXVIII. Adhibendi ſcopus eſt, ex adjacentibus partibus attrahere & ſæpe evacuare humorem, atque ex partibus remotioribus verſus hanc partem dirigere fluxum. Quatenus dolore vel tumore aliquid præſtant, id ex natura ſtimuli eſt deducendum. Conveniunt ergo in morſu canis rabidi, vel aliorum animalium venenatorum, quæ applicatione virulentiæ inquinant, quamdiu virus huic parti adjacet: in doloribus ex acri tenui humore vellicante, uti catarrho iſchiadico, arthritide, pleuritide lymphatica, odontalgia, otalgia ex fluxionibus: ſi deſideratur evacuatio cum ſtimulo: vel elevatio, puta cartilaginis enſiformis, eſt facienda.

Cui parti applicanda cucurbitula. XXIX. Omnibus corporis partibus externis applicari poſſunt. Si evacuatio ſit facienda, quantum fieri poteſt prope applicandæ. Si autem derivatio eſt facienda, obſervandæ ſunt leges metaſtaſis (T. XVII. 29. ad 34.). Hinc ventri applicant in colico, coxis in iſchiadico, temporibus in cœcitate, vertici in epilepſia, pone aures in aurium dolore: ſed etiam ad crura, in angina, aſthmate, pleu-

pleuritide, menſibuſque ſuppreſſis, ut fiat derivatio.

Fonticulum & ſetaceum.

XXX. *Fonticuli* & *Setacea* artificioſa ſunt ulcera, quibus conantur Medici alienos humores educere; in effectu vix differunt ab aliis ulceribus; niſi quod in loco magis opportuno pro arbitrio excitari poſſint. Variis modis *Setacea* inſtituunt, ſufficit elevatam cutem acu filo ſerico, cera obducto, munita ita pertundere, ut filum trajectum relinquatur in apertura, quod in omni deligatione aliquantulum eſt protrahendum, &, ſi diu geſtandum, renovandum quandoque eſt. *Fonticulum* inſtituere cauterio actuali vel potentiali non eſt opus, prompte fieri poteſt elevatam cutem ſecundum longitudinem tranſverſe pertundendo, notato loco atramento, dein locum apertum ſervare globulo, cui, ſi requiritur, aliquid erodens admiſceri poteſt.

Ubi inſtituuntur, & eorum uſus.

XXXI. *Setacea* frequentiſſime in nuchis adhibentur, ad morbos capitis & oculorum; in ſcroto ad hydrocelen; raro in ventre ad eductionem aquæ aſciticorum. *Fonticuli* vero in brachiis ad tendinem deltoidis, in pedibus ſupra & infra genu, ubi commode ligatura ſuſtineri poſſunt, in loco decliviori. In hæmorrhoidibus, vel ulceribus ſuppreſſis, doloribus articulorum, minime vero podagricis, aut quando ulcus pedis in commodiorem locum eſt traducendum, adhibentur.

Attrahentia definiuntur.

XXXII. Dum ope medicamenti, vel alicujus auxilii, fluxus humorum magis determinatur quam antea ad eam partem, cui hoc medicamentum applicatur, talis actio vocatur *Attractio*, & medicamenta, quæ hoc faciunt, *Attrahentia*, *Attractiva*, Græcis ἑλκτικὰ & ἐπισπαστικά.

Duplex genus.

XXXIII. Duplex horum ſtatuitur genus, primum quod cunctos humores allicit, alterum quod ſpeciales eligit.

Subdiviſio in tres claſſes.

XXXIV. Generalia attrahentia diſcernuntur 1. in *vera Attrahentia*, uti cucurbitulæ (25.); 2. *Stimulantia* parti applicata, quæ frequentiſſime epiſpaſtica dicuntur; 3. in *Laxantia*.

Attrahentia mechanica.

XXXV. *Attrahentia mechanica* ſunt frictiones artificiales, cucurbitulæ, venæ ſectio, aliave evacuatio, quibus aufertur reſiſtentia fluxuro liquori, quare ad partem eam minus preſſam magis confluunt liquores, qui tunc dicuntur attrahi.

Stimulantia.

XXXVI. Quæ autem ad partem aliquam dirigunt humorum fluxum *ſtimulando*, a multis Medicis irridentur. Ea autem applicata villos iſtius partis exagitant, quibus contenti liquores alterne magis preſſi propelluntur, ſimili fere modo ut in frictionibus (11.): ſive enim propria contractione villorum, ſive externa preſſione, alterne pellatur contentus liquor, effectus in liquore idem eſt. Probare autem reſtat ſtimulo moveri villos (T. LXXXIV.). Hæc ſi ultra modum movent humores, in tali parte tumorem cum rubedine, calore, & dolore excitant, uti rubefacientia (14.): ſi autem exagitant ſtagnantes, lentos, frigidos, viſcidoſque humores, in vaſis laxis & inertibus ſtagnantes, iſtos non attrahunt, ſed diſcutiunt, & minuunt partis tumorem.

Laxantia.

XXXVII. Denique *Laxando* partes firmas attrahuntur ad eam partem liquores, quia minuitur ſuſtentaculum: ita attrahitur pus externe applicato cataplaſmate; fragmenta & aliena in corpore hærentia educuntur emplaſtro & unguento molli, præprimis cum pus in ambitu creatum educit noxium in corpore hærens; menſes provocantur ſedendo ſupra vaporem exhalantem aquæ calidæ; a capite trahuntur ad pedes, ſi quis fomento calido vel balneo foveat pedes.

Specifica.

XXXVIII. Quas magnis encomiis extollunt *ſpecificas virtutes attrahentes* venenum, in bufone, ſcorpione, carne canis rabidi, lapide ſerpentino, hepate lupi rabidi, multiſque aliis, non carent dubio: hæc enim juxta venenum poſita nullum indicium attractionis magneticæ præbent. Si vero operantur, extinguendo venenatam naturam, non ſunt atthraentia, ſed antidota, ſeu corrigentia. Quoniam omnia hæc experimentis non ſatis ſunt comprobata, ſatius eſt omittere, ne vera curatio eorum morborum intercipiatur.

Obſervanda in his.

XXXIX. In his attendendum, num motus ſimul ſit adaugendus, an minuendus, antequam laxans vel ſtimulans applicatur. In electione partis ad has regu-

las

las reſpicere debemus : 1. ut fiat a parte interiore ad exteriorem ; 2. a parte magis principi ad minus principem ; 3. a parte ſuperiore ad inferiorem ; 4. ad loca ea, quæ translationem materiæ ex affecto recipere poſſunt cum minori periculo (T. XVII. 30. ad 33.) ; denique 5. in morbo , qui talem attractionem admittit.

Revellentia definiuntur. XL. Ab attrahentibus non multum diſtant *Revellentia* ſeu *Revulſoria* ἀντισπαστικὰ dicta : ſupponunt hæc in corpore impetum verſus aliquam partem , ex quo aliquod periculum imminet, eumque moderantur, & ad aliam partem magis dirigunt.

Derivantia. XLI. Denique ſequuntur *Derivantia* ſeu *Derivativa* : horum uſus omnino exolevit poſt inventam circulationem , ſed hac inventione horum operationem comprobari reor.

1. Sanguis e cordis ventriculo ſiniſtro preſſus æquali potentia urget in omne arteriarum ramos.

2. Qui rami hunc fluxum magis adjuvant, ii majorem copiam ejecti ſanguinis recipiunt.

3. Quorum ramorum reſiſtentia in finibus eſt minor, eorum recepta quantitas ex communi trunco erit major.

4. Sanguis præcedens in arteria & vena remoram ponit fluxuro ſanguini, præcedentis ab alia cauſa propulſio, vel ablatio per evacuationem , detrahendo reſiſtentiam , facit in eum ramum plus influere , quam ante ablatam vel minutam remoram.

5. Dum per aliquem ramum, ex communi trunco provenientem, augetur influentis quantitas, tantum detrahitur de quantitate reliquorum ramorum ex eodem trunco provenientium.

6. Cum ita plus recipitur ab eo ramo, aliquid intrat eum ramum, quod non intraſſet antea.

7. Fit ergo derivatio, ſeu ſanguis, qui antea per proprium vas iviſſet, nunc intrat hunc ramum minus reſiſtentem.

8. Quia omnes rami ex eadem aorta oriuntur, ad varias partes derivari poteſt ſanguis fluens.

Horum cauſæ. XLII. Cauſæ derivantes ſunt. 1. quæ augent fluxum per ramos arteriæ aliquos, ut frictio attrahens ſtimulanſque, motus quivis arteriæ major ; 2. ablatio ſuſtentaculi, ut attrahens , laxans, evacuatio reſiſtentis.

Corollaria. XLIII. Ex dictis ſequuntur.

1. Motum augeri poſſe majori robore contractilitatis.

2. Moventia primo ſolvere viſcidum & crudum, dein compingere.

3. Moventia compingere, non vero attenuare lentorem.

4. Motu alterno conſtringente & relaxante magis reſolvi obſtructiones, quam majori liquoris impetu in concretum.

5. Ad motum localem humorum requiri naturalem contractilitatam in villis, liberum & ſatis copioſum ſpirituum influxum ; liquorum transfluentium requiſitam quantitatem, & ad transfluendum aptitudinem, & denique vaſa aperta.

6. Cur veteres frictionibus non raro felicius curant morbos chronicos , quam nos medicamentis internis ſtimulantibus?

7. Quando rubefacientia nihil efficiunt, cum tamen frictionis effectum ſortiuntur?

8. An non a frictionibus, cum quibuſdam calefacientibus inſtitutis, omnia poſſumus expectare bona, quæ phœnigmis adſcribuntur?

9. Cur comatoſis, delirantibus, & convulſis, veſicatoria mederi & nocere poſſunt?

10. An ex ſola moventium theoria intelligi poteſt cantharidum operatio?

11. Cui pleuritidi conveniunt veſicantia cruribus applicata , inflammatoriæ an catarrhoſæ?

12. Cur

12. Cur prosunt vesicantia morbis pectoris, lædunt sæpissime in morbis capitis?
13. An vesicantia malignitatem pestilentialem educunt?
14. An Medicus peritus non debet scire, quomodo morbi curandi abusu medicamentorum producti?
15. Cur acidum cantharidum antidoton.
16. An cucurbitulæ sanguinem educunt solum in ambitu corporis hærentem, sed venæ sectio ex partibus internis?
17. An cucurbitulæ venenatum attrahunt vi magnetica?
18. Quomodo spicula impressa & ossis fragmenta a medicamentis attrahuntur.
19. Cur attrahere per fomenta calida ad pedes in acutis inflammatoriis, & epispasticis stimulantibus in multis morbis chronicis, conducit?
20. Quomodo attrahentia fiunt discutientia?
21. Cur post datum purgans in podagra quandoque oriuntur anxietates?
22. Cur purgans minuit ptyalysmum & sudores?
23. An in morbis crisin versus cutem facientibus purgans dandum?
24. Cur cantharides magis valent in resolvendo, quam alia stimulantia?

TRACTATUS OCTOGESIMUS QUARTUS.

De Stimulantibus.

I. IN viventibus hominibus *Motus* observatur duplex morbosus: unus qui fit alterna constrictione & relaxatione; alter in constrictione perstat: hos *Clonicum* & *Tonicum* vocant. Medicamenta, quæ utrumque, vel alterutrum, sua applicatione vel ingestione in villis motricibus, concitant, *Stimulantia* seu *Irritantia* dicuntur. *Definitio.*

II. Hæc autem cadaveri applicata nihil operantur, quare instigant causam, motum hunc utrumque efficientem; seu faciunt, ut spirituum influxus, quo peragitur in viventibus motus, fiat majori impetu in partem vellicatam, tam internam, quam externam: indesinenter si fiat, fit Tonicus motus; alternatim autem influens, fit Clonicus. *Faciunt majorem spirituum influxum.*

III. A vellicatione hac si agitantur musculi voluntati alias obtemperantes, fiunt *convulsiones* vel *spasmi* involuntarii (T. XXX.): musculi autem & villi motus vitalis hoc irritamento instigati, miras commotiones in corpore excitant, vix describendas. Si enim fiat in excretoriis motus tonicus, sistuntur excretiones omnes vel quædam; clonicus autem ingentem non raro facit evacuationem: in circulationis organis motum vel auget, vel perturbat, vel suffocat. De his omnibus infra amplius. *Agunt in utrumque motum.*

IV. Est igitur lex quædam generalis in nobis viventibus admittenda, ad quam pauci attenderunt, & multi, qui eam admittunt, motum vitalem denegant in omnibus partibus, sine quo effectus omnes intelligi nequeunt, *omnes nempe partes mobiles in viventibus a stimulo in majorem motum & constrictionem adigi posse.* *Stimulantium lex generalis.*

V. *Stimulus* hic vel est purus *mechanicus*, vel alias insuper possidet qualitates, quibus alia præterea nascuntur in corpore vivente phænomena, quæ perperam stimulantibus adscribuntur; quare non omnia stimulantia eundem effectum sortiuntur: ita alumen plumosum, pruritum intolerabilem, cantharides vesiculas excitant. *Stimulus mechanicus.*

VI. Purus etiam mechanicus stimulus levis gratum sensum, vel pruritum aut titillationem producit, major vero dolorem, rubedinem, tumorem, vel denique escharam generat. *Differt vehementia.*

VII. Idem irritamentum variis corporis partibus applicatum, varia producit, prout pars differentes exercet functiones magis minusque sentit, ad motum animalem, vel vitalem villos habet. *Applicatione partium.*

VIII. Ita ad *nervum sentientem* applicata, pruritum & dolorem inferunt: ad *Ad nervos.*

nervum motus ſi applicentur, omnes muſculi & villi motrices agitantur, vel motu tonico, vel clonico, vel perturbato: in *nervorum involucra* agentia, ut duram piamque matrem, omnium ſpirituum, per canaliculos nervoſos hoc involucro coercitos, motum vel perturbant, vel rapidiſſimo ſæpe fluxu iſtos exagitant. Si ſit *nervus ſolitarius*, iſtius partis functiones miris modis turbantur, & ſæpe ſimul alias partes, ex eodem ganglio nervos accipientes afficiunt, quandoque totum corpus conſentit.

Ad varias partes.

IX. Externe bulbo *oculi* adhærens ſtimulans, præter dolorem & generalia phænomena (6.), copioſas lachrymas prolicit, in *naribus* ſternutamenta, & muci ſtillicidium; in *ore* ptyaliſmum; in *faucibus* nauſeam, in *ventriculo* cardialgiam, vel nauſeam & vomitum; in *inteſtinis* colicam paſſionem & alvi fluxum; in *inteſtino recto* teneſmum; in *renibus* nephritidem, urinæ ſuppreſſionem & profluvium; in *veſica* & *uretra* micturitionem; in *aſpera arteria* tuſſim: in *pulmonibus* aſthma: in *corde* palpitationes & motum inordinatum; in *arteriis* omnibus utplurimum validam circulationem; in ramo ſingulari omnia ſigna inflammationis; in *organis ſecretoriis* & *excretoriis* ſecretiones auget, ſiſtit, perturbat, & miros inſolitos non raro liquores producit.

Nuditas pertinet ad ſtimulum.

X. Non ſemper eſt opus quęramus in liquoribus vel applicatis aliquid acre ſtimulans, cum partes denudatæ, ſeu muco naturali privatæ, a mitiſſimis fere eodem modo agitentur, ut aliæ munitæ ab acribus: ita abraſio muci œſophagi dolorificam reddit deglutitionem & quandoque non poſſibilem; abraſio muci inteſtinorum dyſenteriam & teneſmum; uretræ ſtraguriam; aſperæ arteriæ tuſſim; arteriarum concitatam circulationem.

Effectus generales.

XI. Cum differant ſtimulantium effectus: 1. ſi faciant motum vel contractilitatem; 2. ſi ad varias corporis partes applicentur; 3. ſi pura ſint vel aliis virtutibus juncta; 4. ſi magis aut minus agant; impoſſibile mihi videtur omnia in compendium redigere certo ordine, quæ a ſtimulantibus producuntur, tam in ſanitate, quam morbo.

Ex aucta circulatione.

XII. Quantum tamen fieri potuit, quodam ordine ſequentia collegi. 1. *Stimulantia augendo circulationem* hoc boni præſtant: acidum ſpontaneum ſubigunt & expellunt; animi deliquio correptos reſuſcitant; crudum concoquunt & expellunt; augent perſpirationem & ſudorem; catarrhos corrigunt; chachexiam curant; craſſos & viſcidos humores reſolvunt; languidiorem circulationem excitant; doloribus frigidis medentur; febrem hecticam ex ſpontanea corruptela tollunt: in parte gangrænoſa, vel quæ ſphacelari incipit ex defectu virium, vitam reſuſcitant; obſtructiones, ex crudis vel viſcidis humoribus vel defectu circulationis, reſerant; icterum, ex bile viſcida inerti, diſparere faciunt; leviorem maſſam compingunt; menſes & lochia, ſuppreſſa ob deficientem impulſum, provocant; valetudini ex morbis relictæ medentur, virus peſtilentiale volatile expellunt; perverſam nutritionem in rachitide præveniunt; renum dolores, poſt longiorem quietem natos ſine calculi præſentia, abigunt; ſpirituum defectum utcunque ſupplent.

Ex aucto motu in quibuſdam villis.

XIII. Stimulantia etiam, exagitando motum *quarundam fibrarum motricium*, ſtagnantes, in quibuſdam vaſculis laxioribus & inertibus, liquores inde depellunt; diſcutiunt tumores frigidos pituitoſos, œdematoſos: adjuvant humorum abſorptionem, & ita ſiſtunt alvi profluvium in lienteria; partis exhalationem adjuvant, & humidiora ſolida ſiccant; reſolvunt lenta viſcida, concreta; apoplecticos & ſoporoſos ex pituita incumbente reſuſcitant, viſus obnubilationem & amauroſin curant, ſi vel viſcidum comprimit nervum opticum, vel capſula nervi ſit iners; cephalalgiæ gravativæ medentur; convulſiones ex acri crudo compeſcunt; appetitum deletum & coctionem tardiorem ventriculi reſtituunt; hydrocelen, hydrocephalum, anginam aquoſam, alioſque tumores aquoſos, diſcutiunt; chloroſi laborantibus vividum colorem reſtituunt; calorem revocant parti, & medentur frigiditati; effluxum humorum ob nimis inertia vaſa compeſcunt, quare ſæpe gonorrhœam & fluorem album curant; multos morbos cutaneos, ex ſtagnantibus

ibidem

ibidem humoribus natos, auferunt; in paralyſi & pareſi excellunt, atque in omnibus morbis ex languidiori motu; ulcera ſordida, frigida depurant; ventriculi cruditati, languori, & frigiditati ſuccurrunt; materiem morbi ad interiora pulſam revocant; atque aliunde attrahunt.

Noxia.

XIV. Utut multa bona præſtent ſtimulantia, non tamen omni in morbo conducunt: ſæpe enim majore tenſione & impetu rumpuntur fibræ & vaſa, dolores, Eryſipelas, inflammationes, tumores dolentes, convulſiones, ſingultum, vomitum & evacuationes alias enormes producunt; vires exhauriunt; ſpiritus conſumunt; in frigore febris data, intolerabilem calorem, fere omnia deſtruentem, generant; & multa alia mala inferunt, in morbis ſi adhibentur, qui ab aucto motu vel condenſato ſanguine dependent.

Stimulus ſpecialis.

XV. Superius (§. 5.) diximus, ſtimulantia quoque multum differre, ſi aliam adjunctam virtutem habeant: verum omnia perſequi, quæ ad hunc titulum pertinent, nimis longum foret; quare quædam adjungam, ex quibus reliqua poſſunt intelligi. Huc pertinent *Acria* fere omnia, *aromatica*, *ſpirituoſa*, *volatilia*, *vulnerantia*, *rubefacientia*, *ſales*, *fuſtigatio cum urticis*, *frictio cum alumine plumoſo*, *flagella*, *titillationes*, *ſinapiſmi*, *dropax*, *odores graviores*, *ſapones acres*, *calor urens*, *pilorum evulſio*, *digitorum intorſio*, omnia fere, quæ *dolorem inferunt*, *inſecta acria*, vel *partes animalium acres*, ut ſtercora, urinæ, bilis, caſtoreum, zibetha, moſchus.

Olea aromatica deſtillata.

XVI. *Plantæ acres volatiles aromaticæ* omnem fere ſuam ſtimulantem vim continent in *oleo*, quod elotione frequenti, & expoſitione ad aerem apertum, fere omnem virtutem amittit, ſine vix ulla ponderis diminutione: quare virtus aromatica non eſt ipſum oleum deſtillatum, ſed id exiguum, quod evolavit. Hoc autem cum oleoſo retinaculo corpori applicatum vel ingeſtum ſtimulat, movet, calefacit, & ſi multum eſt, urit: ſpeciales autem virtutes ex deſcriptione ipſius plantæ petendæ.

Cautelæ.

XVII. Omnes plantæ hujuſmodi virtutibus præditæ, nunquam vaſe aperto concoquendæ, ſed infundendæ, vel earum deſtillatus liquor aut oleum adhibendum. Olea pura, quia fere omnia cauſtica ſunt, non danda, ſed ſaccharo, melle, ſyrupo, aut ovi vitello miſcibilia facienda aquoſis, ut largiori vehiculo temperetur urens virtus, tunc præſtantiſſima ſunt medicamina.

Uſus.

XVIII. Excellunt tunc in omni languore virium, motu imbecilliore; viſciditate & cruditate humorum; refrigeratis calorem reſuſcitant; cum ſalibus volatilibus miſta perſpirabile & ſudores ducunt; cum vini ſpiritu diſcutiunt, & opitulantur doloribus frigidis; diſcutiuntque tumores frigidos. Reliqua ex ſpeciali virtute plantarum, & ex generali uſu ſtimulantium petenda.

Olea acria expreſſa.

XIX. *Olea* autem *acria expreſſa* pauca ſunt, & minus præſtantia, utplurimum ad uſum externum inunguntur partibus refrigeratis, paralyticis, frigidis tumoribus affectis; vel ad muniendas partes contra gelu.

Olea acria combuſta.

XX. *Olea mitiſſima & pinguedines combuſtione fiunt acerrima*, empyreumate ignis vehementia vel putredine acquiſito, valide ſtimulant, calefaciunt; verum raro niſi ad externum uſum, ut olea acria expreſſa, adhibentur, tenaciſſime adhærent, & utplurimum fœtentia ſunt.

Picatio.

XXI. Ex deſcriptione ſtimuli omnino patet, cur veteres, ad excitandum motum, applicarint *Dropacem*, ſeu Dropaciſmum, quem vi avellebant, ut ſubſequeretur doloroſa avulſio, hinc Depilatorium, ſeu ψίλωθρον & πλωτικὸν dictum, cum doloris excitatione in partibus capitis exterioribus, verum etiam interioribus, ob conſenſum, major concitetur motus.

Fuſtigatio.

XXII. Ex eadem quoque ratione, *fuſtigatio* cum urticis, *flagella*, *pulſationes*, adhibebantur, & ut humores magis verſus eam partem traherentur; ita in ſcabie, herpete, aliiſque morbis cutaneis intropulſa ſanies ad cutem revocatur.

Corollaria.

XXIII. Ex dictis patent.

1. Cur inuſtione articuli cum mox a vellanugine, more veterum, lenitur podagricus dolor?

2. Cur applicant aceſcentia epiſpaſtica pedibus in deliramentis ex febre?
3. Cur ſtimulantia calefacientia pedibus applicanda in apoplexia, ſopore, & metaſtaſi materiæ morbi ad caput?
4. Quæ motus imbecillitas & paralyſis curatur applicatis veſicantibus, quæ debilior redditur?
5. Quomodo volatilia naribus admota in ſyncopticis motum reſuſcitant?
6. An volatilia & aromatica, ſuppeditando ſpiritus nervorum, augent vires?
7. Quis dolor capitis curatur, & quis intenditur, ſtimulantibus?
8. Cur nephriticorum dolor compeſcitur aromaticis ſtimulantibus, ſi in urina conſpiciuntur miculæ?
9. An in omni, & quanam ſpecie anginæ, ſtimulantia applicanda?
10. Cur poſt datum purgans quandoque anxietates generantur, ſine alvi evacuatione?
11. Cur exhibent & applicant ſtimulantia in podagra, vel alia materia retropulſa?
12. An ſtimulantia applicata non intrant?
13. An veterum fuſtigationes & Dropaces omnino repudianda?

TRACTATUS OCTOGESIMUS QUINTUS.

De Calefacientibus.

Definitio. I. QUæ medicamenta, quocunque modo, majorem in noſtro corpore calorem excitant, vel ſimilem ſenſum concitant, vocantur *Calefacientia*: adeo ut non ſit neceſſe ſemper, calefaciens verum calorem producat.

Actualia & potentialia. II. Quamvis *Calida* & *Calefacientia* a multis in uſu medico confunduntur, differt tamen operatio & effectus horum, cum Calida quædam curant, quæ a Calefacientibus in deterius ruunt.

Refrigerii ablatio. III. Ad hunc quoque titulum referuntur ea, quæ refrigerationis cauſam naturalem tollunt, ut veſtimenta, ſtragula, loca clauſa, aditum frigidi aeris intercipientia: quæ autem fiunt per hæc, ex calore actuali intelliguntur.

Calida quid faciant. IV. Calor paulo major quam eſt calor hominis ſani & quieſcentis, uſque ad coagulationis gradum, in nobis tenuiores facit omnes humores, ſolida laxat, promovet effluxum ſanguinis, auget putredinem, enervat ſolida, viſcidum meabile reddit, acrimoniæ actionem auget, & ejus expulſionem promovet, juvat operationem medicamentorum diluentium, abſtergentium & reſolventium, promovet perſpirationem.

Uſus. V. Multis in morbis juvat calor actu concitatus: ita lenit multis in locis dolores; tumores aquoſos frigidos diſcutit; materiem metaſtaſi ad interna pulſam evocat; in debilibus naturalem ſervat calorem; horrorem & rigorem minuit; eſcharæ lapſum promovet; conducit morbis oſſium, nervorum, pudendorum & pectoris; promovet ſuppurationem, menſes provocat.

Detrimentum. VI. Calor autem major nocet morbis bilioſis, putridis; variolis; hæmorrhagiis; partibus congelatis, obſtructis, quæ a calore non ſolvuntur; ſcirrho, ſi timetur futurus cancer; ventriculo laxiori, partibus laxatis & inertibus: partes continuato calore enervantur, ut poſtea majore cum moleſtia ferant ſolitum frigus.

Calor urens. VII. Calor urens ſemper nocet, quia omnia deſtruit: caſu prodeſt, ſi talis deſtructio requiritur (vid. T. LXIV.).

Calefacientia ſtimulantia. VIII. Augetur corporis calor ſemper a majori attritu partium firmarum ad ſe invicem, qui 1. fit potentior aucto motu per *moventia* (T. LXXXIII.), & *ſtimulantia* (T. LXXXIV.). Hæc quamvis frigide adhibentur vel applicantur in parte quadam vel & toto corpore, calorem & ſenſum caloris excitant, quia motum vitalem languidiorem inſtigant, ut faciat velociorem attritum.

IX.

IX. Conveniunt igitur morbis ex motu languido, & frigidis, aut quando motus & calor major ad curationem requiritur: ut in œdemate; laxitate & inertia ſolidorum; frigiditate ventriculi; parciore perſpiratione; cruditate; cacochymia; chloroſi; acrimonia frigida; ſpontanea corruptione; apoplexia pituitoſa; morbis flatulentis; acido prædominante; rachitide, ſcorbuticorum horripulatione; ſphacelo ex virium defectu; debilitate relicta poſt copioſiores evacuationes, vel hydrope curato; metaſtaſi ad interiora; materia critica expulſioni præparata; peſtilentiali ſuſcepta virulentia; humiditate ſolidorum; viſciditate; menſibus ſuppreſſis ex defectu motus; paralyſi; pareſi; ſurditate; viſus imbecillitate ex tardiori ſpirituum influxu; capitis dolore diuturno; doloribus catarrhoſis flatulentis; odontalgia; tumoribus frigidis ſcrophuloſis; ſopore; animi deliquio; ulceribus ſordidis, frigidis, & multis aliis. *Uſus.*

X. Nocent autem in lentore phlogiſtico; febre acuta; ſiccitate; denſitate humorum; principio febrium, tam continuarum, quam intermittentium, variolarum, & quidem invaſionis tempore, quoniam actio horum non ſtatim ceſſat, cum ſolitus calor horum morborum ſponte oritur. *Detrimentum.*

XI. Augetur quoque calor 2. per potentiorem applicationem, uti fit ab exhibitis vel applicatis *Roborantibus* (T. LVIII.), atque adſtringentibus, quæ non ſuperant, aut ſuffocant motum in tali parte. *Calefacientia roborantia.*

XII. Horum uſus frequens, & multum præſtat in morbis chronicis, & fine acutorum, ſi homines diu manent infirmi: omnibus fere in morbis adhibentur, ut præcedentia (§. 9.), ſed quoniam horum operatio non exigit ſpirituum vitalium majorem influxum, vires, ab hoc medicamento excitatæ, non cadunt, ſi roborantium virtus evaneſcat, quemadmodum a multis ſtimulantibus. *Uſus.*

XIII. Utut morbis chronicis ſit panacea roborans, acutis autem inflammatoriis, omnibuſque morbis, ex majori motu, magnum damnum infert. *Detrimentum.*

XIV. Medicamenta vegetabilia ſuaveolentia, maxime odora, guſtu calida, & ſæpe grata, præprimis in calidis regionibus creſcentia, *Aromata* dicta, quæ conſtant oleo penetrantiſſimo ſeu ſpiritu fugaciſſimo, ab oleo plantæ tanquam retinaculo intricato, & quandoque ſale quodam, ſali alcalino volatili fere ſimili, corpori ingeſta vel applicata, a præcedentibus non multum differunt in uſu medico. *Aromatica.*

XV. Quoniam in ſingulis fere ſpecifica eſt virtus, & non omnia æquali energia calefaciunt, horum omnium uſus vix poteſt tradi, niſi ſigillatim exponantur. *Differentia.*

XVI. *Sale* ſuo ſingulari penetrante & volatili, atque *oleo* vel *ſpiritu aromatico* exſiccant, ſtimulant, calefaciunt, motum, perſpirationem & ſudorem augent, ſitim intendunt, appetitum erigunt, ſi modica adhibentur copia: ſed nimis ingeſta, nauſeam, vomitum, ructum, flatus, anxietatem, ardorem & alia mala inſtar venenorum excitant; externe fiunt rubefacientia, corrodentia & dolorem inferentia. *Uſus.*

XVII. Conveniunt igitur in inertia, laxitate, frigiditate, viſcido, debilitate virium, languido ſpirituum motu, acrimonia acida, colica flatulenta, inappetentia, dyſorexia, alvo profuſa ex laxitate, humiditate, leucophlegmatia, cruditate chronica, parciore perſpiratione, doloribus poſt partum & hyſtericorum, morbis ſenum, debilitate relicta a morbis. *In morbis.*

XVIII. Verum in omnibus morbis acutis, quamdiu corporis adeſt calor & ſiccitas, inflammatoriis, eryſipelatoſis & bilioſis noxia ſunt. Si autem nimius uſus quædam mala induxit, ea abiguntur ſubacidis, refrigerantibus, ſaponaceis, & alvi ductione ex ſimilibus. *Detrimentum & ejus medela.*

XIX. Fermentatio oleum fixum farinoſorum, ſuccorum horæorum, mellis, ſacchari & reliquorum in oleum volatile, flammam alens convertit (T. XXXVIII.), quamdiu aliis principiis miſtus manet liquor fermentatus, *vinum* vocatur; ſi autem detrahatur portio quædam diluentis liquoris, ut tranſcendens per deſtillationem *Vinoſa & ſpirituoſa.*

nem liquor, plus contineat olei, fermentatione attenuati, *ſpiritus* dicitur; ſed cum ab omnibus admiſtis ſit ſeparatus, ut totus liquor ex mero oleo fermentato conſtet, *alcohol* appellatur.

Alcoholis confectio. XX. Duobus modis oleum fermentatum a reliquis ſeparatur: 1. deſtillando, cum oleum fermentatum minori ignis gradu ebullit & attollitur, quam aqua; 2. additione ſalis, præprimis lixivioſi, qui in aqua, non vero in oleo attenuato ſolvitur, liquor igitur aquoſus proportionate gravior factus, dimittit oleum fermentatum ſeu alcohol, quod tunc ſupernatat.

Alcoholis virtus. XXI. Purum oleum fermentatum ſeu alcohol has virtutes præſtat: ſanguinem coagulat; partes firmas conſtringit & in callum convertit; eaſque primo ſtimulat, & ſenſum caloris præbet; putredinem coercet; exſiccat egregie; per accenſionem calorem excitat. Majori copia ingeſtum, ebrietatem inducit, & temulentiam.

Vini virtus. XXII. Vinum autem, reliquique liquores fermentati, eadem præſtant, ſed debilius; verum ob admiſta alia principia, quædam fiunt, quæ non veniunt ex natura ſpiritus, ſed ex ſpecifica indole admiſti.

Uſus horum. XXIII. Multa bona præſtat vinum & ſpiritus vini in debilitatis; ex morbo vel ſenectute langueſcentibus, morbis frigidis; externe ad cohibendam putredinem, cicatricem indurandam, mitigationem doloris ex acrimonia cruda.

Abuſus. XXIV. Duplici modo præſtanti hoc liquore abutimur. 1. Si nimia copia aſſumatur, multa damna infert, ebrietatem, capitis dolorem, corporis debilitatem, citam ſenectutem, corpus tumidum, quaſi flatibus impletum. 2. Si adhibetur in morbo alieno, uti in omnibus morbis calidis, præprimis juvenum, hæmoptoe, aliiſque hæmorrhagiis; mobilitate laborantes, quamvis vinum calefaciat, ut ſpiritus ſingularis plantarum aromaticarum, minus tamen ſpirituoſa ferunt, quam aromatica.

Odorifera. XXV. Spiritus fermentati, ſpiritus plantarum, exhalans volatile ex animalibus, ſales alcalini volatiles, & acida volatilia, atque omnia, quæ facile permiſcentur aeri: ita ut in naribus ſpecialem ſenſum excitent, dicuntur *Odorifera*.

Uſus. XXVI. Partes intrantes nares & ad membranam pituitariam, atque nervum olfactorium, applicatæ, ſtimulo ſuo in his locis majorem motum concitant, quo inertia ſolida inſtigantur, torpidi ſpiritus commoventur: hac actione videntur novi ſpiritus & vires generari. Quare in lipothymia, apoplexia, ſoporoſis, viſu obſcuro, gravi auditu, ſenſuum ſtupore, viſciditate, humiditate & frigiditate cerebri, multa præſtant, modo hi morbi majori motu curabiles ſint.

Corollaria. XXVII. Ex dictis deduci poſſunt,

1. Cur actu calida reſolvunt, potentia autem augent inflammationem?
2. Cur in horrore febrium intermittentium calida curant, calefacientia nocent?
3. An caput ſemper cooperiendum, an detectum retinendum?
4. Quomodo veſtimenta & ſtragula augeant corporis calorem.
5. Quibus chronicorum debilitatæ vires ſunt erigendæ vel ſtimulantibus, vel roborantibus?
6. Cur deſtillando ſeparatur ſpiritus a reliquis vini principiis?
7. Cur repetita deſtillatione purius aſcendit alcohol?
8. Quæ differentia inter ſpiritum fermentatum & aromaticum?
9. An odorifera ſtimulando, vel ſuppeditando ſpiritus, vires debilitatas erigunt?

TRACTATUS OCTOGESIMUS SEXTUS.

De Motum Minuentibus.

In quibus partibus agunt. I. QUoniam corpus vivens duabus conſtat partibus, firma nempe & liquida, quæ motu agitantur, medicamenta motum minuentia, ad motum unius

vel

vel alterius vel utriuſque ſimul poſſunt referri; ſed rarum eſt firmum vel fluens ſeorſim moveri, quare ad utraque ſimul debet reſpici.

In motu majori & mediocri.

II. In his vel motus major eſt compeſcendus, ne inde quædam fiant mala, vel mediocris eſt minuendus, ſi morbus præſens minorem motum exigit, uti ſæpe in hæmorrhagiis.

Minuitur variis modis.

III. Quia variis modis, laxando, humectando, evacuando, refrigerando & multis aliis, minuitur motus: & morbi diverſa exigunt motum minuentia, præcipua eorum delibabo.

Evacuantia.

IV. Quæ evacuando minuunt motum, uti *venæ ſectio*, *purgans* ſine ſtimulo, adhibentur in majore contractione ſolidorum, lentore phlogiſtico; inflammatione; febre ardente; contuſione valida; rheumatiſmo; ardore cum ſiccitate corporis; cerebri compreſſione; apoplexia & ſopore ex majori impetu vel copia ſanguinis in capite; ophthalmia; dolore cum pulſu accelerato duro; ſiti ex compactis humoribus; ſingultu morborum acutorum; alvo adſtricta cum calore; angina; capitis dolore pulſante; menſibus obſtructis ex cauſa externa, præprimis in robuſtis fœminis; hæmorrhagiis ſuppreſſis juvenum.

Anodyna.

V. *Anodyna*, *hypnotica*, & *narcotica*, compeſcendo oſcillationem, ſedando ſpirituum impetum, ab animi pathemate, vel irritatione productum, multa ſæpe præſtant: ſive enim acre pergit irritare, vel motus concitatus poſt ablatum acre continuatur, ab anodynis his compeſcitur. Conveniunt igitur in hypercatharſi; vomitu; dyſenteria; urinæ profluvio poſt abuſum diureticorum; nephritide; doloribus multis; conatu parturientium alieno; teneſmo; hæmorrhoidibus dolentibus; cancro; attritu; ichore rodente; convulſione remanente poſt ablatam cauſam irritantem.

Abſtergentia.

VI. Acre ſtimulans materia tenaciore intricatum, ſi majorem motum excitat, & *Abſtergentibus* ſit ſublatum, compeſcitur motus major: ita nephritis ab acrimonia in tenaci muco ureterum; ventris dolor & cardialgia ex craſſo ſucco ventriculi & inteſtinorum; ſordities acris hærens in ulcere vel abſceſſu; abſtergentibus, quæ ſimul motum minuunt, optime curantur.

Laxantia & humectantia.

VII. Motus quam maxime compeſcitur laxantibus & humectantibus, quia partes firmæ his minus tenſæ fiunt, & humores compacti diluuntur: horum igitur uſus frequens in valida tenſione fibrarum, calore & ſiccitate totius & alicujus partis, inflammatione, febre ardente, combuſtione, contuſione, angina, pleuritide, excoriatione, rheumatiſmo, hæmorrhoidibus, robore contractilitatis, ſiti aucta & ſimilibus.

Adſtringentia & Incraſſantia.

VIII. Quæ una cum motus diminutione firmas partes adſtringunt, & liquores incraſſant, in omnibus hæmorrhagiis cum majori motu adhibentur & in hæmoptoe excellunt, eryſipelatoſis utiliter adhibentur, & bili tenui acri: horum uſus laudabilis in alvi fluxu humoris calidi corrupti fœtentis, tenuis; ſalivatione; diabete; ichore effluente cancri; ulceribus tenuem calidum humorem fundentibus; ſarcomate; narium polypo; thymio; aneuriſmate; oris ulceribus; ſiti in morbis putridis & bilioſis; cutis rubedine; gutta roſacea; jonthis; ſudamine; pruritu; multiſque aliis morbis cutaneis.

Multa alia.

IX. Multa quoque medicamenta ſpecifica veluti qualitate motum temperant, uti frigefacientia, nitroſa, acida ſaponacea, & mineralia, terra catechu. Quies corporis & animi, tardiorem producit motum.

Effectus generalis.

X. Motum hæc minuentia aperiunt obſtructa a lentore phlogiſtico aut impetu majori; tenues humores ex putredine calida incraſſant; cardiaca fiunt in putridis; ſudorem movent in morbis calidis. Sed in viſciditate, corruptione ſpontanea, morbis frigidis, vel ſi liquores effluant ex laxatis oſculis, ſummam ſæpe anxietatem inducunt.

Repellentia.

XI. Motu arteriarum & villorum non raro ad aliquam partem dirigitur humorum fluxus, ille ſi per refrigerantia, adſtringentia, & motum minuentia topica compeſcitur, talia tunc dicuntur *Intercipientia*, quaſi in via retineretur fluens

ens liquor. Sed si ex loco aliquo per adstringentia & refrigerantia urgeatur liquor ad alia loca, medicamenta hæc *Repellentia* & *Repercutientia* vocant. Quoniam illa externe adhibentur, ex quibus partibus si malus humor ad interiora pellitur, alienam metastasin generant: sed capiti applicantur non raro cum bono eventu.

Defensiva. XII. Quia existimabant veteres, ab omni parte confluere humores ad partem læsam, hunc fluxum conati sunt prohibere applicatione Repellentium vel Intercipientium supra & infra eam partem, dein ab aliis supra partem ipsam, ne malignus humor eo confluereret, ex qua ratione ipsis *Defensiva* dicta sunt.

Quæstiones. XIII. 1. An defensiva & repellentia partibus inflammatis applicanda?

2. An non in motu mediocri quandoque motus minuendus?

3. Cur Repellentia dolori podagrico, herpeti & scabiei utplurimum infelici eventu adhibentur?

4. An Defensiva verum merentur nomen?

5. An Repellentium operatio contra leges circulationis?

TRACTATUS OCTOGESIMUS SEPTIMUS.

De Frigefacientibus.

Definitio. I. QUæ medicamenta ingesta vel applicata minuunt naturalem vel auctum corporis calorem, vel sensum frigoris producunt, *Frigefacientia* seu *Refrigerantia* dicuntur, Græcis ψυκτικὰ & περιψυκτικὰ: hodie plerumque vocant ἀνπφλεγιστικὰ ex opposita virtute agente.

Divisio. II. Horum distinctio utilissima in *frigida Actualia* & *Potentialia*, quoniam operatio horum multum differt, uti constat ex iis, quæ diximus Tract. LI. 6. ad ea, quæ in hoc Titulo proponentur.

Vix differunt a Motum minuentibus. III. Quoniam toties in nobis minuitur calor, quoties compescitur motus, omnia in præcendenti Tractatu recensita huc reduci possunt. Sed quia in frigefacientibus his raro unica virtus habetur, nonnulla delibabo, quæ cum Refrigeratione aliam simul virtutem exercent, ut ita magis distincte sciri possit horum usus in morbis.

Resolventia. IV. Maxima virtus Antiphlogisticorum in Resolutione compactorum, & Refrigeratione observatur: quare excellunt in sanguinis lentore; calore sicco; siti ardentium; pulsu duro frequenti; urina rubra pauca; contusione; combustione; rheumatismo, palpitatione ardentium, calore febris; pleuritide, nephritide, phrenitide, singultu acutorum; anxietate & debilitate febrili; sopore ardentium; ventriculi & intestinorum inflammatione; angina vera; impetu sanguinis majori ad caput vel alia viscera.

Antiseptica. V. Quia *Putredo* arcetur caloris diminutione, multa ex frigefacientibus morbis putridis adhibentur: frequens ergo horum usus in febribus malignis; debilitate putridorum; siti molesta; calore mordaci; anxietate; sudore colliquativo fœtente; sorditie subnigra; nausea, vomitu, inappetentia & fastidio; ructu amaro nidoroso; inquietudine acutorum.

Antiscorbutica. VI. Magni quoque usus est, Antiscorbutica in calefacientia & frigefacientia distinguere, cum in locis calidis & frigidis omnino hic morbus contraria exigit.

Multa alia Topica. VII. Hoc quoque in medicamentis topicis reliquis est observandum, quemadmodum in cephalicis, pectoralibus, stomachicis, nephriticis, uterinis, hepaticis & similibus. Ita etiam Roborantia frigida vires restaurant in acutis, calida autem in chronicis.

Evacuantia. VIII. Neque hæc distinctio omittenda in purgantibus, diureticis, sudoriferis, & emmenagogis, quoniam per contraria non procedit evacuatio, vel, si fiat, damnum inferunt.

Nitrosa. IX. Princeps medicamentum refrigerans & resolvens lentorem est *nitrum*, vel

quæ

quæ multum nitri continent, uti ſucci fructuum refrigerantes, olea, & ſimilia, quoniam admiſtione ſua conciliat aquæ multo majorem frigoris gradum ad thermoſcopium, & ſanguinem concretum reſolvit. Si autem majori ignis calore mutetur in alcali fixum, ad præcedentes uſus ineptum evadit.

X. Ex dictis deducimus. *Corollaria.*

1. Quomodo multa reſolventia frigefaciant.
2. Quantum differant actu & potentia frigida.
3. Cur frigefaciens reſolvens Inflammationi, ſed adſtringens Eryſipelati, & acrimoniæ bilioſæ conducat.
4. Cur multa frigefacientia ſint antiſeptica.
5. Quomodo refrigeret nitrum, dum tamen ex cryſtallorum figura videatur irritare.

TRACTATUS OCTOGESIMUS OCTAVUS.

De Salivantibus & Apophlegmatizantibus.

I. LIquor tenuis fere aquoſus, ſed ſaponaceus, glandulis ſalivalibus, & forſan etiam extremitatibus arteriarum & nervorum, a ſanguine ſecretus, in cavum oris depoſitus, vocatur *Saliva*. *Saliva quid.*

II. Si ſana ſit, eſt pellucida, tenuis, inſulſa, inodora, ſaponacea, eluens veſtigia auri de lapide Lydio; conquaſſata valde ſpumans, & bullulas diutiſſime ſervans; copioſior & tenuior in eſurientibus; ſervata aliquamdiu in quiete deponit materiem albicantem tenaciorem; conſtat ex multa aqua, pauco oleo, ſalis, & terræ; non efferveſcit cum acidis aut alcalicis; Mercurium figit ſeu exſtinguit; cum liquore Saturni in lacteum colorem abit & plumbum præcipitat: paſtæ farinoſæ & ſyrupo miſta fermentationem promovet; oleoſa pinguia glutinoſa alimentorum miſcet ad faciliorem digeſtionem; ſalina ſolvit, & ad nervos guſtatorios ducit, ut excitent ſaporem; deglutitionem adjuvat: in uſu medico ſordes abſtergit, oculis utilis inſtillata, tubercula & verrucas emollit, lichenes & ſcabiem mundificat. *Hujus natura & uſus.*

III. Copioſior ad os derivatur a nonnullis morbis, uti in quibuſdam animi pathematibus; alia evacuatione ſuppreſſa; humorum colliquatione; morbis oris & linguæ irritantibus; impedito reditu ſanguinis, præprimis per jugulares venas; laxitate & apertura oſculorum ſalivalium. *Copioſior ex morbis.*

IV. Medicamenta, quæ ſalivam proliciunt, *Sialagoga* dicta inveniuntur: 1. quæ irritando internas oris partes ſalivam ducunt, uti ſunt *Maſticatoria*; 2. quæ nauſeam creant, uti *Antimonialia*; 3. quæ applicatione ad glandulas ſalivales ſecretionem ſalivæ promovent; denique 4. quæ humores ſingulari modo ſolvunt, & ad glandulas ſalivales ducunt, uti *Jalappa*, *Mechoacanna*, ſed omnium maxime *Mercurialia*, quare de his primo agendum. *Ex medicamentis.*

V. Mercurius ſeu hydrargyrum metallum eſt liquidum; poſt aurum omnium ponderoſiſſimum; diviſibile in infinitum, ſemper tamen ſphærulas format; totum volatile; æquabiliter expanditur ad calorem; non adhæret partibus firmis, ut alii liquores: aerem tenaciſſime retinet; efferveſcit cum acidis; arcte ſe jungit auro; amittit fluorem terendo cum ſaliva, ſulphure, terebinthina; cum ſtanno vel plumbo fuſum facit amalgama, externe applicatus vel & ingeſtus ſalivationem excitat; quo copioſius adhæret ſal acidus, eo vehementior, & fit ſummum venenum; non aſcendit in tubulis capillaribus, ut alii liquores; columna 28. vel 29. pollicum in æquilibrio eſt cum aere externo premente; omnibus inſectis toxicum. *Argentum vivum.*

VI. Ut ptyaliſmus excitetur per Mercurium, Mercurius dulcis ad drachm. ſs. quotidie partitis vicibus, vel Mercurius præcipitatus albus ad gr. iij. vel v. aliquoties repetenda, eſt aſſumendus, præprimis ſub forma boli vel pilulæ, ne ad- *Salivatio per Mercurium.*

hæreat dentibus, donec ptyalismus incipiat, dein minuenda dosis, ut in modica salivatione continuetur: reliqui modi, ut fumigatio cum Cinnabari, inunctio cum Mercurio crudo unguentis misto, & exhibitio Mercurii præcipitati rubri, vel Turbith, vel aliorum fortiorum ex Mercurio præparatorum, minus tuto adhibentur. Æthiops minus certo salivationem excitat.

Præparatio. VII. Ut rite procedat salivatio, depurandæ primæ viæ purgante Mercuriali, dein aliquamdiu implendum corpus decoctis resolventibus.

Excitatio. VIII. In corpore ita præparato partitis vicibus Mercurius est applicandus vel exhibendus, donec halitus oris fœtere incipit, gingivæ intumescere, fauces ardere, dentes vacillare, sputare frequentius, os saliva mucida plenum, febricula, stupor seu gravitas per totum corpus: tunc intra biduum vel triduum saliva copiosior effluere incipit. Continuandum in salivatione, donec morbi symptomata evanescant; hoc fit iisdem medicamentis minori dosi exhibitis: si quotidie a libris duabus, ad quatuor spuant, sufficit. Hoc tempore cavendum ab omni actuali frigore, & parce comedant, evitando omnia pinguia. Mala, quæ ex Mercurii abusu oriuntur, post reliquum usum Mercurii tradenda erunt.

Mercurii præparata. IX. Quia in variis Mercurii præparatis usus differt, præcipuas præparationes delibabo.

Mercurius crudus. X. *Argentum vivum crudum*, vel exstinctum cum saliva, terebinthina, sulphure, ut *Æthiops mineralis*, raro salivationem excitat, sed conducit in viscido, scirrho, glandularum morbis, scabie, insectis cutaneis, ventris duritie, vermibus, mesenterii obstructione, scabie, pustulis, maculis rubris, lentigine, impetigine, cachexia, ulceribus sordidis, mensibus obstructis, gonorrhœa.

Dulcis. XI. *Mercurius Dulcis* ad gr. v. vel VIII. purgantibus mistus multa præstat, sed quotidie partitis vicibus ad drachm. sem. sumtus Sialagogum; externe mitissimum cathareticum. Præscribitur igitur in multis morbis ex obstructione & visciditate humorum, & morbis cutaneis: ita in leucorrhœa, Venerea lue, scabie, ulceribus, gonorrhœa, pruritu, cancro, scirrho, strumis, ozœna, pustulis, maculis rubris, insectis cutaneis, lumbricis, morbis glandularum, gutta rosacea, mensium obstructione, cacochymia, leucophlegmatia, chlorosi, serpigine, herpete, paraphymosi.

Præcipitatus albus. XII. *Mercurius præcipitatus albus* præcedenti paulo acrior, & citius minori dosi salivationem excitat, interne a gr. iij. ad v. datur; externe unguentis admiscetur ad superiores morbos quoque externos.

Præcipitatus ruber. XIII. *Mercurius præcipitatus ruber*, ob copiosius adhærens acidum, interne venenum est, vel nunquam ultra g. ij. dandus. Externe quoque adhibetur in dictis morbis, si simul aliquid sit exedendum, vel si mitiora ob motus defectum parum valent.

Sublimatus corrosivus. XIV. *Mercurius sublimatus corrosivus* si detur ad gr. j. necat hominem, quamvis agyrtæ eo conentur abigere febrem quartanam. Externe autem si aliquid subito sit exedendum, aut sordes tenacissime adhærentes abstergendæ, adhibetur, sed utplurimum dilutus, ut est *Aqua Divina Fernelii*; obstinatissima ulcera & præcipuæ Venerea depurat.

Cautelæ. XV. 1. Quo plus acidi admistum est, eo vehementior.

2. Nocet nervis & eorum morbos producit nimius usus, ut paralysin, tremorem, vertiginem, amaurosin.

3. Corporis marcorem inducit.

4. Os & glandulas salivales præprimis aggreditur, ut fiat gingivarum erosio, tumor faucium & capitis intumescentia, halitus fœtens.

5. Vix quidquam agit in ossa.

6. Sanguinem facit tenuem & pallidum.

7. Acrior, vel paulo majori dosi exhibitus, alvum ducit, vomitum excitat, & interficit.

8. Purgantibus mistus raro salivationem excitat, sed promovet virtutem purgantem.

XVI.

XVI. Mercurii præparata acriora, vel copioſius ingeſta ſi excitent *Vomitum*, is promovendus multa potione molli, dein compeſcendus tumultus *hypnoticis*. *Mercurii abuſus & curatio.*

Ad *Alvum* ruens Mercurius tormina, anxietates, & teneſmum inducit, ſæpe cum animi deliquio: compeſcendus impetus per interna *hypnotica* & ope clyſmatis injecta; atque directione ad cutem per *ſudoriſera mollia*.

Si nimis ruat ad caput, cavendum tunc ab omni frigore, determinandus impetus præprimis ad cutem *ſudoriferis*, vel ad alvum *lenioribus purgantibus*, omiſſo ulteriori Mercurii uſu.

Quando gingivæ & fauces nimis tument, præcedenti addenda *gargariſmata* & *collutiones*; nonnulli ſuadent aureum numnium retinere ore.

XVII. Quæ medicamenta promovent materiæ pituitoſæ evacuationem, ſive per os ſine tuſſi, ſive per nares, ἀποφλεγματίζοντα dicuntur: quæ mucum ex naribus proliciunt, ſunt vel *naſalia* vel *ſternutatoria*: quæ tenaces humores eliciunt dum maſticantur, *maſticatoria* dicuntur: ſi autem ducunt humorem ſalivoſum tenuem; *ſalivantia* appellantur. *Apophlegmatizonta & eorum genera.*

XVIII. *Naſalia* ſeu ἕρρινα ſunt omnia medicamenta, quæ naribus indantur, ſed quia frequentiſſime ad eliciendum mucum adhibentur, ea huc referenda exiſtimavi, reliqua vero ad varios narium morbos curanda in opportuniorem locum referenda: vel liquor naribus attrahitur ex vola manus: vel turunda indatur quandoque ex convoluta herba; vel fit ex radice naribus appropriata; vel pulvis groſſus attrahitur vel inflatur; aut odor volatilis recipitur ex ſalibus volatilibus & ſpirituoſis, vel fumus aut vapor aſſurgens attrahitur naribus. *Naſalia.*

XIX. Horum uſus eſt ſtimulare pituitariam membranam & nervos olfactorios ſine ſubſequente ſternutatione (quare mitiora ſternutatoria huc pertinent), ut mucus copioſior educatur e naribus; moveatur dura mater languidior; ſuccus e dura matre ſecretus in encephalo hærens cerebrum aggravans per productiones duræ matris educatur; ſopitus motus ſpirituum ſuſcitetur, ſtagnantes humores in cerebro commoveantur; aquoſum diſcutiatur. *Uſus generalis.*

XX. Inde in hydrocephalo, viſciditate cerebri, apoplexia, catarrho, catalepſi, ſopore, viſus obſcuratione, ſurditate, paralyſi faciei, animi deliquio, cum minori periculo, quia minus movent quam ptarmica, adhibentur, quamvis uſus eorum minus frequens. *Specialis.*

XXI. Quamvis mitiora ſint, non carent periculo in narium hæmorrhagiis, apoplexia ſanguinea, nimia tenacitate viſcidi in cerebro hærente: ſi autem nimiam irritationem induxerint, ut ſternutatio curandum. (23.). *Cautelæ & Curatio.*

XXII. Aer maximo inſpiratu, per motum muſcularem voluntarium, receptus, dein convulſiva quadam conſtrictione muſculorum thoracis & ventris compreſſus, vi pulſus magna in fauces, uvulam, tonſillas, velum platinum, narium cava, reliquoſque ſinus capitis, quos inveſtit membrana pituitaria, per nares & ſæpe os cum ſono aut ſibilo emiſſus, vocatur *Sternutamentum* & *Sternutatio*. *Sternutatio definitur.*

XXIII. Generatur ab omni irritatione ad membranam internam narium. 1. Mechanica, ut titillatio plumæ, vermiculi millepedis, evulſio vibriſſarum. 2. Odores acriores ſalium volatilium, ſpirituoſorum, multarum plantarum, frigus intenſum aeris, radii ſolares. 3. Materia acris, in naribus vel ſinibus evacuantibus nata. 4. Metaſtaſis humorum acrium huc verſus facta. 5. Medicamenta acria, ſternutatoria dicta, naribus attracta vel indita. *Cauſæ.*

XXIV. Sternutamenti effectus varii. 1. Valida concuſſione aeris in membranam pituitariam & cava narium, emungitur, abſtergitur, & expellitur pituita ex his locis. 2. Eadem quoque concuſſione inferius ad baſin cranii, per cranii foramina urgetur cerebrum, ut contenta in fractura cranii extrudantur per aperturam. 3. Atque ſanguinem verſus cerebrum trudit, ut oculi & facies rubeant; quandoque vas ruptum, vel viſcidum nimis propulſum, cerebrum opprimit; quandoque viſcidum ſolubile ibidem hærens ſolvit, & excutit, & ſoporem diſcutit. 4. Pulmones vehementer concuſſi nonnunquam rumpuntur. 5. Valida a- *Effectus.*

gitatione totius corporis partum extrudit, lochia ſtagnantia provocat & menſes tardiores, fragilitate vaſorum laborantibus & hydropicis facile fiunt ruptiones, & exhauriuntur vires.

Nimii curatio. XXV. Si nimis diu continuatur ſternutatio, vel frequentius fit, aut malum aliquod portendit, compeſcenda eſt ablutione narium *liquore molli*; inunctione narium *linimento molli*, aut attrahendo vaporem, ſi partes ſint denudatæ; in acrimonia interna narium, indenda & naribus attrahenda *antiſeptica*.

Maſticatoria apophlegmatizonta. XXVI. Tandem ad hunc titulum referuntur *Maſticatoria*, quæ inter maſticandum mucum & ſalivam copioſius proliciunt: quorum tunc uſus non multum differt a naſalibus & ſternutatoriis; ſed ad ſegniorem ſalivationem excitandam, odontalgiam curandam potentiora ſunt.

Varii generis. XXVII. Præter hoc genus multa quoque alia *maſticatoria* adhibentur, ad emendandum oris fœtorem; firmandas gingivas; depurandos dentes; leniendam faucium aſperitatem; ſedandam tuſſim; facilitandam deglutitionem; promovendam ſtomachi coctionem; leniendam & fallendam ſitim; humectandum os; roboranda in ore laxata.

Collutiones. XXVIII. Si vero *apophlegmatizonta* in forma liquida recipiuntur in os, vocantur Collutiones vel Gargariſmata: quæ quoque ex variis conficiuntur medicamentis, qualia oris morbus exigit.

Corollaria. XXIX. Ex præcedentibus facilis reſponſio ad ea, quæ ſequuntur.

1. An ſaliva ſana exſpuenda continuo?

2. An ſaliva ita præexiſtit in ſanguine, an conficitur glandulis ſalivalibus?

3. An ſaliva ex ventriculi vapore in ore condenſato? an per occultas vias ex cerebro? an per lymphatica delata? an per nervos?

4. Cur ſaliva copioſior inter maſticandum & ab irritatione oris?

5. Cur in anginoſis ptyaliſmus?

6. An Æthiops non ingreditur lactea vaſa, cum Mercurius crudus corpori applicatus ſalivationem excitat?

7. An argentum vivum ingeſtum nihil mali facit, cum in primis viis ab acido ſolvitur, & a ſaliva amittit fluorem?

8. An Mercurius ingerendus ad unciam integram, ut inteſtinorum nodum extricet;

9. Mercurius an ſolvit humores gravitate ſua?

10. Aurum an attrahit Mercurium ex corpore?

11. An Mercurius, vel ſalivatio a Mercurio excitata, curat luem Veneream?

12. An non abſtinentia alimentorum imperanda in luis Venereæ curatione per ſalivationem?

13. Cur macilenti & ſemel paſſi ſalivationem, difficulter iterum in ſalivationem adiguntur per Mercurium?

14. Cur Mercurius dulcis tenuiſſime in pollinem contritus potius ſalivationem, ſed ruditer comminutus potius alvi fluxum excitat?

15. An ſternutatoria non valent elicere humores ex encephalo?

16. Cur ſternutatio nocet herniоſis, hæmoptoicis & narium hæmorrhagiis obnoxiis?

17. Cur in principio febris contingens ſternutatio hæmorrhagiam præſagit?

18. Cur ſalutaris cum coctionis ſignis in acutis?

19. Quomodo ſingultus ſternutamento finitur?

20. Cur catarrhoſi frequenter ſternutant?

21. Cur gravidis non exhibenda ſternutatoria?

22. Quomodo angina ſuppuratoria laborantes ſternutamento quandoque ſubito curantur?

23. Cur torpidis, viſcidis, apoplecticis, epilepticis, lethargo, capitis dolore gravativo laborantibus, ſternutatoria plerumque ſalutaria?

24. Quæ gutta ſerena ſternutatoriis curatur?

25. Cur

25. Cur ſternutatoria, in morbis ſi nihil operantur, malum præſagium præbent?
26. An ſemel ſternutare viro, bis fœminæ, periculoſum, ut Foreſtus? & unde bene precandi mos?
27. An ſternutatio ab aere in capite contento, foras cum ſibilo erumpente? an vero a vaporibus e cerebro delabentibus?
28. An ſuffumigia naribus attracta nequeunt commovere cerebrum, & pituitam ducere ex cerebro per nares?
29. Quomodo volatilia naribus admota vires erigunt?
30. An pulveres ſternutatorii ad ipſum cerebrum pertingunt?
31. Cur uſu pulveris ſternutatorii tandem amittitur olfactus?

TRACTATUS OCTOGESIMUS NONUS.

De Vomitoriis & Vomitu.

Definitio.

I. QUæ medicamenta, vel actiones faciunt, ut naturalis ventriculi motus verſus pylorum, invertatur verſus orificium ventriculi ſuperius, *nauſeam* creant; ſi potentior fiat, ut etiam contenta ventriculi, per œſophagum & os ejiciantur, *Vomitoria* ſeu ἐμετικὰ aut ἐμετοποιὰ dicuntur; ſolus autem aer ſi exeat vocatur *Ructus*.

Nauſea, vomitus & eructatio.

II. *Nauſeæ*, igitur cauſæ leviores ſunt, quam *Vomitus*, ſed eædem eſſe poſſunt, & ex iiſdem intelligi; *Eructatio* autem, quia aer levior in ventriculo compreſſus ſi modo ſuperius relaxatur orificium, exit, prioribus non eget cauſis, contenta ventriculi magis comprimentibus.

Vomendi conatus.

III. Cauſa paulo magis agens quam in nauſea, minus autem quam in vomitu, *vomendi conatum* excitat; aut ſi nihil in ventriculo reſtat, quod vomitu ejici poteſt: obſervatur in podagricis, initio febrium & paroxyſmorum intermittentium; ſi ex cacochylia vel bile corrupta oritur, niſi arte vel ſponte vomunt, dyſenteriam expectamus; ſi autem ab eryſipelate ventriculi excitatur, vomitoriis in ſummum diſcrimen conjiciuntur ægri.

Vomitus futurus.

IV. Ex phænomenis præcedentibus vomitum exſpectamus; dum enim ventriculi fibræ inverſo ordine ſe commovere incipiunt, quædam in corpore conſpiciuntur aut ſentiuntur, quæ antea non aderant: uti nauſea, anxietas & refrigeratio circa præcordia, faſtidium, ſtomachi morſus, rigor, inquietudo, ſudor, frigidus, pallor faciei, capitis dolor, vertigo, oculorum caligo, labii inferioris tremor, ſaliva copioſior, exſpuitio crebra.

Vomendi actus.

V. Poſt hæc ſentiunt, circa ventriculi regionem, motum inordinatum ſurſum tendentem, quem compeſcere ex voluntate non poſſunt, qui ſenſim auctus latius extenditur, totum veluti corpus in conſenſum trahens, præprimis muſculos ventris, qui a pube ſurſum verſus conſtringuntur valida conſtrictione; qua actione ventriculi contenta maxime urgentur in os ventriculi ſuperius, donec eo relaxato, contenta trudantur in œſophagum, qui quoque motu ſuarum fibrarum inverſo propellit recepta ea ad fauces; hoc tempore elevatur velum palatinum, ne intrent narium poſteriora foramina; & magna vi deorſum trahitur os linguæ, quali ſitu lamina cartilaginea epiglottis dicta claudit firmiter rimulam glottidis, ipſa quoque glottis conſtringitur ſuis muſculis, quo prævenitur ingreſſus tranſeuntium in aſperam arteriam, & panditur exitus per os apertum. In hoc ſæpe conamine anterius flectitur corpus, ut crura premant ventrem, vel auxilium præbent conſtrictioni manibus ventri applicatis.

Concluſio.

VI. Ex actionibus his ſatis conſtat, ad vomitum requiri: 1. motum inverſum fibrarum ventriculi; 2. relaxationem ſeu dilatationem orificii ſuperioris; 3. conſtrictionem ſeu compreſſionem viſcerum ventris, in ventriculum præprimis deſinentem. Sola apertura autem ſtomachi non ſufficit, ut patet in ructu; neque

ſolus

ſolus ventriculi inverſus motus, ut in nauſea: ſed duo hæc juncta quandoque vomitum facillimum excitant. Compreſſio viſcerum, & motus inverſus ventriculi, cum clauſo ſuperiori orificio ſummam anxietatem inducunt cum vomendi conatu; ſi tunc vi quaſi dilatatur ſuperius orificium, cum impetu dejiciuntur contenta.

Vomitus cauſæ. VII. Infinitis fere cauſis concitatur vomitus, quæ tamen omnes ad has tres claſſes redigi poſſunt. 1. Quæ per os ingeruntur proprie *Vomitoria* dicta. 2. Quæ corpori inſunt & dein vomitum excitant. 3. Qui vomitus fit a ſpirituum motu perturbato.

Ingeſta. VIII. Ingeſta, vel quantitate, vel qualitate, fiunt vomitoria.

Majori copia. IX. Copia majore ventriculus nimis diſtentus, ſuis fibris protenſis irritatur, ad conſtrictionem urgetur, tandem motu inverſo contenta ejicit, & ab onere liberatur. Si autem ex ingluvie, oppletione præcordiorum, cum anxietate, conſtat, ex nimia copia bonorum vomitum inſtare, exſpectando, donec portio quædam tranſierit in inteſtina, ſponte evaneſcit: ſi vero nimis urgeat, vel mala ſunt ſimul contenta ventriculi, irritando fauces ſufficit concitare vomitum; exoneratus enim ventriculus, vomendi conatum & anxietatem compeſcet. Non raro autem in quibuſdam motus ille concitatus non ſiſtitur poſt evacuationem, quando tamen facile *acidis* & *aceſcentibus gratis*, vel & *anodynis*, ſedatur.

Qualitate aliena. X. Ut reliquæ partes viventes, noxio quodam affectæ, majorem motum concitant, quo conantur noxium depellere, quamvis ſæpe irrito ſucceſſu, ita quoque ventriculus affectus 1. a pinguibus, oleoſis, viſcidis, nauſeoſis ſordidis terreſtribus; 2. acribus omnibus fere, venenis, rancidis, putrefactis; 3. denique *vomitoriis* propriis, & purgantibus, majori doſi aſſumtis, inverſum motum concitat, qui reliquas partes vomitum auxiliantes in conſenſum trahit, quo aliena contenta ociſſime conatur evacuare. Horum catalogus paſſim apud auctores.

Curatio. XI. Expedit alienorum expulſionem adjuvare, potione *diluente*, *oleoſa*, *molli*, *abſtergente*, ſæpe ingeſta, poſt ſingulos vomitus, ut educatur alienum: nam materia tali in ventriculo reſtitante, vel quod adhæreat lateribus, vel viſcido intricata ſit, per longum tempus, non ſine periculo protrahitur vomitus.

Cauſæ internæ. XII. Altera claſſis cauſarum (VII. 2.) vel hæret 1. in partibus firmis; vel 2 in liquoribus.

Triplices ſunt in partibus firmis. XIII. In firmis partibus tria notanda: nam 1. hærere poteſt cauſa in ventriculi lateribus, nauſeam & vomitum concitans; vel 2. in partibus vicinis; vel 3. in partibus remotioribus ſuo conſenſu vomitum excitans.

In ventriculi lateribus. XIV. Non parum hallucinantur multi in vomitoriorum exhibitione nauſeoſis & vomentibus, ſi hujus cauſa hæreat in ventriculi lateribus. Nam ſi fiat in *ventriculi lateribus*, *Inflammatio* aut *Eryſipelas*, quod cognoſcimus ex pulſatione præcordiorum, dolore, anxietate, pulſu duro frequenti, calore & ſiccitate totius corporis, ſingultu, exacerbatione ad omnia aſſumta, quaſi urerent ſtomachum, vomitorium tunc datum necaret hominem, quia vomitorii ſtimulo cauſa educi nequit, ſed magis exaſperatur. *Abſceſſus* quoque & ventriculi *Ulcera* generant vomitum diu durantem, quando materia purulenta, putrida, graveolens, vomitu rejicitur, adeo ab Hipp. damnata. Neque *ſcirrhus* tollitur vomitoriis ſed irritando citius commutatur in cancrum. Quandoque *liquor acris in ſucco nervorum ventriculi* hærens, ventriculi morbum, nauſeam & vomitum excitat, frequens in catarrhoſis, & qui putantur laborare doloribus hyſtericis, exaſperatur dolor a dato in his vomitorio. Nonnunquam *motus inordinatus ſpaſmodicus* in fibris ventriculi nauſeam creat & vomitum, qui etiam vomitoriis vehementior fit. Sed ſi *laxatæ fibræ ventriculi* nimis diu retineant ingeſta, vel viſcidum accumulent, ſemel vomitorio dato liberantur ab onere, niſi ſponte vomant; nam repetita vomitoriorum actio magis relaxabit fibras & exhauriet vires.

Curatio. XV. Vomitus ex *Eryſipelate* & *Inflammatione* caute tractandus, ne exaſperetur, ſed venæ ſectione, applicatione ad ventriculi regionem antiphlogiſticorum,

atque

atque exhibitione eorum, quæ in his morbis dari ſolent, ſed admodum parca copia ſimul, & omnino liquida, curandus. *Abſceſſus* & *Ulcus* abſtergentia lenia & antiſeptica conſolidantia exigunt. *Scirrhus* vix ullis auſcultat, reſolventia gummoſa & reſinoſa in hoc caſu excellunt. *Acrimonia ſucci nervoſi* curanda aromaticis lenioribus gratis, ſalibus volatilibus alcalinis, balſamicis, omnia parca doſi, ſæpe cum anodynis admiſtis; atque tentanda derivatio ad cutem per Diaphoretica. *Motus inordinatus* compeſcitur anodynis ſtomachicis. *Fibrarum laxitas* roborantibus ſenſim ſuperatur, cavendum ne nimis impleatur ventriculus.

In partibus vicinis.

XVI. In partibus vicinis (XIII. 2.) quandoque latet vomitus & nauſeæ cauſa, quam humoriſtæ fruſtra quærunt in ventriculi contentis liquoribus; ita hepar, lien, pancreas, veſica fellea, duodenum, aliæve partes ventriculo accumbentes morboſæ, quoties ventriculus alimentis turgens has partes premit, dolore, nauſea & vomitu afficitur homo, quaſi ipſa morbi ſedes hæreret in ventriculo. Quia harum partium fere infiniti ſunt morbi, neque diagnoſin, neque curationem adjungere poſſum. Sufficiat indicare, omnes hos morbos utplurimum a vomitoriis exacerbari, nunquam tolli, niſi materiam fundere queant in duodenum, & ita in ventriculi cavitatem, ut educatur.

In partibus remotioribus.

XVII. Quantus ſit inter ventriculum & vel remotiſſimas partes *Conſenſus*, mirum eſt obſervare in morbis, ita quidem, ut exercitatiſſimos non raro lateat Medicos, num in ventriculo ipſo, an in alia remotiore parte quæri debeat nauſeæ & vomitus cauſa. Conſentit 1. ventriculus per *membranas* continuas cum aliis partibus: uti *œſophago*, quemadmodum patet ex mechanica faucium titillatione, quæ vomitum concitat; cum *inteſtinis*, uti in dyſenteria, meconio vel aliis excrementis, in colo hærentibus, colico dolore; cum *diaphragmate* circa orificium ſuperius; cum *peritonæo*, uti in hernioſis. Vel 2. conſentit per conjunctionem *nervorum*, unde in colli, capitis, articulorum dolore ſimul afficitur ventriculus: hyſtericæ, gravidæ, & tempore menſtruationis fœminæ non raro ventriculo laborant; renum calculo laboranti nauſea & vomitus frequens; cerebri affectiones & vulnera raro intactum relinquunt ventriculum; imo vomitorium nervo intercoſtali applicatum vomitum excitat.

Curatio.

XVIII. Neque *vomitoria* in his, quatenus evacuant ventriculi contenta; neque *ſtomachica*, quatenus in ſolo ventriculo operantur, aliquid boni præſtare poſſunt, quia malignus humor nullus adeſt evacuandus: ſed morbi prædicti ſunt curandi ſuis appropriatis; aut ſi fieri nequeat, vel non ſat cito, *narcoticis* minuendus eſt conſenſus.

Cauſæ internæ in liquoribus.

XIX. Cauſæ internæ in *liquoribus* (12. n. 2.) ad hæc duo genera referri poſſunt: 1. quæ ſunt in ipſo ventriculo; 2. quæ aliunde generantur & ad ventriculum deferuntur.

Contenta ventriculi.

XX. Præter ingeſta (1.) ipſe ventriculus nonnullos alienos liquores recipit, qui nauſeam & vomitum excitant, quorum nonnulli vomitorium exigunt. Ita *Sanguis*, ex lateribus ventriculi effuſus vel deglutitus, de quo infra in vomitu cruento. *Pituita*, ſeu viſcidum, glutinoſum, in ventriculo fluctuans. *Bilis* corrupta, iners, viſcida. *Cacochylia*, vel ex propriis humoribus ventriculi, vel alimentis relictis nata. *Vermes* in ventriculo hærentes.

Signa.

XXI. Ut cognoſcamus, quidnam horum in ventriculo contineatur, quædam *Signa* ſimul ſunt animadvertenda cum nauſea & vomitu. Dum *Pituita* adeſt, per reliquum corpus viſciditatis ſigna (T. XL. 8.) apparent; circa ventriculum gravitas, frigus, oppletio ex minima aſſumtione major quam in ſanitate, farinoſa vix ferunt, ſed a calefacientibus aromaticis ſummum levamen. *Bilis* autem vel & pinguedo in ventriculo corrupta, facit ſimul faſtidium, ardorem & ventriculi morſum, ructum amarum, & oris amaritudinem; ab acidis & aceſcentibus ſentiunt levamen, pinguia abhorrent, poſt longam inediam maxime afficiuntur, magis quoque anxii fiunt quam ex aliis cauſis nauſeoſis. *Cacochyliam* ex lautiori victu præcedenti deducimus, præprimis in corporibus debilioribus o-

tioſe

tioſe viventibus, hi per inediam levamen percipiunt : his addi poſſunt, quæ in cruditate dicta ſunt (T. XXXIX). *Vermes* num lateant in ventriculo prudentiſſimos ſæpe decipit, ob communia ſigna, ſi autem ex improviſo naſcatur nauſea & anxietas, commotionem vermium indicans, alio autem tempore ſi nihil percipiant, non leve præbet indicium, vermes latitare in ventriculo. Sæpe autem hi cum cacochylia & viſcido una adſunt, unde difficilior eorum detectio.

Curatio. XXII. Cuncta hæc duplici modo curantur, vel emendatione per appropriata medicamenta, vel eductione per emeticum. Si ex viſcido (T. XL. 15.), ex bile corrupta (T. LII. 48.), ex cacochylia (T. XXXIX. 8.), ex vermibus (T. XVII. 54.).

Liquores mali aliunde geniti. XXIII. Liquores nauſeam & vomitum excitantes aliunde in corpore geniti (19. n. 2.) ad ventriculum delati, pro natura ſua, vel vomitoria indicant, vel reſpuunt. In his ob multitudinem quædam ſubdiviſio eſt facienda.

1. Ex Ore. XXIV. Ad ventriculum dimittuntur ſaliva & mucus corruptus, vel quivis alius humor in fauces deſtillans & deglutitus: ut in *coryza*, *gravedine*, *ozæna*; hi humores corrupti, latera ventriculi tangentes, nauſeam & faſtidium alimentorum ſæpe excitant: collutione oris, & depuratione harum partium melius, quam vomitorio curatur talis nauſea & vomitus.

2. Ex Inteſtinis. XXV. Motus inteſtinorum vermicularis quamvis verſus inteſtina craſſa dirigat contenta, non raro tamen in morbis, motu inverſo, ſeu contrario curſu, ad ventriculum ea dirigit, uti in *Dyſenteria*, *Cholera*, *Ileo*; imo *meconium*, vel *excrementa* prius in colo indurata, regurgitare faciunt in ventriculum inteſtinorum contenta: vel quia liquefacta ingrediuntur ileum inteſtinum; vel quia tranſitum intercludunt, uti in *Enterocele* ſuffocata & *colico dolore*.

Curatio. XXVI. *Meconium* ſtatim a partu ſenſim evacuandum, ſi retineatur blando alvum laxante, ne vomitum nigrum & ſæpe lethalem faciat: *Enterocele* ſi vomitum concitat, non niſi repoſitione inteſtini ſuperatur; imo ſi nimis diu inteſtinum prolapſum fuerit, donec portio prolapſa ab annulo muſculi oblique deſcendentis conſtricta non tranſmittat contenta inteſtinorum, ſed in ſacco dilatato ſupra partem conſtrictam colligat, incurabilis uſque ad mortem generatur vomitus, qui vomitoriis non auſcultat. *Colicus dolor* vehemens, ſeu *cordapſus*, conſtringens partem aliquam inteſtini, ſi vomitum faciat, validam conſtrictionem & motum inverſum indicat: numquam levamen a vomitoriis, ſed purgantia tunc data in emeticum convertuntur: in hyſtericis, & mobilitate ſolidorum laborantibus compeſcitur antiſpaſ-modicis anodynis, ab inflammatione, vel eryſipelate inteſtinorum natus, pauca & mitia exigit, & quæ his morbis tam interne quam externe adhiberi ſolent: a cacochylia contentorum ex inteſtinis regurgitante, poſt ſedatum vomitum, per purgans lene cacochylia educenda. *Dyſenteriæ* & *choleræ* materia, inverſo motu verſus ventriculum delata, vomitum excitans, cum multa anxietate, morbum auget; tentanda eſt per purgans roborans hujus eductio deorſum, & dein compeſcendus motus concitatus paregoricis.

3. Ab Externis. XXVII. Veterum annotatione conſtat, & hodiernis experimentis confirmatur, ſaniem, humores acres tenues, medicamenta & venena a peripheria corporis ferri poſſe ad viſcera interna & ventriculum, quamvis nonnulli neotericorum, ex ignorantia viarum, hanc metaſtaſin negant. Sed quemadmodum per arterias ad omnes corporis partes malignus poteſt ferri humor; ita per venas undequaque receptus vaſis venoſis abſorbentibus alienus & morboſus liquor fertur ad cor; dein non raro deponitur in ventriculum, inteſtina, & reliqua viſcera: an vero motu retrogrado per capſulas nervorum repelli poſſit, hucuſque non eſt comprobatum.

Cauſæ. XXVIII. Recurſus talis multis modis fit. 1. Si prohibeatur exitus, quemadmodum ab actuali frigore externo, vel adſtringentibus, emplaſticis applicatis. 2. Si aliunde derivetur, per detractionem humorum in venæ ſectione & dato purgante. 3. Si vires vitæ minus valeant ducere & retinere ad externa corporis malignum liquorem.

XXIX.

XXIX. Materia *morbilloſa*, *varioloſa*, & *febris ſcarlatinæ*, quæ naturaliter per cutem facit criſin, ſi per frigus admiſſum, vel abuſum frigefacientium, alvi fluxum, aut corporis debilitatem in cute diſparere videatur, ſed tunc excitatur nauſea, vomitus & anxietas, in ſummo verſatur æger periculo: hanc tunc materiem tentare educere vomitoriis, cito jugulabit hominem; cum per ſudorifera, diaphoretica, & calefacientia ſtimulantia, ad cutem eſt reducendus humor. Quod quoque verum eſt in omni efflorescentia acutorum. *In Acutis.*

XXX. Neque caret periculo morbus chronicus cutaneus, ſi, poſt evaneſcentes in cute evacuationes, oriatur nauſea & vomitus: quæ enim materia non multum mali afferebat ad cutem delata, nunc vero in ſummum diſcrimen vitæ conjicit hominem. Hoc in *ſcabie*, *puſtulis*, *ſudamine*, *herpete* quotidie experimur; niſi enim præcedenti methodo, atque ſtimulantibus, epiſpaſticis, revocetur humor ad cutem, non raro hominem interimit. Ita etiam materia *podagrica arthritica*, cum evaneſcentia doloris in extremis, ſi vomitum & nauſeam concitat, non raro minatur mortem, niſi ad debita loca revocetur dolorem inferens liquor. *In Chronicis.*

XXXI. Neque molienda evacuatio vomitoriis, quando ventriculus recipit alienos humores ex *prohibita perſpiratione*, *ſudore*, aut *urinæ retentione*, quia humor ille non patitur per hanc viam evacuari. Hoc etiam obſervandum in parciori *puris* vel *ichoris* effluxu per ulcus vel abſceſſum, & in *hæmorrhoidibus* ſuppreſſis: præſtat enim reducere ad debita loca peccantem humorem, ut evacuetur, quam ad ventriculum allicere per vomitoria. *4. Evacuatio ſuppreſſa.*

XXXII. Vomitus nunquam niſi ex cauſa morboſa: quare in perfecta ſanitate non requiritur, & non eſt evacuatio, quæ ad ſanitatem conſervandam deſideratur. Si ergo morboſus humor toti maſſæ circulanti miſtus eſt, præſtat emunctorium naturale ſollicitare, quam hanc evacuationem violentam & non naturalem. Eo ſolo in caſu requiritur, ſi malignus humor ad naturalia emunctoria duci nequit, uti aliena in ventriculo contenta; nam in inteſtinis hærentia commodius per alvum egeruntur, quo ſimul depuratur totus inteſtinorum tractus. *5. Humores per corpus diſperſi.*

XXXIII. *Vomitoria*, venis *injecta*, vel corpori *applicata*, ut & multa venena vomitum concitantia, prius toti maſſæ ſanguinis miſtæ, arguunt, in quibuſdam ſpecificum eſſe virus, quod magis ventriculum quam alias partes adoritur. *Venis recepti.*

XXXIV. Si percurramus humores morboſos acutorum, neſcio an inveniantur ulli, qui hac via educuntur ſatis commode; ſi autem eo confluxerint, dilutione adjuvanda eſt eductio, maxime ſi contineatur in bile: nam emeticorum agitatione augebitur motus major in acutis. *Acutorum morborum.*

XXXV. Acutorum materia in *pus*, *ichorem*, vel *materiam putridam* aut *ſphacelatam*, converſa, ſi feratur ad ventriculum, ſive ſponte, ſive emeticorum ope, non ſolum per alienum locum evacuatur, quod nunquam juvat, ſed & ſimul ingeſtorum coctionem invertit, & nova ingeſta cito in corruptelam convertit. Inde purulentis, phthiſicis, hecticis, corruptiſque viſceribus laborantibus, & in morbis putridis, non conveniunt emetica. *Mutati.*

XXXVI. Bilis, quia breviſſima eſt via ex ductu colidocho per pylorum in ventriculum, ſi corrupta ſit, vomitorio non raro cum levamine educitur; ſi enim tranſeat per inteſtina; multa tormina excitat. Ea etiam ſanguini miſta, cum facilius ſuo organo ſeparatur a reliqua maſſa, conducit hanc viam irritare: cavendum autem, ne vomitus, vel vomitorium, nimis exagitet, cum in his morbis quoque eſt motus major. *Bilioſorum.*

XXXVII. Si *febris continua* vel *intermittens* vomitum & nauſeam excitat (T. LII. 42. & 47.) niſi oriatur ex cacochylia primarum viarum, vel bile corrupta, a vomitorii evacuatione nullum levamen. *Febrium.*

XXXVIII. Materia *ſcorbutica*, *catarrhoſa*, *corrupta*, *a morbis relicta*, ad ventriculum delata, diuturnam nauſeam & vomitum ſine levamine excitat; præſtantius eſt, naturalem & minus debilitantem, & quo in loco non eſt præparandum, uti in ventriculo, moliri evacuationem: præſens ſæpe videtur afferre ſolamen vo- *Chronicorum.*

mitorium, ſed per inductam debilitatem augebitur horum morborum cauſa.

6. Spontanea corruptio. XXXIX. Stagnantes aut minus moti humores aliquam corruptelam ſuſcipiunt, quæ ad ventriculum delata frequentiſſime deſtruit appetitum, generat nauſeam, faſtidium, imo vomitum: uti in *debilibus*, *evacuatione copioſiore* cujuſcunque liquoris; hi ſi dentur vomitoria, magis debilitatur corpus. Sed ob æquilibrium deſtructum, *retentione bonorum*, quæ evacuari ſolebant, ſi producatur cachexia, quemadmodum *hæmorrhagiis* narium & aliarum partium conſuetis, *menſibus*, vel *hæmorrhoidibus*, ſuppreſſis, & *ablactatione*, in principio per vomitorium, educens id quod abundat, ſæpe fit ſolamen. Verum in corruptione ſpontanea, per *inediam* vel aliam *chyli interceptionem*, non curantur ſymptomata ex chyli defectu nata.

Spirituum motus perturbatus. XL. Denique ex *ſpirituum motum perturbato* (7. n. 3.) nauſea & vomitus excitatur. 1. Si corpus inſolitum motum ſubeat in navigatione, vectione, ductione in gyrum. 2. Vel quando ſermonem audit de re nauſeoſa, vel talia videt, imo ſola reminiſcentia in quibuſdam nauſeam & vomitum excitare valet. 3. Vertiginoſi fere omnes nauſeoſi fiunt, mobilitate ſolidorum laborantes, quandoque ſine ulla prophaſi nauſea & vomitu corripiuntur; morbi convulſivi, delirium, ſyncope, & non raro exacerbatio febrilis, nauſeam & vomitum creant.

Curatio. XLI. Ex prima & ſecunda cauſa vomitus, nec vomitorium, nec aliquod medicamentum exigit, niſi forſan acidum gratum, cum ceſſante motu mechanico ſponte ceſſat. Sed in cauſa ultima, multi Medici infauſto exitu præbent vomitorium, cum motus inſolitus erat compeſcendus: qui vomitus & nauſea ex febrili motu oritur, deſcriptus eſt (T. LII. 47.).

Quæ vomitu ejiciuntur. XLII. Cuncta quæ vomitu rejici poſſunt, ad hæc quinque genera referri poſſunt. 1. Deglutita omnia, ut cibus, potio, medicamentum, aliena aſſumta. 2. In fauces delati liquores, ſaliva, mucus, pus, ichor, ſanguis, pituita, ſordes oris, faucium, narium, ſinuum capitis. 3. In cavo ventriculi genita, ſuccus ſtomachicus ſalivoſus & mucoſus, ſanguis, pus, vermes, calculi, concreta, corrupti humores, per vaſa ventriculi in ejus cavitatem depoſiti. 4. Omnia bona & mala ex inteſtinis motu inverſo in ventriculum delata. 5. Ita etiam ſuccus pancreaticus & mali ſucci in pancreate nati; ut & omnia, quæ ex hepate, liene, vena portarum, omnibuſque organis chylopoieticis, humores fundentibus, in venam portarum deſinentibus, feruntur per hepar & ductum colidochum, tam ex hepatis ſubſtantia, quam veſica fellea, in duodenum.

Vomitus cruentus. XLIII. *Sanguinis vomitus* ab Auctoribus ſpeciali titulo exponi ſolet, quia in cauſis & curatione a reliquis diſtat. 1. Sanguis ex naribus, ſinubus frontalibus, faucibuſque deſtillans, & deglutitus, verum vomitum cruentum mentitur. 2. Ex arteriis vel venis ventriculi vulneratis, eroſis, per vomitoria, purgantia, vel acria aſſumta; vel ruptis, in maximo corporis nixu, poſt retenta menſtrua, vel alias hæmorrhagias, & in motu circulatorio aucto, non differt ab aliis hæmorrhagiis. 3. Non raro per ductum colidochum ex hepate ducitur in ventriculum ſanguis, & vomitu rejicitur.

A deglutito ſanguine. XLIV. Summa prudentia opus eſt, ut ſciamus, & curemns vomitum cruentum a deglutito ſanguine, cum alias fruſtra adhibeantur medicamenta. Si anteceſſerit narium hæmorrhagia, contuſio, aut ad ſinus frontales, vel & alias partes circa fauces, dein vomitu rejiciatur ſanguis, judicamus, deglutitum prius fuiſſe; præprimis ſi ſine vomendi conatu exſcreat ſanguinem. Hujus nulla eſt ſpecialis curatio, modo topicis locis opportunis applicatis ſiſtatur hæmorrhagia, ſponte ceſſabit vomitus cruentus.

Ex ipſo ventriculo. XLV. Si ex cauſis præcedentibus conſtat, ventriculum præprimis eſſe læſum, atque emiſſus ſanguis cum conatu vomendi, poſt anxietatem & nauſeam, ſit grumoſus, ſubniger, contentis ventriculi miſtus, & ea redolens, judicamus ex ventriculo exſpui. Si a deglutitis acribus vel vulnere fiat vomitus cruentus, tam ex arteriis gaſtricis, quam ramis venæ portæ manare ſanguinem ſentio. Sed ſi

ſpon-

ſponte fiat poſt menſes ſuppreſſos a nixu corporis validiore, febre cum pulſu duro, præprimis ſi antecedant dolores & palpitationes, tenſio & ardor circa præcordia, ex arteriis gaſtricis profluere ſtatuendum.

XLVI. *Quicunque ſanguinem ſpumoſum ſpuunt, dextrum præcordium dolentes, de hepate ſpuunt, & multi pereunt.* Hipp. a 563. & 566. Quoniam una cum bile ducitur per colidochum ductum ſanguis, priuſquam in ventriculum veniat. *Ex Hepate.*

XLVII. Præter generalia hæmorrhagiarum (T. XXXII.) præcepta, vomitus cruentus exigit cibum mollem parva copia, potum ſubadſtringentem, parum ſimul ingerendum, ne dilatetur ventriculus, ſed conſtrictione ſua inanitus claudat vaſculum apertum: valida enim adſtringentia effuſo ſanguini miſta coagularent, facerentque thrombum irritantem ventriculum. Vetat omne vomitorium acre. *Curatio.*

XLVIII. Cum Hipp. & alii Obſervatores detexerunt, *vomitum nigrum* quandoque indicaſſe mortem inſtantem, quandoque levamen attuliſſe, nihil certi quoad prognoſin & curationem præbet, niſi diſtinguatur materia nigra vomitu rejecta. Si 1. ab *aſſumtis alimentis* vel *medicamentis*, nigrum colorem præbentibus, vomitu ejectis: nec bonum, nec malum indicat, neque eget curatione. 2. A *ſanguine* in ventriculum *effuſo*, & a contentis in ventriculo in nigrum colorem converſo, hujus vomitus prognoſis & curatio ex vomitu cruento (43 ad 47.) peti poteſt. 3. In recens natis cum *meconio* diutius retento plerumque mortem præſagit. 4. In *atrabilariis*, vel in *morbo nigro*. Hipp. b. 93. & 95. incertam prognoſin & curationem præbet: nam ſi mitior ſit, adjuvanda eſt melancholiæ evacuatio, & ſæpe ita evadunt: ſi autem acrior ſit, & vaſa erodens, ſæpe uſque ad mortem vomunt nigrum. 5. Si *materia putrefacta* nigrum induat colorem, cum ſummo fœtore, admodum malus eſt vomitus. 6. Si *materia nigra ſphacelata*, qui morbus σφακελώδης ab Hipp. b. 95. vocatur, evacuatur, nullam, credo, medelam recipit, quamvis evacuationem ſuadeat, quoniam nunquam vidi, ex ſphacelo interno aliquem evaſiſſe. *Vomitus niger.*

XLX. Liquor flavus & amarus, ſive ſit *bilis veſicaria*, ſive *pinguedo corrupta* in ventriculo, vomitu rejecta, *bilioſus vomitus* vocatur: ſi autem viridem colorem habeat, *porraceus* dicitur. Ex pinguedine corrupta ſi proveniat, levamen adfert. *Dyſentericis vomitus bilioſus in principio malus eſt.* Hipp. a 576. *Pauci, celeres, bilioſi, meraci vomitus, mali ſunt in alvi ſubductione uberiore, & pertinaci lumborum dolore.* Hipp. a 578. *Vomitiones exiguæ bilioſæ, malæ, tum alias, tum ſi inſuper vigiliaverint ægri: naſus in his deſtillans pernicioſum eſt.* Hipp. a 477. *Ex vulnere bilis vomitus accedens, malum: & maxime in capitis vulneribus.* Hipp. a 573. Ex his & multis aliis, ab Hipp. pronunciatis, judicaret Medicus, vomitum bilioſum ſemper nocere; cum tamen in navigantibus, hyſtericis, & convulſionibus, atque die critico, ſæpe cum levamine evomunt bilem, tam flavam, quam porraceam. Quare ipſe vomitus, nec bonum, nec malum, portendit; ſed morbi, qui talem vomitum concitant. Quod intelligitur ex eodem Hipp. a. 536. *Vomitus in capitis doloribus æruginoſi, cum ſurditate vigilantibus, cito inſaniam excitant.* *Bilioſus & porraceus.*

L. Materia vomitu rejecta *varia* eſſe debet, ut ſunt ventriculi contenta: *meracea* raro bona, *pituitoſa* ſæpe levamen adfert, ſive ſit ex glutine aſſumtorum, ſive ex pituita in ventriculo congeſta: *lacertæ, vermes, calculi, thrombi concreti, ranæ*, aliaque aliena, vel in ventriculo nata, vel prius deglutita, per vomitum ejecta levamen adferunt. Sed *graveolentia, putrida, ſtercorea, ſpumoſa, ut vinum ſecundarium, polypoſa inſtar atramenti, ſauces adurentia, dentibus ſtuporem inducentia, terram elevantia*, quoniam corruptelam & acrimoniam arguunt, plerumque malum præſagium præbent. *Varius.*

LI. Vomitus & vomitoriorum effectus ad tria genera referri poſſunt. 1. Quatenus evacuant contenta ventriculi & partium adjacentium. 2. Quatenus minuunt totam maſſam liquorum. 3. Ex motu, ſeu concuſſione valida in vomendi actione, deſumi poteſt, quænam bona vel mala ex vomitu ſunt expectanda. *Effectus generalis.*

1. *Evacuatione ventriculi.* LII. Quæ vomitu & vomitoriis ejici poſſint, ſupra (42.) diximus; hæc autem vel curant morbum, vel eum augent, vel novum morbum generant, quare vomitus bonus & malus eſſe poteſt. 1. Omnia aliena & venenata ingeſta commodiſſime vomitu tolluntur. 2. Aliena in ventriculo nata, quæ appetitum exſtinguunt & ventriculi coctionem, vomitum & nauſeam generant, vomitu & emetico tolluntur. 3 Ex inteſtinis in ventriculum delata ſæpe cum levamine per os ejiciuntur. *Ab alvi profluvio longo correpto, vomitus ſponte accedens, ſolvit alvi profluvium.* Hipp. S. VI. aph. 15. *Ventrem compactum vomitus ſolvit: & egerentem magis, quam oportet, ſiſtit. Quum igitur alvum quis ſiſtere volet, avide devoratum cibum evomere oportet, priuſquam humeſcat & infra detrahatur.* Hipp. a. 232. Imo, ut obſervavit Sydenham, quibus in principio febrium eſt conatus vomendi, & natura vel arte non vomuerint, poſtea graviſſimis diarrhœis corripiuntur. Talis vomitus, ſi evacuat morbi materiem, ſanat; ſi autem fiat ob conſenſum vel irritationem, aut propagationem morbi, valde malum præſagium præbet: nam vomitus dyſentericis ſuperveniens, periculoſus. Omnes quoque cauſæ in partibus firmis (13.) hærentes vomitu & vomitoriis exacerbantur.

2. *Evacuatione totius.* LIII. Maximam curationis ſpem nonnulli ponunt, præprimis Empirici, in vomitu & vomitoriis, dum morbi ex corruptis humoribus, per totum corpus diſperſis, oriantur, non cogitantes, vomitum non eſſe naturalem evacuationem, ſed ſemper violentam, & pauciſſimos eſſe humores alienos in ventriculum confluentes, ut evacuentur: imo eo verſus alliciti humores malam metaſtaſin faciunt. Quare ad præveniendum *calculum*, vel *podagram*; ad *prolongandam ſenectutem*; ad curandum *hydropem*, *leucophlegmatiam*, *cachexiam*, *catarrhum*, vel ſimiles morbos, vomitorium parum conducere arbitror. Imo in gracilibus, emaciatis, defectu humorum laborantibus, detrahendo liquorem, convulſiones non raro excitat & ſingultum, præprimis cum œſophagi mucus ſimul abradatur.

3. *Motu concitato nocet.* LIV. Motus violentus vomitu vel vomitoriis excitatus nocet 1. Hernioſis, procidentiis affectis, gravidis, menſium, lochiorum, vel ſanguinis profluvio laborantibus; quia nimis extrudit. 2. Gracilibus, hæmoptoicis, vomitu cruento vel aliis hæmorrhagiis obnoxiis, phthiſicis, pueris, aut quibus viſcera ſunt corrupta, non raro vomitus & vomitorium, rumpendo vaſa, mortis cauſa fuit. 3. His & debilibus, hydropicis, ſi roborantibus aggrediamur curationem, ſanis, & hecticis, detrahendo vires, noxia ſunt. 4 Mobilitate laborantes, hyſtericæ, hypochondriaci, epileptici, facile ſingultientes, motu valido vomitorii, in iſtos morbos adiguntur. 5. In *anginoſis* & *anguſto pectore* laborantibus, vomitu violento non raro inducitur ſuffocatio. In nimia *viſciditate* ſi ſubito in actum ducatur, generatur quandoque obſtructio pulmonis, hepatis, cerebri, unde apoplexia: hoc quoque *plethoricis* & *obeſis* contigit. In *calculoſis* non raro mictus cruentus; in ſcirrhoſis & ſcrophuloſis varii morbi poſt datum vomitorium ſubito oborti ſunt. Et valida preſſione in ciſtam felleam cutis flavedine tincta fuit a vomitu.

Juvat. LV. Si vero vaſa ſunt *obſtructa*, ex languidiori motu, ſine multa tenacitate obſtruentis, vomitorium, concitando motum majorem, obſtructa referat, ventriſque indurationem ſolvit. *Aſthmaticis* quandoque ſputum educit; & latentem *abſceſſum* rumpit. In morbis acutis, ante invaſionem & die critico, vomitus levamen attulit, ſi fiat in facile vomentibus.

Vomitus excitatur. LVI. Si ex præcedentibus conſtat, vomitum levamen allaturum, & ſponte non fiat, arte concitandus. Hoc ut fiat: 1. præparandum eſt corpus & humores; 2. excitandus vomitus & promovendus; 3. perpendendum, num repeti debeat, vel non.

Præparatio. LVII. Præparatio duabus rebus abſolvitur. 1. Ut materia ventriculo contenta facile exeat, conſtrictione ventriculi & ventris: hoc præſtant diluentia copioſa, ſubpinguia; &, ſi tenacitas adſit, reſolventia & abſtergentia. 2. Præveniuntur mala, quæ actione vomendi validiore erant exſpectanda, venæ ſectione, ſuſtentatione partium in hernioſis.

LVIII.

LVIII. Tribus modis concitatur in ita præparato corpore vomitus. 1. Irritatione faucium mechanica. 2. Ingeſtione copioſiore eorum, quæ alias innoxia ſunt: hæc tutiſſima ſunt, etiamſi maneant in corpore. 3. Specifica *emetica*, quæ multa citantur ab auctoribus, ſufficit radix hypecacuanha, tartarus emeticus, & croci metallorum infuſio, hæc vomitu reddenda ſunt. Ut facilitetur horum operatio, poſt ſingulos vomitus ingerendus eſt potus diluens abſtergens, quo melius eluuntur ventriculi contenta, prævenitur vomitorii roſio, & minore moleſtia cum tali ventriculo pleno exercetur vomitus. *Excitatio.*

LIX. Veteres vere optime, tolerabiliter autumno, neque hyeme, nec æſtate dabant vomitorium; ſed ſi indicatur, omni tempore dandum, &, ſi non requiritur, omni tempore nocet. Hodie multi Medici ante paroxyſmum febris vomitorium exhibent (T. LII. 42.). *Quando exhibendum.*

LX. Quomodo nimius vomitus ex morboſis cauſis curetur, paſſim ſuis locis indicavi, quare ſolus vomitus curandus reſtat, qui nimis fit, aut diutius durat, poſt datum emeticum. 1. Tentanda eſt emetici evacuatio, frequenti ingeſtione diluentis lubricantis. 2. Infringenda vomitorii virtus acidis. 3. Remanens motus, poſt vomitorii eductionem & exſtinctionem, narcoticis, anodynis, roborantibus, ſtomachicis eſt ſedandus; quæ, ſi revomuntur, parva copia ſæpe repetenda ſunt, & propinanda: atque externe ad ventriculi regionem roborantia ſtomachica applicari poſſunt. *Vomitus ut curetur.*

LXI. Ex præcedentibus deducuntur: *Corollaria.*

1. An ſola conſtrictione fibrarum ventriculi vomitus?

2. Cur vomitus dyſenteriæ ſuperveniens malus?

3. Cur conatus vomendi quandoque curatur vomitorio, quandoque autem exacerbatur?

4. Quomodo vomitoria ſanguini miſta vomitum excitant?

5. Cur vomitoria, quæ poſt aliquod tempus vomitum excitant, exſtinguuntur acidis?

6. An vomitoria ex vicinis partibus eliciunt humores?

7. An vomitoria laxando, & quaſi diſſolvendo tonum fibrarum ventriculi, vomitum excitant?

8. An vomitoria immediate irritare debent ventriculum, an vero ſufficit, ſi extrema nervorum tangant?

9. Cur non ingrediuntur vomitu rejecta in aſperam arteriam?

10. Quando vomitus vomitum ſedat?

11. Cur vomitorium, in principio morbi, cum nauſea & vomitu, quandoque curat, quandoque necat?

12. Cur ſputatores, oris & narium fœtore, aut halitu fœtente laborantes, ſæpe nauſea & faſtidio laborant?

13. Cur coryza affectis ſæpe deſtruitur appetitus?

14. Cur Mercurius in ſalivantibus ſæpe excitat vomitum?

15. An nihil ex colo in tenuia inteſtina venire poteſt?

16. Quid nodus inteſtinorum?

17. An anxietas & nauſea podagricorum vomitoriis curanda?

18. An ex liene magis quam hepate affecto generatur vomitus ſanguinis?

19. Cur mulier ſanguinem vomens, profuſis menſtruis, liberatur?

20. An omnis vomitus cruentus iiſdem curandus?

21. An poſt dolorem, tenſionem, pulſationem & ardorem hypochondriorum, vomitus cruentus indicat, ex hepate provenire ſanguinem, ut multi ſtatuunt?

22. An ſanis conducit vomitorium ad prolongandam vitam, vel præveniendos morbos?

TRA-

TRACTATUS NONAGESIMUS.

De Alvi Ductione & Fluxu.

Prima eſt evacuatio.

I. INter evacuationes naturales primum locum tenet alvi egeſtio, qua in ſanitate, aſſumtorum alimentorum, & in ventriculum atque inteſtina confluentium humorum recrementa, evacuantur ex corpore. Quotidie in ſanis & temperate viventibus ad uncias quatuor vel ſex adſcendit; conſiſtentia cohærente compacta; colore ſubflavo, qui pro natura aſſumtorum quandoque variat; odore ſingulari, niſi alienus addatur per aſſumta.

Diviſio generalis.

II. Quia ſenſibilior eſt quam aliæ evacuationes, & ab omni tempore annotata ab auctoribus, variique eo confluunt humores, plura in hac obſervanda ſunt. Poteſt tamen dividi: 1. in copioſiorem & alienatam, ſive hoc fiat a cauſa morboſa, ſive a medicamento purgante; 2. parciorem vel omnino ſuppreſſam.

Diviſio ſpecialis.

III. In alvi fluxu 1. Tradendæ variæ denominationes.

2. Deſcribenda, quæ excrementorum nomine per anum emittuntur.

3. Examinandæ cauſæ, hunc copioſiorem fluxum excitantes.

4. Tradendi effectus, qui ab hoc fluxu in noſtro corpore fiunt.

5. Proponendi ſunt morbi, in quibus hic fluxus, vel cum euphoria, vel diſcrimine obſervatur.

6. Exhibendus denique erit modus curandi generalis.

Hæc autem omnia ut melius intelligantur, brevis præmittenda inteſtinorum anatomica deſcriptio.

Inteſtinorum Anatomia.

IV. Canalis membranaceus, a pyloro ventriculi incipiens, in anum deſinens, in tria tenuia, & totidem craſſa ab Anatomicis diſtinctus, *Inteſtinum*, ſeu *Tractus inteſtinalis* dictus, ex membrana communi; celluloſa externa; muſculoſa, longitudinalibus & orbicularibus fibris gaudente; celluloſa interna; vaſculoſa, ſeu glanduloſa, ſeu nervoſa dicta; atque denique villoſa ampliſſima plicata, conſtans; vaſis arterioſis, venoſis, lacteis, & nervis, atque glandulis variis ornatus; a ductu pancreatico & colidocho, atque multis oſculis lactearum venarum, & arteriarum meſeraicarum, emiſſariis glandularum & cryptarum, & forſan nervorum pertuſus, in ſe recipit ex his orificiis, atque ex ventriculo, genera varia alimentorum & aliorum humorum.

Fibræ.

V. Fibræ hæ, tam longitudinales, quam orbiculares, ſuis ventribus & tendinibus conſtant, atque more aliorum muſculorum ad motum vitalem deſtinatorum, continuo moventur; hoc docet autopſia in diſſectis viventibus animalibus, aeris in ventre murmur, & contentorum propulſio, qui motus periſtalticus dicitur.

Horum motus.

VI. Motu alterno; quia *conſtrictionis tempore* ventres harum fibrarum muſcularium tument, tendines vero gracileſcunt; *relaxationis tempore* vero contraria fiunt; oſcula, tam abſorbentia, quam evacuantia, alterne aperiuntur & clauduntur, non ſolum ea in parte, qua meſenterio annectuntur, ſed & in toto ejus ambitu: atque ſenſim poſt multiplices conquaſſationes deorſum pelluntur ea, quæ hæc orificia intrare nequeunt.

Tunica celluloſa.

VII. Ut harum fibrarum actio libera eſſet, hæc tunica muſculoſa extra & intra gaudet *tunica celluloſa*.

Plicæ.

VIII. Ne autem liquor intus illuderet huic motui, effluendo per glabrum canalem, intus multis *plicis* tunc quam maxime exaſperatur inteſtinum, remoram ponentibus transfluenti liquori, ut eo magis urgeretur in non compreſſa a fibris oſcula: & forſan eodem hoc motu abſorbentium vaſculorum extremitates inflexæ rectam viam adipiſcuntur; cum ſine hoc motu nihil admittant, quod equidem fieret, ſi recta eſſet via ex inteſtinorum cavo in hæc vaſa.

Alvi fluxus.

IX. Si alvi excrementa quantitate excedunt naturale luſtramentum, *alvus* vel

ven-

venter profusus, *lubricus*, *liquescens*, *turbatus*, *erumpens*, *turbulentus*, *humectatus*, *citus*, *fusior*, *solutus*, vel & *diarrhœa*, nonnullis *Intestinorum rheumatismus* vocatur.

Diarrhœa.

X. Excrementorum liquidorum copiosior & frequentior per alvum evacuatio, sine multis ventris torminibus, a causa interna nata, proprie *Diarrhœa* vocatur: quandoque vero omne alvi profluvium indicat.

Superpurgatio.

XI. Talia excrementa copiosius emissa, vel diutius continuata dejectio post adhibitum purgans, quam solet fieri post usum hujusmodi purgantis, speciali nomine *Superpurgatio* vel *Hypercatharsis* a Medicis dicitur.

Dysenteria.

XII. Si evacuationi huic copiosiori, vel & puris, vel sanguinis, aliorumve malignorum humorum, adsint multa *ventris tormina*, præprimis inter egerendum, vel dum dejectio instat, *Dysenteria*, *Tormina*, & *intestinorum Difficultas* vocatur.

Sanguinis dejectio.

XIII. Nonnulli perperam omnem *sanguinis dejectionem* per alvum vocant *Dysenteriam*, quasi sanguine conspecto traheret nomen: sed sufficit, si copiosiori & frequentiori dejectioni adsint ventris tormina; nam sine dolore exiens sanguis vel excrementis mistus, vocatur *Diarrhœa cruenta*; cum dolore ventris, *Dysenteria cruenta*, qui vero sanguis loturam carnis referens, hepate simul affecto, frequentius & copiosius dejicitur, *fluxus Hepaticus* appellatur; ex ani autem venis, cum, vel sine dolore, ante excrementa, vel ea obvolvens, dejectus sanguis *Hæmorrhoidum fluxus* appellatur.

Lienteria & Cœliaca passio.

XIV. Excrementorum loco alimenta semidigesta per alvum deposita, *Cœliacam affectionem* vocant; sed omnino inconfecta, brevi post assumtionem transeuntia, *Lienteriam* seu *Lævitatem intestinorum*, quibusdam *Diarrhœam chylosam* dictam, faciunt (vid. 28. ad 31.)

Cholera.

XV. Cum copiosiore & frequentiore dejectione, si sursum quoque per os ferantur stomachi & quandoque intestinorum contenta, *Cholera* nominatur Hipp. a. 769.

Dysenteria & Cholera sicca.

XVI. Si vero flatus copiosi, per anum duntaxat, cum reliquis dysenteriæ signis, sine multa liquidorum evacuatione, emittuntur, *Dysenteriam siccam*; ast simul sursum per os emissi flatus liquorum loco in cholera, Medici *Choleram siccam* vocant. Hipp. b. 317.

Ileus.

XVII. Motu autem inverso intestinorum si eorum contenta ejiciuntur per os, nihil vero per anum dimittitur, sæpe cum multis torminibus, *Ileus*, *volvulus*, & *miserere mei* vocatur: quamvis vomitus sit species, & ad ventris dolores pertineat, utplurimum tamen ad alvi fluxum referunt auctores.

Alvi fluxus varius.

XVIII. Præter dicta, cum mucus, pituita, ichor, pus, humores corrupti, biliosa, nigra, per os ingesta, vel ex omnibus viciniis in fauces confluentia, deglutita, ex œsophago, ventriculo, intestinis, pancreate, hepate, vesica fellea, arteriis vel venis mesentericis ruptis aut dilatatis in intestina delata, colore, odore, consistentia, varia stercora, in quibus vermes, ascarides, aliaque animalcula in intestinis vel stomacho nata quandoque inveniuntur, varia alvi fluxus genera traduntur.

Excrementorum divisio.

XIX. Excrementa (III. 2.) 1. colore, 2. odore, 3. consistentia, & 4. quantitate differunt, 5. aliena emittuntur.

Nigra.

XX. *Calor* in excrementis morbosis varius est, maxime recedens est *Color ater* vel *niger*: 1. ex meconio: 2. medicamentis tingentibus, 3. sanguine concreto; 4. sanguine nigro ex venis hæmorrhoidalibus; 5. sanguine corrupto: 6. atra bile; 7. materia sphacelata.

Ex meconio.

XXI. Fœtus, quamdiu utero incluſus, non deponens alvum ex liquoribus in ventriculum & intestina confluentibus, & ex iis, quæ simul per os intrant, nigra excrementa copiosa in intestino colo colligit, a partu evacuanda: hæc, *meconium* dictum, si retineantur, mole, & dein accedente corruptela, multa damna inferunt infanti; præprimis si colostro non utitur recens natus: quare leni

alvi

alvi ductione retenta expellenda; ſi duriora ſunt, non raro injectione diluente egent.

A medicamentis tingentibus. XXII. Quædam medicamenta, ut chalybeata, vitriolata, caſſia fiſtula, polypodium, lapis Lazuli, vinum nigrum & ſimilia, quibus utuntur impoſtores, atro colore inficiunt alvi excrementa: multi colore hoc nigro decepti, exiſtimarunt melanagoga eſſe. Talia igitur excrementa nihil boni vel mali portendunt.

A ſanguine nigro. XXIII. Sanguis in primis viis concretus, ex faucibus, ſinubus narium deſtillans, deglutitus, a contentis ventriculi in nigredinem converſus, tandem per anum dimiſſus, nigras fæces mentitur, quæ præter generalia hæmorrhagiarum nihil mali vel boni præſagiunt. Sed ſi ſanguis venæ portarum, per venas meſeraicas exeſas, deſtillans in inteſtina, evacuatur niger, in iis, qui longo aut acuto morbo ſunt extenuati, hominem exſtinguit.

Ex hæmorrhoidibus. XXIV. Quibus autem ex hæmorrhoididus, menſibuſque ſuppreſſis talis ſupervenit nigra dejectio; aut ſi ex venis hæmorrhoidalibus manat, levamen adferre conſuevit.

A ſanguine corrupto. XXV. Sanguis niger, ſplendens, corruptus, fœtens, cum dextri hypochondrii dolore, tumore & colore icterico, indicans hepatis vaſa exeſa, ſanguinem hunc per coledochum ductum in duodenum delatum, ſurſum vel deorſum ejectus, fere ſemper mortis indicium præbet.

Ab atra bile. XXVI. Materies atrabilaria, modica quantitate, ſine multis torminibus, ejecta, in hypochondriacis & melancholicis, ſanationem promittit: at vero nimis copioſe, in morbi principio, cum torminibus diris emiſſa, mortem ſæpe præſagit.

Ex ſphacelo. XXVII. Denique in ſphacelum converſus ſanguis, frigidum ſudorem, delirium, convulſionem, debilitatem ſummam, anxietatem, torporem, & frigus extremorum producens, brevi moriturum eſſe indicat, nullumque auxilium admittit.

Alba. XXVIII. Excrementa alba, uti ex triplici formantur materia, 1. ex *chylo*; 2. *pure*; 3. *pituita*; ita quoque varia præſagia præbent, & curationes differentes exigunt.

Ex chylo. XXIX. Alimentorum pars oleoſa & pinguis aquoſis miſta, præprimis ſi interveniat humorum noſtri corporis ſaponacitas, albedinem chylo præbet: is igitur, qui intrare debebat lactea vaſa, brevi poſt aſſumta alimenta, quemadmodum in *Lienteria* (14.), vel aliquot horis a paſtu ſemiconfecta, ut in *cæliaca affectione*, per anum depoſitus, corpus privat naturali ſuo pabulo.

A laxitate. XXX. Talis dejectio generatur, ſi deficiat in inteſtinis cauſa urgens chylum in lactea vaſa (6.) qualis eſt *laxitas*, *inertia*, & *motus* fibrarum inteſtinorum *debilior* (T. VI. 4. T. XXI. 3.), medicamentis roborantibus, ſtimulantibus, calefacientibus, & ſtomachicis, promovenda chyli abſorptio, quo ſimul ſiſtitur copioſior alvi talis dejectio.

A viſciditate obſtruente. XXXI. Oſcula lacteorum in cavum inteſtinorum hiantia ſi obturantur humore craſſo crudo (T. XXXIX. 5.), pituita, ſeu viſcido (T. XL. 9.), præterlabitur chylus, qui tandem per anum emittitur: frequens eſt morbus in pueris & infirmis. Fruſtra non ſolum, ſed & multo cum angore, talem conamur adſtringentibus compeſcere alvi fluxum, cum *reſolvenda* & *educenda* ſit pituita (T. XL. 16.), ut lacteorum oſcula fiant aperta; dein *roborantibus ſtomachicis* firmandus inteſtinorum tonus, ne nova in iis generetur & accumuletur pituita.

A bilis defectu. XXXII. Excrementorum naturalis flavedo, a *bile* tingente proveniens, ſi deficit, alba prodeunt, quemadmodum in *ictericis* frequens fit, & mali ſemper præſagii eſt. Quod fit 1. In tali hepatis obſtructione, qua impeditur bilis ſeparatio a ſanguine per arteriam portarum allato; ſed una cum ſanguine eo intrat radices venæ cavæ, ut totum corpus flavo colore fœdet, ſed albas relinquat fæces. 2. Si tam aliena ſit bilis indoles, ut non patiatur in hepate ab allato ſanguiue ſecerni, quando cum flavedine cutis multa ſigna ſimul accedunt cacochymiæ, ſympto-

ptomata autem pauciora hepatis. 3. Si bilis exitus intercludatur in duodenum, a calculo in ductu cystico, vel communi hærente, vel inflammatione aut spasmodica constrictione illarum partium, quod ex signis his causis propriis cum excrementis albis dejectis est deducendum: bilis illa sanguini mista si corrumpatur, & feratur ad cerebrum, ubi mentem alienat, magnum periculum portendit. Excrementa alba ex prima causa exigunt *resolventia hepatica*; ex causa secunda, *amara* & *biliosa*, ex causa tertia, *specifica calculum bilis resolventia*, si dantur; vel quæ inflammationi aut convulsioni medentur. Hæc omnia miscenda purgantibus, quæ sine magno motu bilem ad intestina ducunt.

Glandularum infarctione.

XXXIII. Sola chyli propulsio (30.) & receptio a vasis lacteis (31.) non sufficit, sed via ulterius aperta usque in venam subclaviam requiritur, ne exeat chylus per alvum: quare glandularum mesenterii infarctio, cum ventris intumescentia dura, pedum tumore, & reliqui corporis extenuatione, in scrophulosis, cacochymicis & pituitosis, hujusmodi lienteriam sæpe generat. Talis alba dejectio *frictionibus* ad ventrem, *resolventibus scirrhum* curanda. Quæ autem alba excrementa exeunt, quia lacteorum oscula sunt coalita, ut præcipiunt auctores, post longam dysenteriam, nullam admitterent curationem.

Ex pure ulcali.

XXXIV. Post Dysenteriam longam, diroſve & perstantes ventris dolores, si cum reliquis excrementis materia alba forma puris exeat, judicamus, intestinum vel abscessum, vel ulcus, contraxisse. Si prius exeat pus, in recto intestino hærere ulcus intelligimus, sed excrementis si sit mistum pus, tenuia vel principium crassorum affectum esse scimus. Ex loco præterea doloris in ventre docemur, quænam pars intestinorum ulcus contraxerit. Medici tunc est *absterg entibus* depurare ulcus; *antipueticis* munire corpus ad puris infectionem; dein *consolidantibus* sanare ulcus: magna in assumendis alimentis observanda est cautela, ne relinquantur fœces acres, asperæ duræ; neque acrioribus purgantibus sollicitanda alvus.

Per metastasin.

XXXV. Quandoque febris ardens, in suppuratoriam conversa, cum levamine deposuit pur alvum; si tunc purulenta biliosis mista fuere, malum præsagium præbet. Ex locis infra septum transversum abscessus per alvum cum levamine evacuarunt pus. Si vero ex pulmonibus suppuratis, pectorisque cavo hac via educitur pus, vix unquam servantur: pleuriticos, phthisicos atque empyematicos per alvum cum levamine evacuasse pus, rara exstant exempla. Neque abscessus extremarum partium ad alvum ferentes pus bonum præsagium præbent. Quæ in hoc casu agenda sint, ex T. XLVIII. satis constat.

Ex pituita.

XXXVI. Colore non multum distat a pure pituita, seu viscidum cum excrementis evacuatum, nisi quod pallidum magis sit tenaciusque cohærens; sed ex aliis omnino causis nascitur, & aliam curationem exigit.

Assumtorum.

XXXVII. Alimenta tenacia, glutinosa, farinosa diutius & copiosius assumta ab homine, cui viscera sunt laxa & languida, atque bilis aliorumve humorum saponacitatis est defectus, excrementa glutinosa præbent: cognoscitur a causa hac generari 1. si assumta talia præcesserint, 2. si pituitæ signa in primis viis simul adsunt (T. XL. 8. & 9.), ubi simul (T. XL. 15. & 16.) curatio traditur.

Nostrorum humorum.

XXXVIII. Liquores quoque boni minori motu agitati quia inviscantur (T. XXXI. 9. N. 2. T. L. 8. T. XL. 5.), non est opus tam anxie quærere, unde tantus viscidi sæpe proventus in primis viis: neque conducit repetita alvi ductione, qua debilitatur corporis subigens virtus, eliminare ex primis viis viscidum; sed post unicam eductionem, resolventibus, saponaceis, præprimis si simul adsit bilis inertia; stimulantibus, calefacientibus & roborantibus novam generationem prævenire. Talis pituita vel formatur in intestinis laxioribus, vel ubique per totum corpus, uti in leucophlegmaticis, & ad intestina fertur; quod ex signis traditis (T. XL. 10.) cognoscitur, & dicta methodo (T. XL. 17.) curatur.

Morborum acutorum.

XXXIX. Materia phlogistica, neque sufficiente corporis vi attenuata & resoluta; neque in materiem purulentam conversa, aliquam glutinis speciem format

inſtar ſorditatis ulcerum, quæ in ardentibus quandoque copioſe redditur ſine levamine per alvum. Cardiacis gratis, lene ſtimulantibus erigendæ vires, & leni alvi ductione abſtergente educendum gluten.

Muci inteſtinorum. XL. Mucus inteſtinorum naturalis, cryptis & glandulis ſecretus, ad facilitandum excrementorum tranſitum, vel munienda inteſtinorum latera ad roſionem & aſperitudinem, ſi abradatur in dyſenteria poſt tormina multa; vel quia latera inteſtinorum ichorem fundentia hunc mucum depellunt: per alvum non raro, inſtar membranæ, vel portionis inteſtini, deponitur mucus: poſt dejectionem hanc exacerbatur dolor & generatur teneſmus. Clyſmate molli ſupplendus mucus, parva copia ſimul, & ſæpe repetita, injecto: atque tranſudans ſanies parvis conſolidantibus turundis, ſeu ſuppoſitoriis, corrigenda, atque loca nuda cicatrice tegenda.

Rubra. XLI. *Color ruber*, a ſolo ſanguine rubro tingente etiamſi oriatur in excrementis, varia tamen præbet in morbis præſagia, & non ſemper eandem exigit curationem: poteſt enim manare ſanguis ex arteriis meſeraicis, venis meſeraicis in venam portarum deſinentibus, quæ valvulis caret; hiſque ſolummodo dilatatis vel ruptis aut laceratis; ex vaſis hæmorrhoidalibus; aut deglutitus exoneratur: quandoque per ductum colidochum vel pancreaticum infunditur in inteſtina; quare ſanguinis egeſtio non deſignat *Dyſenteriam*, ſed quando dolor ſimul adeſt.

In acutis inflammatoriis. XLII. *Quibus dolores præcordiorum, oris ventriculi, hepatis, partium circa umbilicum, hi ſanguine per alvum egeſto, ſervantur: non autem egeſto, moriuntur.* Hipp. a. 549. Niſi alia accedat hæmorrhagia, vel ſanguinis miſſione artificiali, aliiſque antiphlogiſticis adhibitis, ſuccurrat Medicus. Quod ex eodem Hipp. conſtare poteſt: *Morbi acuti judicantur, ſanguine de naribus fluente, in die judicatorio; & alvo mucoſa & cruenta derepente egerente.* Hipp. a. 534.

In acutis eryſipelatoſis. XLIII. At vero in acuta, maligna, eryſipelatoſa febre, alvi profluvium rubrum nocet. *Soporoſi in principiis evadentes, cum capitis, lumborum, colli, præcordii dolore vigilantes, num phrenitici ſunt? naſus in his deſtillans, pernicioſus, tum alias, tum quarto ab initio die. Malum etiam eſt alvi profluvium valde rubicundum.* Hipp. a. 537. *Dyſentericæ, ſubrubræ, limoſæ, largæ egeſtiones alvi, in flammeis valde rubicundis coloribus ſolutæ, inſaniæ timorem inducunt.* Hipp. a. 576. Si enim inflammatione fiat, prodeſt alvi fluxus ruber: nam idem auctor obſervavit in iis, qui comate preſſi, laſſitudine fracti, obſurduerint, erumpente alvo rubra circa criſin, juvare.

In ſanguine corrupto. XLIV. Sanguis corruptus in inteſtina depoſitus, & dein evacuatus, damnum infert, quia non medetur corruptelæ, ſed corroſionem aut diſſolutionem vaſorum indicat. *Poſt ſanguinis eruptionem nigrorum per alvum tranſitus* (23.), *malus; prava ſunt etiam valde rubra. Num vero quarto die hic ſanguinis fluxus contingit? ſoporoſi ex his convulſione moriuntur. Num nigris prægreſſis & ventre tumefacto?* Hipp. a. 482. *Quibus ex ſanguinis eruptione larga ac frequenti nigrorum multorum fit egeſtio, hi, ſuppreſſa alvo, doloroſi ſanguinem profundunt.* Hipp. a. 483. conf. Hipp. a. 552. *Sanguinem ſplendidum egerere, malum eſt, tum alias, tum ſi quis dolor abfuerit.* Hipp. a. 585.

In vaſis ruptis. XLV. Quæ ſigna ſimul docent, in inteſtinis magnum vas eſſe ruptum, periculum portendunt; unde tam malum, alvum ſanguine manare, & multa egerere grumoſa. Aut ſi continuo fluat per hepatis exeſa vaſa, ex affecto hepate ſimul cognoſcendum, valde malum eſt.

In morbis alienis. XLVI. In febre quartana (T. LII. 37.), ſcorbuto, cacochymia, purulentis, aliiſque, quibus damnatur omnis ſanguinis evacuatio, alvi fluxus ruber nocet, quia non minuit morbum, & corroſionem vel colliquationem indicat.

In ſanguine deglutito. XLVII. Poſt hæmorrhagiam narium, ſi deglutitus ſanguis deponatur, nihil boni vel mali per ſe præbet, ſed prognoſis & curatio ex præcedenti hæmorrhagia (T. XXXII. 20.) eſt deducenda.

Ex hæmorrhoidibus. XLVIII. Qui ſanguis ex hæmorrhoidalibus vaſis manans deponitur, ſpeciali

loco

loco ab auctoribus tradi ſolet, quoniam cum præcedentibus vix quidquam commune habet. Cognoſcitur ex ſtillante ex ano ſanguine plerumque nigro, dolore circa anum, prægrediente alvi excrementa, vel ea obvolvente, & ſæpe, ſine conatu alvi egerendi, exit.

XLIX. Si poſt nauſeam, cibi faſtidium, anxietatem præcordiorum, & urinam flavam emiſſam, alvus egerit multa bilioſa, ſanat: imo in levi delirio, inquietudine, vigiliis, colore faciei ſubflavo, ſurditate cum præcedentibus, valde bonum eſt; vel ſponte, vel purgantis auxilio, per alvum evacuare multa bilioſa, quo ex corpore reliquo & primis viis educitur bilis corrupta, admodum bonum. *Quibus in febribus, dolore lateris oboriente, alvus multa aquoſa ac bilioſa egerit, hi allevantur.* Hipp. a. 527. *Quibus ſurditas, bilioſis egeſtionibus contingentibus, ceſſat.* Hipp. a. 84. & a. 587. *Nihil plus adverſus ſurditatem; quam bilioſa alvus, poteſt.* Celſ. 70. Si vero retineatur ſanguini miſta, multa mala produceret. *Flava & bilioſa, Bona.*

L. Quæ autem bilioſa dejectio indicat abundantiam bilis corruptæ in corpore, & non adfert levamen, mala dejectio eſt cenſenda, non ex ratione evacuationis, ſed ut ſignum. *In bilioſis meracis alvi egeſtionibus, ſpumoſa florulenta, mala, tum alias, tum ſi cui lumbi antea doluerint, & mente motus fuerit.* Hipp. a. 473. & 585. Bilioſa hæc materia corrupta cerebrum ſi petat, maxime periculoſum eſt. *Mala.*

LI. Quæ vero excrementa flava ab aſſumtis ita tincta evacuantur, uti a pauxillo caſſiæ, a rhabarbaro, aloe, manna, & ſimilibus cholagogis, nullum indicium præbent; ſed fallunt imperitos. *Ex aſſumtis.*

LII. In excrementis quidam quoque *odor* (XIX. N. 2.) obſervatur naturalis, a materia quadam volatili excrementis miſta, quæ ex noſtris propriis liquoribus in inteſtinis ſecernitur, a quibuſdam *fermentum ſtercoreum* dictum. Talis olens liquor, præprimis in cœco & colo inteſtinis, ſpeciali organo ſecernitur, & excrementis miſcetur. Odore ſeu fœtore differens in variis animalibus. *Odor naturalis.*

LIII. *Male olentia.* 1. fiunt excrementa ab aſſumtis, quæ actione corporis non amittunt ſpecificum odorem, ut allium, cepa: tales autem egeſtiones nihil indicant: 2. nimis diu retenta in inteſtinis excrementa, quia ſtagnando corrumpuntur, maxime fœtentia fieri poſſunt, quod ex alvo adſtricta prægreſſa cognoſcimus; melius eſt, ut evacuentur hæc, quam ut retineantur; quandoque nihil mali latentis præſagiunt: 3. ſed ſi liquores in inteſtina confluentes eum fœtorem præbent, ſemper malum ſignum, quoniam declarat, humores noſtri corporis putrefactos eſſe (T. XXXVII.). *Fœtor.*

LIV. *Odor nullus* in excrementis ſemper malum ſignum, niſi in infantibus, quibus, hoc naturale eſt: nam indicat, vel nimis cito tranſire alimenta, uti in diarrhœa chyloſa, vel corpus nimis debile eſſe, uti in perinfirmis, vel retineri materiem inteſtinorum, cui ille fœtor eſt naturalis. *Inodora.*

LV. Multis modis variant conſiſtentia excrementa (XIX. N. 3.); naturale eſt, ut ſint compacta, configurata inſtar magdaleonis, mollia, ut olim obſervavit Hipp. a. 584. *Conſiſtentia.*

LVI. Si plus liquidi excrementis admiſcetur, unaque exit, *excrementa* dicuntur *Tenuia, Liquida*, & *Aquoſa*. Talia fiunt cum æquali ingeſtionis quantitate & ſine purgantibus aſſumtis. 1. Si abſorptio langueat vel deficiat; inde in perinfirmis, caro, lethargo laborantibus, mala, atque in ventris tumore, qui arguit lactea eſſe obſtructa. 2. Ex humorum colliquatione proveniens, peſſimum eſt ſignum: *Alba ſtercoracea morbo regio difficilis eſt, itemque liquida, quæ ſepoſita ruborem capit.* Hipp. a. 586. Suppuratis talia ſupervenientia valde mala; phthiſici alvo liquida plerumque pereunt; in acutis morbi longitudinem præſagiunt. 3. Sed ſi in principio hydropis alvus multa aquoſa egerit cum ventris detumeſcentia, bonum: *In aqua inter cutem incipiente, alvi profluvium aquoſum oboriens, citra cruditatem, morbum ſolvit.* Hipp. a. 567. In ventris quoque dolore ab humore acri in inteſtina delato, alvus multa liquida egerens, dolorem tollit. *Liquidiora.*

Duriora. LVII. Multa ex ingeſtis in chylum converti nequeunt, multaque ex humoribus confluentibus in ventriculum & inteſtina, abſoluto munere in præparandis alimentis, non iterum intrant lactea vaſa, ſed ſemper aliquid compactum & inſolubile in inteſtinis relinquunt: hæc ſi privantur tenui humore in cellulis inteſtini coli, in maſſulas duras quandoque compinguntur, referentes figuram harum cellularum, qualia ab Hippocrate dicuntur *ſtercora caprina*; præprimis ſi mucus naturalis inteſtinorum tenacior reddatur. Talia in hydropicis denotant aquam aliunde colligi; in acutis maximam humorum denſitatem & exſiccationem: tympaniticis frequentia & mala; in veſicæ inflammatione mala, niſi ſuccedat urina multa, purulenta, cum alba & lævi ſubſidentia (conf. Hipp. a. 464. & 568.); naſus erumpens malum; Hipp. a. 474. & 584. ſi talia non fiant ex inflammatione. Si autem alvus antea fuit liquida in acutis, ut bona criſis fiat circa finem morbi, debet denſari alvus (conf. Hipp. a. 438. & 584.).

Effectus. LVIII. Talia dura excrementa tumorem & dolorem ventris pariunt, tranſitum ſequentium intercludunt, unde quandoque *iliaca paſſio*; clyſmate diluente & emolliente educenda.

Quantitas. LIX. In hominibus temperate viventibus commodum eſt, quotidie inter uncias quatuor & ſex onerare alvi excrementa compacta: hanc quantitatem ſi excedant, ſub *alvi fluxu* complectemur, ſi autem minor ſit egeſtio, vel omnino nulla, in *alvo adſtricta* exponetur.

Aliena. LX. Præter recenſita multa quoque alia (XIX. N. 5.) per alvum redduntur, quorum quædam indicavimus (18.). Hic, quid indicent, tradendum eſt.

Meraca. LXI. *Meraca* egeri nequeunt in ſanitate, quum alvi excrementa ex variis coagmentata ſunt, ſive ſint bilioſa, pituitoſa, ſanguinea, vel chyloſa, ſemper mala. *In morbo diuturno cibi faſtidium & meracæ alvi egeſtiones, malum.* aph. 6. Sect. 7. *Viſcoſa meraca, aut alba alvi egeſtio, mala eſt.* Hipp. a. 584. *Egeſtiones deſinentes in ſpumoſas meracas, omnes quidem exacerbant, convulſos autem etiam valde. Ex talibus abſceſſus juxta aurem emergunt. At quæ valde liquidæ fiunt, & rurſus compactæ, meracæ, ſtercoraceæ egeſtiones, longitudinem morbi ſignificant.* Hipp. a. 586. *In bilioſis meracis alvi egeſtionibus, ſpumoſa florulenta, mala, tum alias, tum ſi cui lumbi antea doluerint, & mente motus fuerit. Rari circa latus in his dolores, deſipientiam ſignificant.* Hipp. a. 473. Oriuntur enim hæc 1. vel ex alimentis non ſubactis; vel 2. ex pituitæ cumulo; vel 3. ex bile corrupta profluente; vel 4. a vaſis ſanguiferis dilatatis, vel ruptis, ſanguinem ſtillantibus (41. ad 46.)

Pinguia. LXII. Alvi *egeſtiones pingues* malæ ſunt (conf. Hipp. a. 588.); denotant enim pinguia ingeſta alimenta, defectu ſaponacitatis liquorum, & debili actione inteſtinorum, non ſubigi: vel, ſi per arterias meſeraicas in inteſtina deponitur pinguedo, ſummæ colliquationis indicium eſt.

Spumoſa. LXIII. Ut *ſpumoſæ* fiant egeſtiones, requiritur 1. motus inteſtinorum perturbatus & vehemens, quo aer inteſtinorum miſcetur intime reliquis liquoribus: 2. materiæ præſentia, quæ hac agitatione in ſpumam poteſt converti; qualis eſt bilis; pinguedo corrupta; chylus ſaponaceus, oleoſus; viſcidum tenax. Qui humores ex dictis (41.) & dicendis intelligi poſſunt. *In acutis, ſpumoſa, circumbilioſa alvi egeſtio, mala eſt.* Hipp. a. 584. Et addit, *in acutis bilioſis, valde albæ.* Hipp. a. 475. *Quibus ſopor fit ſpumoſis prodeuntibus, his febris exacerbatur acuta.* Hipp. a. 478. Obſervantur tales quoque ſpumoſæ egeſtiones in febribus colliquativis & bilioſis; atque viſcoſæ ſpumoſæ, ſi pituita inteſtinorum acrimoniam fovet; frequentes ſunt dyſenteria laborantibus. conf. Hipp. 585.

Aer. LXIV. *Aer* ſeu *flatus* multis modis in inteſtinis generatur, ut aſſumtione, putredine, fermentatione, motu inteſtinorum inordinato, quod non eſt hujus loci inquirere. Aer quocumque modo natus, per anum exiens, quid indicet, delibabimus. Si flatus erumpunt in Diarrhœa correptis, ſi prius non adfuerint, ſolutionem portendunt; Dyſenterici loco excrementorum quandoque multos flatus emit-

mittunt ſine levamine, quando vocatur Dyſenteria ſicca. Colicis flatuum emiſſio, denotans ceſſaſſe inteſtinorum conſtrictionem, ſolamen adfert. Pedendo erumpentes flatus in Iliaca paſſione, cum fœtore magno, ſæpe mortem præſagiunt.

LXV. Naturale eſt, alvi excrementa, ex variis conſtantia, intime inter ſe miſceri, ut una maſſa homogenea videatur: ſi autem iſtud non fiat, ſemper malum. *Alvi egeſtiones variæ diuturniores ſunt nigris, & aliis lethalibus egeſtionibus, nihilo vero minus perniciosæ. Sunt autem tales ramentoſæ, bilioſæ, cruentæ, praſinæ, nigræ: & aliquando ſimul omnes prodeunt, aliquando ſingulæ particulatim.* Hipp. a. 442. conf. Hipp. a. 588. *Varia.*

LXVI. Per alvum quandoque emittuntur ramentoſa, & membranoſa, vel inſtar filamentorum, quæ duplicem agnoſcunt originem; 1. ex humoribus concretis; 2. ex tunica interna rugoſa ab inteſtinis ſeparata. Poſt aphthas ſeparatas non raro conſpiciuntur, & quando homines tenaci pituita laborant, quæ ad faciem inteſtinorum internam concreta, & dein emiſſa, verum membranam quandoque æmulatur. Si vero poſt longam dyſenteriam, & multa ventris tormina, tandem membranoſa ejiciuntur cum doloris exacerbatione & ſequenti teneſmo, non leve præbet indicium, tunicam inteſtinorum rugoſam ſeceſſiſſe. Hoc neceſſarium eſt ſciat Medicus, quoniam ex viſcido concreto ſi fiat, evacuatio eſt promovenda clyſmatibus abſtergentibus, quandoque leni alvi ductione: ſed ſi membrana exeat, partes denudatæ conſolidantibus & emollientibus ſunt tegendæ. *Membranoſa & ramentoſa.*

LXVII. *Lethale eſt alvum ſanguine manare, multa grumoſa egeſtione.* Hipp. a 586. Si enim tam magnum vas ſit apertum in inteſtinis, ut ſanguis effluens in grumum concreſcat, vix medelam admittit: ſed ſi fiat a ſanguine deglutito, ex dictis (41. ad 48.) intelligitur. *Grumoſa.*

LXVIII. Duplici modo in inteſtinis naſcuntur carunculæ: 1. ex muco inteſtinorum vel pure concreto in lacunis, dein cum excrementis emiſſo, quemadmodum ſæpe fit in aſpera artetia; 2. a glandulis inteſtinorum induratis & dein emiſſis, quod admodum rarum. *Corpus ſqualidum, alvum male affectam ſignificat: in his valde rubicundæ, inſtar purulentæ carunculæ, egeſtiones maximæ prodeunt.* Hipp. a. 587. *Si a dyſenteria occupato, veluti carne ſubierint, lethale eſt.* aph. 26. Sect. 4. *Carunculæ.*

LXIX. Materia concreta in cryptis inteſtinorum, multa terra impregnata, verum calculum mentitur, qualis frequens concretio obſervatur ad dentes: raro autem in hominibus hujuſmodi calculi creſcunt in ventriculo & inteſtinis, quemadmodum quibuſdam animalibus. Quandoque vero calculus veſicæ felleæ per ductum coledochum truditur in inteſtina, & per alvum emittitur. *Calculi.*

LXX. Inſecta varia per alvum redduntur, ut anguillæ, lacerti, ſcarabæi, vermes, lumbrici. Quandoque ſimilia iis, quæ extra nos quoque inveniuntur, quando ipſa animalcula vel eorum ſemina prius deglutita fuere: vel quandoque omnino aliena, forſan quod alieno pabulo in nobis excludantur & nutriantur. Vermes hi vel deſtructo nido, vel prius necati, imo quandoque viventes, excluduntur, integri vel fruſtulatim. *Commodum eſt lumbricos exire ad judicationem.* Hipp. a. 438. & 584. Frequentiſſime infeſtant pueros pituitoſos: nimis autem longum foret huc omnia conferre, quæ de vermibus in nobis dicenda ſunt. *Inſecta.*

LXXI. *Alvi fluxus*, ut varia accipit nomina (9 ad 18.), ita ex variis naſcitur cauſis, multaque bona & mala producit (III. N. 4.). *Alvi fluxus.*

LXXII. Morbi, qui ex alvi profluvio oriuntur, ad hæc genera referri poſſunt: 1. qui immediate fiunt in inteſtinis; 2. in tota maſſa humorum generali; 3. in partibus firmis; 4. in ſpiritibus & mente noſtra. *Quid faciat.*

LXXIII. Alvi fluxus perſeverans corpus ita diſponit, ut tandem cogatur continuo deponere alvum, aut in veram lienteriam commutetur. Vel continuo excrementorum tranſitu una educitur mucus inteſtinorum, quo latera inteſtinorum, nuda ab omni attactu dolent; unde ventris tormina, & in inteſtino recto teneſ- *In Inteſtinis.*

mus

mus, imo irritatione hac inflammantur & exulcerantur inteſtina, quandoque ſphaceleſcunt: aut nimis laxatum inteſtinum rectum, continuo egerendi conatu, prolabitur.

In tota maſſa. LXXIV. Morbi in tota maſſa (LXXII. N. 2.) ad hæc tria referri poſſunt: 1. ad defectum; 2. abundantiam lymphæ; 3. ad corruptionem ſpontaneam.

Defectus humorum. LXXV. Alvi fluxus id commune habet cum omnibus aliis evacuationibus, quod humoris quantitatem minuat, verum etiam detrahat naturale corpori nutrimentum, ſiſtatque alias naturales excretiones, quarum humiditas ad alvum derivatur. Inde macie, ſeu atrophia (T. LII. 48. ad 57.) conſumitur corpus, & facies fit hippocratica, non tamen præbens tam malum ſignum quam ſi talis fiat in phthiſicis ſine alvi fluxu. Vaſa minus diſtenta minuunt corporis naturalem calorem, horrent rigentque propterea, atque ſiſtitur vel minuitur ſalivæ ſecretio, unde oris ſiccitas, difficiliorque deglutitio, urina parcior & magis colorata, ſupprimiturque ſputum; in gravidis defectu pabuli fit abortus, & in puerperis ſiſtuntur lochia & minuitur lac.

Hydrops. LXXVI. Sæpe, quod mirum videtur, poſt longas alvi dejectiones generatur hydrops (T. XXXV. 13.), leucophlegmatia, articulorum & partium extremarum tumor œdematoſus; quia humores liqueſcentes minus preſſi in laxatis ſolidis ſubſiſtunt: quos tumores aquoſos fruſtra multi conantur purgantibus curare.

Corruptio ſpontanea. LXXVII. In corpore, quod continuo privatur ſuo pabulo, non eſt mirandum, quod ingeſta alimenta, & qui boni inerant liquores, ſenſim in alienam degenerent indolem: uti in viſciditatem, putrilaginem, primis viis ſub forma aphtharum adhærentem; vel in corruptelam, quæ generat cacochymiam, halitum fœtentem, faſtidium, nauſeam, inappetentiam, ventriculi cruditatem, tandemque febrem hecticam, phthiſin, puſtulas, ſcabiem, atque pulmonis exulcerationem. Aut ſi abeat humor in *acrimoniam*, in variis corporis locis poſt alvi fluxum generantur dolores, cardialgia, capitis, lateris, pectoris, renum, ventriſque dolor, quandoque cum calore, quandoque cum frigore.

Acrimonia.

In ſolidis. LXXVIII. Partes ſolidæ (LXXII. N. 3.) alvi fluxu vel enervantur, vel inordinate moventur, vel, ob conſenſum, multa aliena producunt.

Laxitas. LXXIX. Triplici modo enervantur ſeu laxantur partes firmæ a copioſiori alvi fluxu: 1. in potentia cohærendi; 2. in elaſticitate ſeu motu automatico; 3. in motu animali & vitali. Quippe quæ antea erant tenſa & dura atque maxime agentia, fiunt flaccida, mollia, frigida, contenta minus propellentia.

Motus turbatus. LXXX. Poſt alvi fluxum frequentiſſime fiunt ſuffocationes, ventris & inteſtinorum convulſiones, murmura, alvi inflatio, faſtidium, nauſea, ſingultus, tremor, cordis palpitationes, ex motu turbato in partibus firmis, quia vaſa inanita inordinate conſtringuntur.

Conſenſus. LXXXI. Dum inteſtina moliuntur majorem evacuationem ſuo motu inordinato, partes præprimis his cohærentes, vel quæ ex eodem trunco vel plexu nervos habent, in conſenſum trahuntur, inde difficilis deglutitio, linguæ inflammatio, angina, dyſpnœa, ſingultus, vomitus, & ſimilia; quæ omnia mala ſigna præbent, quia his accedentibus augetur morbus, & non ſiſtitur cum levamine alvi profluvium.

In ſpiritibus & mente. LXXXII. Neque *ſpiritus nervorum* & *mens noſtra* immunes manent (LXXXII. N. 4.) Detrahitur enim aliquid de materia ſpirituum ſimul, ut inde debilitentur vires, pori laxati tranſmittant ſudorem colliquativum: ſi major fiat ſpirituum inopia, fit animi deliquium, doloris abſentia, adipſia, ſurditas, ſopor: quæ omnia mala propterea ſunt, ſi ſuperveniant. Tandem anima ipſa turbatur, fit triſtitia, mœror, ira, delirium, prout humores in variam abierunt indolem. Exhauſtis denique vel corruptis omnibus, perit æger.

Alvi fluxus & purgans quibus conducat & noceat. LXXXIII. Perſpectis quid generaliter faciat alvi fluxus, facilius erit definire, quonam in ſtatu alvi fluxus ſit permittendus aut cohibendus, & quando purgans ſit exhibendum (III. N. 5.). Alvi fluxus autem accidit, & purgans propinatur

in

in varia ætate, tempore, & morbo, quare distinctione opus, ut ordine quodam proponi possint. In his observamus 1. statum sanum, 2. morbosum.

LXXXIV. Ad statum sanum 1. referri potest *ætas*. *Infantibus* frequens est diarrhœa & cholera, tempore dentitionis, qua si corripiantur, raro tentantur convulsionibus: moderandus est ille alvi fluxus: non ferunt facile purgantia, nisi mitissima in recens natis, si meconium fuit retentum: ceteroquin omnis alvi fluxus infantibus damnatur. *In ætate varia.*

Pueri autem, infarctione ventris laborantes, non raro lienteria diuturna corripiuntur, quæ resolventia & alvum laxantia exigit, ut obstruens pituita educatur, & aperiantur oscula lacteorum.

Juvenes & *viri* facilius ferunt alvi fluxum & purgans. Qui ætatem juvenilem excesserunt, alvi profluvio diuturno obnoxii sunt. aph. 30. Sect. 3.

Senibus vero, ob vires debilitatas, minus conducit alvi fluxus & purgans.

LXXXV. Huc quoque pertinent 2. anni tempora varia. *Ver*, quia corpus facit largius perspirare, & tamen calor aeris minime est urens, raro alvi fluxum generat. *Æstas* autem, calore putrefaciens humores, post ver pluviosum & australe (aph. 11. Sect. 3.) inhibens perspirationem, choleræ & dysenteriæ ferax; si vero ver fuit siccum & australe, dysenteriæ siccæ magis fiunt (aph. 12. Sect. 3.). *Autumnus* frugum ferax humidus & calidus, promovens corruptelam, & inhibens perspirationem, alvi fluxum producere solet. *In tempore anni.*

LXXXVI. Mulieres *gravidæ*, in alvi fluxum incidentes, quia de fœtus pabulo nimis detrahitur, & conatus fit egerendi per inferiora, in abortus periculo versantur (aph. 34. Sect. 5.). In *puerperis*, partu antecedenti, & lochiorum fluxu nimis debilitatis, alvi fluxus periculosus: & quamvis lochia subsistant, neque alvi fluxum, neque purgans ferunt: quoniam restitans sanguis in vasis uteri hac via non evacuatur. *In gravidis & puerperis*

LXXXVII. In omni morbo (III. N. 5.) fieri potest alvi fluxus, & dari potest purgans, quare hi omnes essent describendi, ut sciamus, quid mali & boni præstent, quod vetat hujus Compendii brevitas. Ne tamen pars hæc utilissima relinquatur intacta, præcipuos morbos ordine quodam delibabimus: in quo proponemus 1. morbos liquorum; 2. partium firmarum & organorum; 3. eos, qui ad mentem nostram referuntur; 4. causas externas morbum inferentes. *In morbis.*

LXXXVIII. Ad humores in nobis 1. refero aerem, seu flatum, quemadmodum (64.) dictum est. Si aer in intestinis contentus inordinato motu intestinorum auditur, sæpe idem motus contentos reliquos humores ejicit. *Quibus febricitantibus ructus adsunt, & flatus, strepitus, ac elevationes ventris, his fit alvi exturbatio.* H. a. 533. Quibus vero frequentes ventris flatus, ut in hystericis, hypochondriacis, aut tympanitide laborantibus, purgantia his augent malum, multaque tormina inferunt, cum augent motum illum inordinatum, non vero tollunt flatuum causas. *1. Ab aere occluso.*

LXXXIX. *Cacochylia*, *cacochymia*, & *cachexia*, etiamsi frequentissime eundem morbum indicent, quoad alvi fluxum, & dandum purgans, distinguenda sunt. Nam si ex ingluvie, vel alimentis pravis ingestis, alienus humor sit collectus in primis viis, conducit, alvi fluxu vel medicamento dato, corpus ab inutilibus his, seu *Cacochylia* liberare. *2. A crudo succo, seu cacochylia.*

XC. Si vero Cacochylia hæc, vel & alii crudi humores (T. XXXIX. 4),) *Cacochymiam* produxerint circa has partes, quod cognoscimus ex signis traditis (T. XXXIX. 5. & 6.), sæpe præmittendum præparans, & post eductionem corpus roborandum, ne novam cacochymiam cumulet: sæpe etiam sine eductione præcedente melius succedit curatio, modo restaurentur vires, contenta primarum viarum præparantes. *Seu cacochymia.*

XCI. Tandem corrupta cacochymia in sanguinem delata, totum corpus reddit *Cachecticum*: hinc dolores gravitatemque in variis partibus, uti in capite, pectore, lumbis, præcordiis excitat, qui non raro alios mentiuntur illarum partium dolo- *Seu cachexia.*

dolores; ſed ex præcedentibus cauſis cruditatem generantibus, atque adjunctis ſignis cachexiæ, a reliquis diſtinguuntur. Purgantia perfectam curationem non præbent: 1. quia ex maſſa ſanguinis purgans iſtud corruptum non ſatis commode educit; 2. &, quamvis educatur, non tamen tollitur morbi cauſa, quæ erat deficiens actio: quare poſt eductionem ventriculi coctio eſt promovenda ſtomachicis, atque in reliquo corpore perfectior elaboratio eſt præſtanda, roborantibus exercitiis, calefacientibus cardiacis; & denique præparatus humor evacuandus per diaphoreſin.

3. *A lympha.* XCII. Humores copioſius collecti *aquoſi*, uti in hydrope, leucophlegmatia, & œdemate, quomodo & quibus purgantibus curantur, dictum eſt (T. XXXV. 53.) *In his, qui a hydrope detinentur, ſi aquoſitas per ventrem ad veſicam aut ventrem fluat, ſolutio fit.* Hipp. a. 446. *Hydropicis circa venas aqua in alvum prolapſa* (Hipp. a. 567. & aph. 14. Sect. 6.) *ſolutio.* Sed in hydrope poſt morbos acutos, ex laterum mollitudine, incipiente, alvi fluxus non minuit morbum (vid. Hipp. a. 566.). Quare neceſſe eſt, ut Medicus diſtinguat in hydrope adjunctas cauſas, antequam definit, an alvi fluxus juvet, vel purgans conducat: ſi enim incidit in alvi fluxum, qui detumeſcere facit corpus, & vires auget, bonum eſt; ſed ex obſtructis meſenterii glandulis, colliquatione humorum, atonia vaſorum, mortem inſtare denotat. Purgantia, quæ talem lympham præprimis educunt, *Phlegmagoga* dicuntur.

4. *A pituita.* XCIII. *Si a pituita alba occupato, alvi profluvium vehemens accedit, ſolutio fit.* Hipp. a. 446. Si ſcilicet viſcidum viribus corporis auctis ſolvitur & expellitur: ſi vero non minuatur viſcidum, dum fluit alvus, vel ſi cum alvi egeſtione ſimul minuuntur vires, talis fluxus nocet. Neque *purgantia phlegmagoga* dicta multum præſtant, niſi præcedat pituitæ reſolutio, cum ſtimulo purgantis pituita tenax, in inertibus & laxis vaſis ſtagnans, excuti nequeat: quod vero phlegmagogis ſæpe multum pituitæ educatur, id arguit, eam præexſtitiſſe in primis viis, ſed non probat, illam ex tota ſanguinis maſſa depromptam eſſe. conf. T. XL.

5. *A bile.* XCIV. In bilis, tam flavæ, quam atræ evacuatione & ductione ſummo judicio opus, ne decipiamur, aut perverſe judicemus: nam *Cholagoga* ex flavedine excrementorum, & *Melanagoga* ex nigredine eorum dicta ſunt, quamvis neque bilem flavam, neque atram ducant (22. & 51.). Neque ſemper conducit in morbis bilioſis alvus ut fluat, vel ducatur. *Mala eſt ex morbo regio ſatuitas. Hos voce privari, ſentientes tamen eſſe contingit: fortaſſis autem & alvus male his afficitur.* Hipp. a. 539. addit: *Velut contigit Hermippo, & mortuus eſt.* Hipp. a. 474. *Dyſenteria, ſi ab atra bile inceperit, lethalis eſt*, aph. 24. Sect. 4. Quandoque autem conducit bilioſis & atrabilariis bilem talem egerere (conf. T. LII. 47. & T. XVII. 44.). Decernendum itaque, ſi congeſta ſit bilis corrupta in primis viis, vel & veſica fellea & ductu choledocho, niſi educatur ſponte, vel medicamento, in diram dyſenteriam, & alia mala incidet æger: ſed in hepaticis per purgantia irritantur crabrones: neque juvat ſpontanea bilioſa dejectio ſemper; ſæpe enim exeſis vaſis, & colliquato hepate, talia prodeunt. Atque atra bilis turgens & corrupta, per alvum depoſita, ſæpe incurabilem alvi fluxum produxit.

6 *A colliquatione chronica.* XCV. Si naturalis potentia cohærendi inter particulas noſtrorum humorum minuatur vel exſtinguatur, illi humores, qui antea erant craſſi & cohærentes, fiunt ita tenues & tam parum cohærentes, ut per minima oſcula effluant. Talis ſtatus a Medicis vocatur *Colliquatio*, quæ, cognitionis & curationis ergo, in *chronicam*, & *acutam*, poteſt diſtingui. Si minori corporis motu ingeſta minus compacta & elaborata non acquirunt in nobis eam naturalem cohæſionem, cruda manent, & dein tenuia atque liquefacta (T. XXXIX. 7. N. 2.): & ab eadem cauſa boni humores ſenſim quoque liqueſcunt. Ex utriſque his tandem *acrimonia frigida* (T. XLV. 60.), & *acida* (T. XXXVIII. 50.): quæ, ſi uſque in ſuccum nervoſum fertur, morbos *catarrhales* producit, & in his regionibus *ſcorbutum*.

Acida. XCVI. In *colliquatione acida* primarum viarum perſeverans alvi fluxus copiam cru-

crudorum arguit, & debilitatem viſcerum roborantibus, condientibus, aromaticis & calefacientibus compeſcendus. Alvi ductio ſemel duntaxat celebranda (T. XXXVIII.) 52.)

XCVII. Colliquatum iſtud acre, præprimis poſt perſpirationem prohibitam, in corpore retentum, ſuccoque nervoſo (T. XLV. 59.) receptum; ſi feratur ad alvum, cum torminibus, & ſine levamine, copioſiores quandoque egeſtiones concitat; cum naturalis huic materiæ eſt via per cutem exhalare, vel cum urina emitti. Purgantia levamen aliquando videntur adferre, ſed deinceps majori malo implicantur ægri, a præcedenti alvi ductione debilitati. *Catarrhali.*

XCVIII. Scorbutus frigidus ſi alvi fluxum concitat, ſemper magis debilitat, & purgantia ſcorbuticis non medentur, quoniam debilitant, non vero corrigunt, aut expellunt acre ſcorbuticum; quod ſpecificis ſuis erat emendandum, & auctis corporis viribus ſubigendum & expellendum. *Scorbutica.*

XCIX. In fine morborum acutorum, ſi humores convertuntur in putrilaginem (T. XXXVII. 7.), quæ cognoſcitur ſignis traditis (T. XXXVII. 10. & 11.), alvus ſæpe copioſe deponit excrementa fœtentia (53.), ſplendentia, meraca, poſt quam evacuationem plerumque moriuntur. In tali humorum ſtatu ſi detur purgans, non erit in Medici poteſtate eam ſiſtere hypercatharſin. *7. Colliquatio putrida*

C. Non multum differt a præcedenti *fluxus*, *hepaticus* dictus, qui poſt corruptum hepar oritur, quando hepatis parenchyma colliquefactum cum bile corrupta ducitur per ductum choledochum in duodenum: qui malignum hunc humorem, inſtar loturæ carnis corruptæ, conantur purgantibus evacuare, mortem invocant. *Fluxus hepaticus.*

CI. In ſuppuratis modicam habere alvi egeſtionem, ſalutare; liquida vero alvus vel pus egerens, niſi ex abſceſſu vel ulcere primarum viarum, ægrum interimit. *Suppuratis pulmonem per alvum pus ſecedere, lethale eſt.* Hipp. a. 564. conf. Hipp. b. 12. & 15. Talis enim alvi fluxus detrahit vires, indicat puris colliquationem, & facit evacuationem, quæ puri non conducit; hoc enim commodius vel ex ipſo ulcere, & abſceſſu, vel per urinam aut ſputum, emittitur. Ex his ſatis conſtat, minime tutum eſſe parotidibus vel empyemate laborantibus propinare purgans; neque iſtis, qui pus exſpuunt, ſtatim enim ſupprimetur ſputum. *8. In pure.*

CII. *A tabe occupato alvi profluvium accedens, lethale eſt.* aph. 14. Sect. 5. *Quibuſcumque tabe laborantibus capilli de capite fluxerint, hi alvi profluvio accedente moriuntur.* aph. 12. Sect. 5. Quoniam talis alvi fluxus denotat colliquationem, & ſummam debilitatem in villis motricibus. Colliquefacta ea materia ſi purgantibus derivetur ad inteſtina; non erit amplius in Medici poteſtate, talem ſiſtere alvi fluxum. *9. In tabe.*

CIII. Altera pars horum morborum, in quibus alvi fluxus eſt obſervandus, ad evacuationes, tam naturales, quam morboſas & artificiales, reduci poteſt. Quia vero per alvum ſolummodo evacuantur naturaliter ea, quæ ab alimentis indigeſtis relinquuntur, & craſſa recrementa humorum eo confluentium; ſi igitur alvi fluxus fiat, vel purgantibus ſollicitetur, id, vel ex tota deſumitur maſſa, vel de aliis evacuationibus detrahitur. Ut ſciamus, num permittendus & excitandus ſit alvi fluxus, vel cohibendus, hæ regulæ ſunt obſervandæ: 1. num alia evacuatio ſit minor aut ſuppreſſa; 2. num copioſior ſit & ita maneat, aut minuatur. *In morbis evacuationum.*

CIV. De ſanguinis fluxu actum eſt (T. XXXII.), ſi ex naribus ſit copioſior, ſed ſuppreſſa per venæ ſectionem, niſi purgetur æger, recidivare ſolet. *In ſanguinis eruptionibus viſcoſa egeſtio nigris variegata, maligna eſt, maxime autem valde albidis.* Hipp. a. 586. & Hipp. a. 482. *Affectiones, quæ quinta die ſanguinem large fundunt, ſexta inſuper riguerunt, ſeptima perfrigeratæ fuerunt, & repente recalefactæ, in his alvi male afficiuntur.* Hipp. a. 552. *Si a quarta die ſanguinis fluxus fiat, diuturnitatem ſignificat, & alvus erumpit undecunque, his in refe-* *Sanguinis.*

ctionibus alvi humectantur. aph. 27. Sect. 4. & Hipp. a. 534. & 553. Ex his & multis aliis obſervationibus colligere poſſumus, alvi ductionem, minuendo impetum, ſiſtere hæmorrhagiam; alvi vero fluxum in hæmorrhagiis ex acrimonia vel colliquatione nocere; alvum laxari in acutis, ſi præcedenti hæmorrhagia corpus fuit refrigeratum.

In hæmoptoicis non conducit alvum ducere.

In hæmorrhoidibus alvum laxantia adhibenda, cavendum vero ab aloeticis.

In menſibus, rite fluentibus, curſus non eſt turbandus purgantibus: in iis autem ſuppreſſis ſæpe valet purgans (T. XXXIV. 25.)

Ita quoque in lochiis; ſed in iis ſuppreſſis minus valent purgantia. Diarrhœæ infeſtæ ſunt puerperis, febre maligna correptis; quamvis nonnulli ſtatuant, hac via evacuari ſanguinem.

Urinæ. CV. Urina ſi non procedat, maxime cum multa cruditate in primis viis, facilius ducitur purgantibus quam diureticis. An vero diabetes curanda ſit purgantibus, non caret dubio. *Mictio noctu multa contingens, modicam alvi egeſtionem ſignificat*. aph. 83. Sect. 4.

Sudoris. CVI. Alvi fluxus cum ſudore ſemper malus. Alvi fluxus & purgans ſudorem & inſenſibilem perſpirationem minuunt. Cavendum a purgantibus in recte perſpirantibus, aut ſi criſis fiat per ſudorem: malam enim faciunt metaſtaſin.

Salivationis & ſputi. CVII. Ptyaliſmus purgantibus & alvi fluxu ſiſtitur: ſed malignus eo delatus humor, & medicamenti ſalivantis virtus non raro multa tormina excitat. *Sputum* etiam ſupprimitur iiſdem, ſed ſemper cum ægri damno (conf. 102.)

In morbis ſolidorum. CVIII. Altera pars diviſionis (LXXXVII. N. 2.) complectitur morbos firmarum partium: qui ſunt 1. generales. 2. ſpeciales ſeu organici.

Generalibus. CIX. Quia morbi hi in prima hujus parte traduntur, noſtrum ordinem utcunque in alvi fluxu & ductione perſequemur. Occurrunt primo morbi, qui referuntur ad nexum partium firmarum.

In nexu vario. CX. In *Vulneribus* raro alvus eſt ducenda, quia ſubſequente hæmorrhagia plerumque nimis eductum eſt: in *Contuſione* vero & *Combuſtione* ad minuendum impetum conducit alvum ducere antiphlogiſticis. *Rigida* ſolida laxantur alvi ductione & fluxu. In *Debilitata* cohæſione, *Laxitate* & *Inertia*, neque alvi fluxus aut ductio juvat. Sed in *Elaſticitate* & *Contractione* proſunt. *Sicca* ſolida humectantur his, & *Humida* fiunt uliginoſa.

In motu majore. CXI. *Acceleratus motus* & *major* temperatur alvi egeſtione; nam morbi capitis a *ſanguinis impetu verſus cerebrum* nati, ſuperveniente alvi fluxu ſolvuntur, & purgans refrigerans multa bona præſtat (conf. T. XXIII. 5. & T. XLVI. 15.), & temperatur iiſdem *calor* (T. XLIX. 19.).

Acutorum. CXII. Præter excrementa varia recenſita (19. ad 70.), quæ bonum & malum portendunt in *acutis*, ſunt ſequentia.

1. Lienteria in acutis, mala.

2. Alvi copioſior dejectio poſt anxietatem & rigorem, bonum, ſi levamen adfert.

3. Febres ardentes in ſenibus judicantur alvi fluxu.

4. *Dyſenteriæ ſi quidem cum febre invaſerint, aut variis alvi egeſtionibus, aut cum hepatis inflammatione, aut præcordii, aut ventris: aut quæ doloroſæ fuerint, aut cibos intercipiunt, ſitimque inducunt: hæ omnes malæ ſunt*. Hipp. a. 509.

5. *Alvi egeſtio pura ſuperveniens, ſolvit febrem acutam cum ſudore*. Hipp. a. 589.

6. *Quibus ardor fit, & ad egreſſas egeſtiones alvi, inſuper exſudant, his febris exacerbatur. Ex alvis liquidis perfrigeratio cum ſudore, mala*. Hipp. a. 589.

7. Qui præcipiunt, dandum non eſſe in acutis purgans ante ſeptimum diem, vel intelligunt purgans forte, vel contrariantur experientiæ. At diarrhœa, in principio ardentium orta, compeſcenda eſt.

8. In acutis, putridis & malignis alvi fluxus valde malus cenſendus.

9. In morbis autem acutis pectoris, uti pleuritide, peripneumonia, alvi fluxus

&

& purgans nocet; nunquam enim bona a pectore ad alvum metaſtaſis (T. XVII. 32. N. 4.): niſi pectus doleat ob conſenſum (T. XVII. 38.)

CXIII. Motus minor, quum ex variis naſcatur cauſis (T. XXI. 2. & T. L. 3.), quandoque alvi fluxu curatur & purgantibus, quandoque major fit debilitas. Qui ex humorum fit abundantia, tollitur & alvi fluxu, & purgantibus. modo ſimul non exhauriuntur vires. Sed motus minor ex defectu humorum, aut ſpirituum, vel ex laxitate & inertia ſolidorum ab alvi fluxu augentur: purgans vero quandoque ſtimulo ſuo & reſolvente virtute levamen in his adfert, præprimis ſi ſit inviſcatus humor. *In motu minore.*

CXIV. In motu inordinato duos complectar morbos. 1. qui ad *convulſionem* referri poſſunt; 2. qui ad *febres*. *In motu inordinato.*

CXV. Si *Convulſio* fiat ex conſenſu (T. XXX. 10.), alvi modica evacuatio levamen adfert, imo prævenit convulſionem. *Quibus in dentitione alvus amplius ſubducit, minus convelluntur, quam quibus parum.* Hipp. a. 590. Sydenham autem obſervavit quandam ſpeciem choleræ infantibus dentientibus funeſtam, quæ quoque purgantibus exaſperatur. Talis alvi fluxus in dentientibus facile ſedatur hypnotico. Viſcerum obſtructione laborantes a purgante dato quandoque convelluntur. Convulſio a cerebri oppreſſione alvi fluxu & purgante ſolvitur. Hyſtericorum & hypochondriacorum, & eorum, qui mobilitate laborant, convulſiones exaſperantur purgantibus, & ab exhibito purgante in convulſiones facile incidunt: ſed alvus laxa ſervanda reſinoſis & gummi aromatico cum ſale polychreſto. Singultus ab acrimonia in inteſtinis compeſcitur purgante anodyno. *Convulſione.*

CXVI. Quoniam varia ſunt febrium genera, ut continua, remittens, intermittens, & ſymptomatica, & ex prævalenti ſymptomate vocata, determinari nequit, num alvi fluxus & ductio conducat vel noceat (conf. T. LII. 40.). *In febre.*

CXVII. Speciales morbi organorum (CVIII. N. 2.) diſtingui poſſunt in has quatuor claſſes: 1. capitis, 2. pectoris, 3. ventris, 4. cutis & extremorum. *In morbis organicis.*

CXVIII. Omnes *morbi capitis* maxime conſentiunt alvo (T. XVII. 30.), & purgantia in iis multum valent: quare in cerebri quavis compreſſione (T. XXIV. 3), apoplexia, comate, caro, lethargo, cephalalgia, concuſſione cranii, humore acri hærente in cranio (T. XXX. 6.), impetu majore ad caput (T. XXXII. 7. & T. XLVI. 13.), ratione divulſionis (T. XLVI. 18.), ſalutare, ſi alvi fluxus fiat, aut exhibeatur purgans. *Oculorum* Inflammatio & lippitudo optime compeſcitur alvi ductione. *Oris* autem morbis minus præſtant; *aphthis* enim laborantibus, neque alvi fluxus, neque ductio, conducit, niſi in fine; ut cruſta ſeparata educatur, & tunc modica debet eſſe alvi egeſtio. *Faciei* morbi alvi ductione minuuntur; in *Eryſipelate* vero *faciei* bulluloſo & herpete infantum non ſum auſus purgans propinare, quamvis nonnulli præcipiant. *Capitis.*

CXIX. Dyſpnœa, aſthmate, pleuritide, tuſſi aut pectoris dolore laborantibus non conveniunt purgantia aut alvi fluxus (T. XVII. 31. N. 4.). Si autem iſti morbi fiant ex cacochylia, vel hepatitide, multum juvant, quod ex adjunctis ſignis eſt judicandum. In *anginoſis*, & broncocele (T. XXXV. 26.), cum fructu exhibentur purgantia. *Pectoris.*

CXX. Ventris morbi, quia referri poſſunt ad tria organa affecta, & in iis iterum morbi varii, & quia prope adjacent ea viſcera huic evacuationi, accuratiore & longiore indagine ſunt morbi eorum proponendi: ex his autem præcipuos delibabimus. *Ventris.*

CXXI. *Alvi fluxus* varius, quandoque purgans requirit, quandoque reſpuit. *Diarrhœa* (10.) generalis intelligitur ex dictis (83. ad 119.): vetat omnia acriora purgantia; & ſi purgante opus, eligenda, quæ poſt operationem adſtringunt. Laudantur Roſæ pallidæ, Tamarindus, Myrobalani, Agaricus; ſed palmam præripiunt Rhabarbarum parum toſtum in ſubſtantia, Mechoacanna, & Hypecacoanha. *Diarrhœa.*

CXXII. *Lienteria* & *Cœliaca paſſio* (14.) an permittenda, an vero purgante eget, *Lienteria.*

eget, ex dictis (28. ad 40.) intelligi potest.

Cholera. CXXIII. *Cholera* etiam (15.) ex alvi fluxu bilioso (49. ad 51.) peti potest.

Dysenteria. CXXIV. *Dysenteria* autem (12. & 16.) ob adjunctum dolorem ventris, & multa alia mala, sæpe specialem curationem exigit, atque non semper idem genus causarum dysenteriam excitat; quare, quæ methodus ab uno summopere laudatur, damnatur ab altero: ut igitur has tricas removeamus, quædam genera proponenda.

Ab acri podagrico. CXXV. *Sanant Podagricos optime dysenteriæ si successerint: sed & aliæ eliquationes valde prosunt, quæ ad infernos locos repunt.* Hipp. a. 498. Si vero simul debilitetur æger scito malam fuisse factam metastasin, præprimis si simul fiunt anxii. Tentarunt quoque multi purgantibus materiem podagricam per alvum exturbare; sæpe inducias præbent, sed tandem paroxysmus corpus debilitatum aggrediens, non raro rapit hominem. Quæ dysenteria auxilium adfert, non eget curatione; sed si ex mala fiat metastasi, ad cutem & extrema revellendus est impetus.

A lympha acri. CXXVI. *Lienosis Dysenteria superveniens, bonum.* aph. 48. Sect. 6. *Qui Lienosi a Dysenteria corripiuntur, his longa superveniente Dysenteria, hydrops supervenit, aut intestinorum lævitas, & pereunt.* aph. 43. Sect. 6. Si enim hac via evacuetur lympha acris, exstincta scaturigine, bonum; sed si maneat continua colluvies, post exhaustas fere omnes vires, vel intumescit æger hydrope, vel hectica consumitur. Talis alvi fluxus frustra tentatur rhabarbaro & opio, sed Roborantibus & Antisepticis sensim compescendus alvi fluxus.

Ab atra bile. CXXVII. *Dysenteria si ab atra bile inceperit, lethale.* aph. 24. Sect. 4. Cum exesa vasa, & atram bilem corruptam, Medicus sanare nequit, neque magna dosi opii vel diascordii temperare; si vero detur purgans, eo citius perit æger.

A flatibus. CXXVIII. Dysenteria sicca (16. & 64.) a purgantibus intenditur, sed potu multo seri lactis & ejus injectione, ut auferatur irritans, dein compescito motu hypnoticis, & derivatione per Diaphoretica, diu continuata, sanatur.

A materia febrili. CXXIX. *Febris continua & intermittens*, symptomatice ad alvum deponens materiem (116.) cum dolore, non caret periculo. *Dysenteriæ, si quidem cum febre invaserint, malæ sunt.* Hipp. a. 509. Nam de emunctoriis naturalibus pro crisi febrium derivat alvi fluxus materiem; siccatur etenim cutis, & urina parce procedit: neque bona crisis, quæ fertur ad interiora, aut quæ fit cùm multa molestia, uti in Dysenteria, censetur. Multi ex febre dysenterica moriuntur, cum maxima est in curatione difficultas: nam si cohibeatur adstringentibus, summa anxietas; si expellatur rhabarbaro, vel hypecacoanha, vel alio purgante, febrilis materia eo versus delata, plura tormina inducit; neque materia eo febrem excitans eliminatur, sed quæ corrupta fuit a præcedente febre: quamvis miteſcere videatur dato hypnotico, post purgantis operationes, infideles sunt induciæ, nam cum febris exacerbatione recrudescunt tormina & dejectiones: quare post semel exoneratam alvum, ne contineatur colluvies in intestinis, omni ope nitendum, ut curetur ipsa febris, & ut materia per febrem nata derivetur ad cutem.

Ex cacochylia. CXXX. Quæ autem dysenteria ex malo succo, vel in intestinis hærente, vel eo delato ex adjacentibus vasis, concitatur, repetitam alvi ductionem exigit, quod purgans magis resolvens, quam postea adstringens esse debet.

Ex ulcere. CXXXI. Tandem intestinorum sæpe generatur ulcus, cujus irritamento sollicitatur alvus ad frequentem dejectionem; in quo casu Practici experti sunt, fumum terebinthinæ multum præstare; sed tormina augeri ex purgantium usu. Præstantissimum erit injecto clysmate parva copia, & indito suppositorio parvo, si ulcus sit in intestino recto, consolidare ulcus.

In ventris dolore. CXXXII. *Colica & Iliaca passio*, etiamsi ex dolore locum ventris, ubi vel hæret intestinum Colon vel Ilium, occupante traxit nomen, usus tamen obtinuit ex aliis adjunctis symptomatibus hos duos distinguere morbos.

Colico. CXXXIII. Hodie enim omnes dolores, loca ventris occupantes, ubi hærent crassa intestina, ad colicam passionem referuntur; quare cardialgia, uteri, renum,

num, veſicæ, hepatis & lienis dolores, non raro ad colicum dolorem referuntur; qui quoad curationem ſunt diſtinguendi. Inteſtina autem tenuia & craſſa & meſenterium a multis cauſis dolere poſſunt (vid. T. XVII.). Harum præcipuas delibabimus, ut conſtet, num alvi fluxus & purgans conducat vel non.

CXXXIV. Dolent inteſtina ab omni acri vel duro in cavitate eorum hærente, qui dolor non compeſcitur, quamdiu talia ibi permanent: quare hujuſmodi dolores alvi ductione, clyſmatibus diluentibus, vel, ſi ſit acidum rodens, carminantibus & aromaticis compeſcuntur; & alvi fluxu cacochyliam evacuante liberantur. *Ab acrimonia in inteſtinis.*

CXXXV. Ventris autem dolores ex *Conſenſu*, quemadmodum in dolore nephritico, commotione menſtruantium & parturientium, in paſſione hyſterica & mobilitate ſolidorum, exaſperantur purgantibus, neque levantur ſpontaneo alvi fluxu; hinc forſan invenere Practici, miteſcere colicam paſſionem, tinctura Succini, Zedoaria, balſamo Peruviano. & anodynis (conf. T. XXVI.). *Ex conſenſu.*

CXXXVI. *Meſenterii Nervi*, qui ibidem multos faciunt plexus, ſi vel Inflammatione, vel Eryſipelate, vel Rheumatiſmo afficiuntur, atrociſſimos dolores inferunt, non raro convulſiones & paralyſin producentes, qualis tunc vocatur *Colica Pictonum*. Si inſuper quædam fibræ ventris vehementer tenduntur, *Chordapſus* vocatur, quaſi chorda per ventrem eſſet tenſa: fruſtra moliuntur abigere talem dolorem purgantibus; ea enim exhibita *volvulum* concitant: ſed fomentis laxantibus ad ventrem, clyſmatibus emollientibus ſine ſtimulo, imo inſtituta venæ ſectione quandoque curatur. *Ex affectione nervorum meſenterii.*

CXXXVII. Qui *Colicus dolor fixus* eſt in ventre cum calore, ſiccitate, pulſu duro & ſiti intenſa, ab *Inflammatione* vel *Eryſipelate inteſtinorum* oriri timor eſt, a nonnullis tamen vocatur *Colica convulſiva*. Cuncta in colico laudata medicamenta & alvum ducentia reſpuit, ſed communi methodo, in inflammatione tradita (T. XLVII.), curatur. *Inteſtinorum Inflammatio & eryſipelas.*

CXXXVIII. *Paſſio iliaca*, *volvulus* & *miſerere mei*, nominata, ab iiſdem oritur cauſis, ſed majoribus & gravioribus, nam dolor ſtatuitur vehementior, cui ſupervenit vomitus vehemens, ipſa inteſtinorum contenta ejiciens; imo, ut nonnulli referunt, clyſmata & ſuppoſitoria indita ano. Accuſant plerumque inteſtinorum *Nodum*, vel *Ingreſſum* unius partis inteſtini in aliam: quapropter non dubitant propinare globulum plumbeum, vel aliquot uncias argenti vivi, quod extricaret inteſtinum. *Iliaca.*

CXXXIX. At Inflammatio aut inteſtinorum compreſſio, ut in prolapſa hernia, vel infarctio ab excrementis duris, totum tractum inteſtinalem in motum inverſum concitat, *Iliaca Notha* dicta, quæ præcedentia omnia reſpuit. *Notha.*

CXL. Si febris materia maligna ad inteſtina delata, cum dolore ventris concitat contentorum omnium dejectionem per os, diriſſimus eſt morbus, ex quo pauci evadunt; & quo magis diſpergitur per alias partes, eo pejor. *Ex volvulo vomitus, aut ſingultus, aut convulſio, aut delirium, malum.* aph. 10. Sect. 7. *Volvuloſis vomitus & ſurditas, malum.* Hipp. a. 568. *Ex volvulis graveolentibus in febre acuta, præcordiis ſublimibus diutius permanentibus, abſceſſus circa aures oborti occidunt.* Hipp. a. 485. (conf. Hipp. a. 254. &c.) Optime compeſcitur ſale alcalino cum ſucco citri in ſalem neutrum converſo, cibo pauco, potu antiphlogiſtico, & fomentationibus ventris: purgantia vero convertuntur in vomitoria, & crabrones irritant. *Vera.*

CXLI. Neque minor eſt *morborum ventriculi* proventus, qui purgantia indicat & vetat, quam ex inteſtinis: cardialgia enim ſola & præcordiorum anxietas (T. LII. 58. ad 60.), ex multis cauſis nata, hoc ſatis declarat. Affici quoque poteſt viſciditate, cruditate, appetitu vario, & denique a morbis in lateribus ventriculi & partibus adjacentibus, in quibus omnibus cum judicio purgans eſt præſcribendum. *In morbis ventriculi.*

CXLII. Quoniam ex *Liene*, *Omento*, & præprimis *Hepate*, facilis eſt via maligno *Hepatis & lienis.*

lignorum humorum verſus inteſtina, eorum organorum morbi non raro alvi fluxu & purgantibus curantur.

Urinæ organa. CXLIII. Alterum vero in ventre regnum, *urinæ* confectioni & evacuationi dicatum, minus exigit purgantia, quia inde via minus eſt patens: interim tamen alvus laxa, & blanda alvi ductio, opitulantur nephriticis.

Generationis organa. CXLIV. Neque plus præſtant, tam in viris, quam feminis, ſi *organa generationis* morbo obſeſſa ſunt; plus ſæpe damni, quam emolumenti utero laborantibus adferunt purgantia.

Extremorum & cutis. CXLV. *Cutis morbi*, uti puſtulæ, ſcabies, pruritus; variolæ, morbilli, non raro tentantur purgantibus; niſi autem ſcaturigo horum ſit in primis viis, ſemper noxia ſunt, quia perverſam faciunt metaſtaſin, cujus materiam poſtea multo molimine ad cutem reducimus. Quod quoque verum eſt in morbis articulorum & extremarum partium.

Mentis morbi. CXLVI. Morbos, qui ad *Mentem* referuntur (LXXXVII. N. 3.), hoc loco referam ad duo genera. 1. Continebit morbos mentem alienatam indicantes. 2. Qui referuntur ad ſenſum.

Delirium. CXLVII. Quæcunque *Inſania* concitatur, vel ab inflammatione meningum, motuque aucto ad caput, vel & metaſtaſi humorum mala ad cerebrum, huic alvi fluxus ſuperveniens bonum; inter cerebrum enim & alvum maximus eſt conſenſus (T. XVII. 30.). *Ab inſania dyſenteria, bonum.* aph. 5. Sect. 7. Modo tali evacuatione revocetur impetus a capite; quod cognoſcimus ex dictis (T. XLVI. 13.), aut detrahatur morboſus humor: nam in *in Phreniticis alba alvi egeſtio, malum.* Hipp. a. 472. In debilitatorum autem inſipientia (T. XXIII. 23. & T. LII. 62. N. 2.,) neque conducit alvi fluxus, neque purgans.

Sopor & ſurditas. CXLVIII. Quemadmodum dictum in delirio, ita etiam in *ſopore, ſtupore, ſurditate*, & ſimilibus ſentiendum ex ſuperveniente alvi fluxu. *Nihil plus adverſus ſurditatem quam bilioſa alvus poteſt.* Celſ. 70. & Hipp. a. 587. *Quibus in febribus aures obſurduerunt, his ſanguis e naribus effuſus, aut alvus exturbata, morbum ſolvit.* aph. 60. Sect. 4. & Hipp. a 540. & 446. *Ex ſurditate ac torpore, de naribus aliquid deſtillare, difficultatis aliquid habet: vomitus his conveniet & alvi turbatio.* Hipp. a. 484. 446. 553. Sed non omnem alvi evacuationem bonam eſſe, ex ſequentibus conſtare poterit. *Soporoſis torpefactis liquida egeſtio peſſima.* Hipp. a. 586. *Poſt modicam ſanguinis eruptionem & nigrorum egeſtionem, in acutis ſurditas, malum. Sanguinis egeſtio in his pernicioſa, verum ſurditatem ſolvit.* Hipp. a. 482. & 552. *Quibus ſopor fit ſpumoſis prodeuntibus, his febris exacerbatur acuta.* Hipp. a. 478. *Malum alvi profluvium valde rubicundum.* Hipp. a. 537. *Suppuratis ſurditas oborta cruentam egeſtionem ſignificat: his ad finem nigra prodeunt.* Hipp. aph. 563.

Aballatis cauſis externis. CXLIX. Tandem (LXXXIX. N. 4.) a rebus externis applicatis vel ingeſtis ſi concitetur alvi fluxus, non ſemper idem præſagium præbet. Ex multis pauca eligam: 1. contagium, 2 medicamenta.

Contagium. CL. In *morbis contagioſis*, qui *volatilem* habent materiem per aerem diſperſam, uti in peſte, multiſque morbis epidemicis & endemicis, quoniam ad putredinem (T. XXXVII.) accedunt, raro cum levamine alvus fluit: atque in his purgantia nocere notavit *Sennertus* Tom. 1. 702. Materia enim volatilis recepta melius per diaphoreſin expellitur. Sed virus per attactum coinquinans, ut eſt materia luis Venereæ, melius per alvi ductionem evacuatur.

Medicamenta. CLI. Medicamenta alvum ducentia, vel ſunt *attenuantia* ſeu *reſolventia* generalia, vel *alvum ducentia*, ad quæ quoque referri poſſunt *vomitoria*, quia non raro alvum quoque laxant.

Superpurgatio. CLII. Quatenus medicamenta *alvum ducentia* proſint & noceant, in ſuperius dictis diſputatum eſt; ſed monere reſtat, eadem hæc quandoque producere *Hypercatharſin*, quæ non raro Medici prudentioris auxilio eget. Nam purgantium doſis mediocris quandoque hypercatharſin inducit in phthiſicis, viſceribus corruptis,

ptis, diarrhæa, cholera, atra bile turgente, aut putridis humoribus laborantibus: imo mobilitate laborantes ex minima dosi in superpurgationem quandoque incidunt cum multis torminibus. Sed vel fortiora purgantia aut majori dosi propinata, periculosissimam producunt hypercatharsin. *Convulsio ex helleboro, lethale.* aph. 1. Sect. 5. *Hypercatharsi convulsio aut singultus superveniens, malum.* aph. 4. Sect. 5. *Si senioribus nimium purgatis singultus superveniat, non bonum.* aph. 4. Sect. 7. *A purgantis potione convulsio, lethale.* aph. 25. Sect. 7.

Curatio.

CLIII. Si autem ex inscitia vel imprudentia, vel errore, per datum purgans excitata fuit *Hypercatharsis*, istud 1. multa potione diluente est eluendum; 2. infringenda vis purgantium acidis ingestis; 3. denique concitatus tumultus opio, aromaticis, & roborantibus est sedandus. Si vero indicatur purgans in iis, in quibus ex mediocri dosi fieri solet hypercatharsis, purgantibus anodynum aliquod est admiscendum.

Curatio generalis.

CLIV. In *alvi fluxu generali* restat descriptio curationis (III. N. 6.), quæ variis auxiliis obtinetur, prout causæ alvi fluxus variant, uti ex superius dictis constat. Ut autem specialior & accuratior habeatur auxiliorum cognitio, præcipua horum percurremus.

Per purgans

CLV. Omnis alvi fluxus, ex cacochylia vel humore acri in intestinis hærente, *purgans* exigit, ut expellatur; cavendum ne nimis forte sit, & ut postea roboret (121.); vel si visciditate intricatum hæret acre cassia, tamarindus, syrupus cichorei cum rheo, sal polychrestus, & similia resolventia plus valent: imo aloe & alia fortiora purgantia resolventia compescunt Lienteriam (31.). Noxia vero sunt phthisicis, choleræ, alvi fluxui ex dentitione, & febri continuæ, aut putredini.

Per resolventia.

CLVI. Si alvi fluxus copiosior fiat obstructis osculis lacteorum, resolventibus viscidum, seu aperientibus oscula, compescetur alvi fluxus.

Per stimulantia & roborantia.

CLVII. Quoniam ad absorbendum ex intestinis non solum requiritur præsentia liquorum, & oscula patentia, verum etiam motus & potentia in villis intestinorum, ut propellatur ingressus liquor ex absorbentibus in eorum vasculorum trunculos, medicamenta stimulantia, calefacientia, moventia, aromatica, cum quadam adstrictione seu roboratione fibrarum, in laxis & flaccidis atque debilibus, optime compescunt fluentem alvum: inde cinamomum, moschata nux, cassia lignea, galanga minor, cortex Winteranus, zedoaria, zingiber, & alia aromatica stomachica laudantur; quæ tam interne quam externe adhibentur ad stomachi & intestinorum regionem. Hinc forsan cascarillæ cortex laudem obtinuit in dysenteria. Eadem autem intendere alvi fluxum, ex febre putrida, materia erysipelatosa natum, neminem latet.

Per diluentia.

CLVIII. Si acre hæret in intestinis crassioribus, continuo sollicitans alvum ad egestionem, optime sistitur, injecto clysmate singulis horis, ex *Diluentibus* & *Emollientibus* ad uncias quinque vel sex. Si autem causa altius hæreat in tenuibus, potione tenui, ex hydrogalacte, sero lactis, vel ptisana copiosiore eluendum est acre: si tunc nequidem cessat, ab exhibito narcotico roborante brevi compescetur.

Per adstringentia & absorbentia.

CLIX. Multi summam efficaciam adscribunt adstringentibus & absorbentibus in compescenda alvi egestione, quasi his clauderetur intestinorum tractus; raro autem effectum sortiuntur. Etiamsi alvum constipant, nihil boni præstant; retinetur enim morbi materia, quæ longiore mora acrior facta, vehementiorem alvi fluxum, post multa tormina & anxietates toleratas, excitat.

Per emollientia.

CLX. Emollientia autem, lubricantia, mucilaginosa, blanda, & demulcentia, non retinent materiem, verum obvolvendo acre irritans, & lubricando, & tegendo nuda intestinorum latera, minuunt intestinorum irritamenta.

Per motum minuentia.

CLXI. Nonnulli summum auxilium quærunt in anodynis, hypnoticis, narcoticis, quasi convenirent omni alvi profluvio. Si vero eorum inspicitur operatio, aperte constat, Laudanum liquidum vel cydoniatum, vel opiatum, minuendo

mo-

motum & ſenſum villorum inteſtinorum, compeſcere alvum: hinc multi decepti, non dubitarunt in alvi fluxu, ex laxitate & obſtructis oſculis, dare narcotica, quando alvi egeſtio his non obtemperat: verum ſi poſt eductum acre propinetur opium, extemplo alvum ſiſtit. Theriaca vero, Diaſcordium, Mithridatium, & ſimilia opiata, non ſolum ex adjuncto opio ſed etiam ex admiſtis calefacientibus, alvum compeſcunt: quare horum uſus patet (157.).

Per derivantia. CLXII. Qui alvi fluxus oritur ex colluvie morboſorum humorum verſus inteſtina, vix compeſci poteſt ſine derivatione, præprimis verſus cutem, unde ſudorifera, diaphoretica, veſicantia, corporis exercitatio, equitatio, tot bona effecta præbuere in alvo perpetuo liquida. Si autem adſint ſigna inflammationis, aut motus majoris, conducit ſanguinis miſſione temperare motum.

Alvus adſtricta. CLXIII. Altera pars diviſionis generalis (II. N. 2.) complectitur parciorem & omnino *ſuppreſſam alvi egeſtionem*, ad quam quoque referri debet *Teneſmus*.

Cauſæ. CLXIV. A variis cauſis vel omnino ſiſtuntur, vel rarius deponuntur excrementa. 1. Si deficiat materia, uti in longo jejunio: aliquid tamen deponitur ex recrementis confluentium humorum. Talis ſuppreſſio non eget eductione.

1. Defectu materiæ.

2. Majori abſorptione. CLXV. In morbis calidis inflammatoriis, febribus acutis, variolis, diu quandoque non deponitur alvus, &, quæ tunc egeruntur, dura & compacta ſunt (57.). Alvus tunc eſt laxanda diluentibus, reſolventibus, & emollientibus; niſi fiat ob morbi criſin ad cutem, quemadmodum in variolis, quando melius eſt laborare alvo adſtricta, quam derivare materiem a cute ad inteſtina.

3. Deficiente motu. CLXVI. In laxis & debilibus corporibus, hydropicis, leucophlegmaticis, frigidis, quum tales homines copioſiora debebant evacuare excrementa, alvus tamen diu ſæpe ſupprimitur, quia motus vermicularis inteſtinorum languidior minus valet propellere contenta: per validiora ſtimulantia tunc exoneranda alvus ſemel aut bis, ut contenta & accumulata educantur; ne autem ſæpius agitati villi inteſtinorum langueant deinceps, aliquoties non eſt repetendum forte purgans, niſi ex reliquo corpore per hanc viam volumus evacuare humores, uti in hydropicis & apoplexia pituitoſa: nam ſenſim his ita aſſueſcet alvus, ut poſtea nunquam ſine auxilio purgantis fungatur officio. Quare roborantibus firmanda ſunt inteſtina, ut poſt eductionem factam poſtea valeant propellere proprio motu contenta.

4. Viſcidi copia. CLXVII. In tali motus inertia ſæpe turgent inteſtina multitudine viſcidi tenacioris, quod etiam ob tenaciorem adhæſionem ad inteſtinorum latera difficulter propellitur (T. XL. 16.): frequens eſt laxis, debilibus, otioſis, pueris. Si purgantibus phlegmagogis educta ſit pituita, proventus novæ pituitæ eſt præveniendus reſolventibus, gummoſis, reſinoſis, & poſtea roborantibus.

5. Muci defectu. CLXVIII. Quandoque tanta eſt humorum tenuitas in corpore, ut ex deficiente muco in inteſtinis, ordinario motu periſtaltico non propelli poſſint excrementa: quæ tunc ob duritiem, & laterum nuditatem, ad ſpaſmodicam conſtrictionem inſtigant inteſtina; quemadmodum in hyſtericis, hypochondriacis, mobilitate laborantibus, & convulſionibus obnoxiis. In his difficulter poſſumus in ordinem redigere alvi egeſtionem, quia a purgantibus maxime turbantur; a mucilaginoſis nullum ſentiunt levamen, & ex minima cauſa incidunt in colicum dolorem. Inveni in his, ſi cum multis ventris torminibus incidunt in alvum ſuppreſſam, me plus præſtitiſſe anodynis, nervinis, & reſinoſis, quam quibuſcunque purgantibus.

6. Compreſſione. CLXIX. Non raro a tumoribus externis ita comprimuntur inteſtina, ut alvus raro deponatur: quemadmodum in *gravidis*, *a compreſſione fœtus*. In *herniоſis*, ſi portio inteſtini quædam prolapſa ſit; quod quoque in vulneribus ventris contingere poteſt, ſi promineat pars inteſtini: in his vero, ſi inteſtinum ſit læſum, exeunt excrementa in cavum ventris, vel per aperturam factam, parum admodum per anum exit. In calculo, inflammatione, & tumore veſicæ. *Veſicæ duræ & dolentes penitus quidem horrendæ ac perniciоſæ ſunt, perniciоſiſſimæ vero, quæ cum febre continua fiunt. Etenim dolores ab ipſis veſicis ad occidendum ſufficiunt, & alvi*

non

non egerunt hoc tempore, niſi durum quiddam, & hoc coacte. Solvit autem urinæ purulenta mixta &c. Hipp. a. 464. Hoc quoque verum eſt de perinæi tumore. Curatio in ablatione prementis conſita eſt.

CLXX. Latera inteſtinorum quoniam conſtant fibris, vaſis & nervis (4. ad 18.) 1. a contractione ſpaſmodica; 2. inflammatione; 3. ſcirrho, aliiſque morbis ita poſſunt conſtringi, ut intercipiatur contentorum tranſitus. Imo ſi a cauſa externa, uti in hernioſis, diu compreſſum fuerit inteſtinum, eo in loco deinceps ſufficienter dilatari nequit, ſed ſupra locum anguſtatum quandoque ſaccum format, in quibus collecta excrementa, vel copia, vel acrimonia rodente, frequentem colicum dolorem inferunt cum alvo conſtipata, quæ vix ullis medicamentis auſcultat; & a purgantibus datis non raro in Iliacam paſſionem convertitur. 7. *Contractione inteſtinorum.*

CLXXI. Denique alvus conſtipatur ab excrementis durioribus & compactis (57.), in colo dilatato hærentibus, quæ facile clyſmate diluente, reſolvente, & lubricante, eluuntur: vel per purgantia laxativa dicta expelluntur. 8. *Obſtructione.*

CLXXII. Naturale eſt in hominibus, & admodum ſalubre, omni die modicam quantitatem excrementorum mollium deponere; ſi non deponantur juſto tempore & quantitate, ſenſim majori copia colliguntur in inteſtino colo, quod dilatant, inde dolores & compreſſio adjacentium; denique ſuſcepta corruptela, non ſolum prædicta augentur, verum etiam putrilago nata, vaſis abſorbentibus ex inteſtino colo recepta, totam maſſam inquinat, & morbos præprimis capitis vel auget, vel novos facit. *Effectus.*

CLXXIII. An *Teneſmus* (163.) ad alvum adſtrictam, dolentem, vel egerentem, referri debeat, ambigo; ſed quoniam de his omnibus aliquid habet, eum ultimo loco pertractare conſtitui. *Teneſmus autem eſt voluntas egerendi inevitabilis* (Hipp. b. 3.), in qua præter aliquid muci aut ſanguinolenti nihil memorabile excernitur. conf. Hipp. b. 177. *Teneſmus.*

CLXXIV. Ille conatus ſine materiæ egeſtione oritur a ſtimulo in ipſo inteſtino recto, vel adjacentibus partibus, huic inteſtino communicato. *Cauſæ.*

CLXXV. *Verus Teneſmus* cenſetur, ſi materia acris *Dyſenteriæ* hoc irritamentum facit, quando anus eluendus liquore molli. Si vero *mucus fuit abraſus*, ut inteſtinorum latera nuda ab omni attactu criſpentur; alvus eſt eluenda clyſmate molli mucilaginoſo, oleo, parva copia, & aliquid de unguento molli obvolvente indi debet. Qui teneſmus ex *ulcere inteſtini recti*, ſive poſt dyſenteriam, ſive hæmorrhoides, & ab ipſa fiſtula ani oritur, conſolidantia exigit. *Aſcarides* autem irritantes expellendæ, & earum proventus anthelminticis præveniendus. *Irritatio inteſtini recti.*

CLXXVI. *Stranguria* & *Calculo veſicæ* laborantes, frequentiſſime teneſmo afficiuntur; imo *Tumor proſtatarum* longum teneſmum induxit. *Veſicæ.*

CLXXVII. *Fœtus mortuus* in utero teneſmum inducere ſolet; & teneſmus gravidis periculoſus, quia minatur abortum. *Uteri.*

CLXXVIII. In *fine morborum acutorum & chronicorum*, quandoque circa mortem ægri incidunt in alvum exonerandi crebram cupiditatem, poſt quam plerumque brevi moriuntur. *In fine morborum.*

CLXXIX. Ex antecedentibus intelliguntur. *Corollaria.*

1. Purgantia an ſola morboſa educunt?
2. An danda ante coctionem in morbis, ſi materia non turgeat?
3. Cur ſudorifera & diuretica non æque vocantur purgantia, quam quæ alvum ducunt?
4. An ſoli humores extravaſati tenues purgante educi poſſunt, minime vero craſſi?
5. An Inflammationes internæ nunquam exigunt purgantia?
6. An frequenter corpus purgandum, ut purum maneat?
7. Quo tempore diei dandum purgans?
8. An ſtatim finita purgantis operatione corpus nutriendum, vel juſculum præbendum?

9. An dormiendum vel vigilandum poſt aſſumtum purgans?

10. Cur duo diverſi homines, eadem copia & genere alimentorum utentes, non egerunt eandem copiam excrementorum per alvum?

11. Cur flavedo excrementis ſanorum, ictericorum autem frequens albedo, & mala?

12. An purgantia ſolummodo agunt ſtimulando inteſtina?

13. Cur homines acrimonia acida laborantes plerumque ferunt majorem doſin purgantis?

14. An pus ex empyemate feratur per diaphragma, & inteſtinum colon corroſum, ut reddatur per alvum?

15. Cur oleoſa in dyſentericis ſæpe ſiſtunt alvi fluxum?

16. An cremor tartari non ingreditur vaſa lactea.

17. An dentur purgantia electiva, & qua virtute id præſtent?

18. An attrahendo, irritando, vel incognita vi, operantur purgantia?

19. Qua virtute liquor ex cavo inteſtinorum ingreditur oſcula lacteorum? & cur non in cadaveribus?

20. An fructus horæi acido-dulces, in putredinem alcalinam degenerantes, choleram excitant?

21. Alvi dejectio nigra, cur quandoque bona, quandoque mala obſervatur?

22. Quæ medicamenta excrementa nigra educunt, an ſunt vera melanagoga?

23. Cur a purgantibus nigra prodeuntia raro periculum portendunt?

24. Cur hypochondria mollia minus periculoſa, quam dura, in dejectione nigra?

25. Cur in ventris turbatione mente motis circa judicationem nigra prodeunt?

26. Cur in dejectionibus nigris, ſi multus ſpiritus feratur per nares, convulſiones nunciat? &, ſi ſopor inſuper adſit, parotides, & mortem?

27. Cur dejectio nigra in morbi principio valde timenda?

28. Cur in ſanguinis eruptionibus, viſcoſa egeſtio nigris variegata, maligna?

29. Cur valde alba excrementa in febribus non bene judicant?

30. Cur ictericis, febribus bilioſis, eryſipelatoſis, & phrenitidi, alba dejectio valde mala?

31. An ex fermenti ſtomachici inertia lienteria?

32. An poſt dyſenteriam lienteria oritur, quod oſcula lacteorum coalita non admittunt chylum?

33. An mucus copioſus poſt tormina ventris in dyſenteria, & quid indicat?

34. Cur mucus copioſe dejectus in bilioſis, icterum, hydropem, & febrem colliquativam indicat?

35. Cur lævia, pituitoſa, viſcoſa, meraca, mala?

36. Cur mucoſa, cruenta, derepente dejecta, judicant ardentem?

37. An mucoſa ex inteſtinorum pinguedine tranſudante, vel mucilagine naturali, vel pituita, vel pure?

38. An alvi evacuatio magis depurat, quam reliquæ excretiones?

39. Cur coma cum alvi profluvio rubro, lethale? & comate preſſi, laſſitudine fracti, ſi obſurduerint, erumpente alvo rubra circa criſin, juvantur?

40. Cur ſtercora ſplendentia, nigra, fœtentia admodum in acutis, lethalia?

41. Cur acuto morbo laborantibus, poſt alvum diu conſtipatam, ſæpe ante mortem alvus egerit valde fœtentia excrementa?

42. Quid denotat alvus liquida in empyematicis, phthiſicis, & ſuppuratis?

43. An ſpumoſæ alvi egeſtiones, in alvi profluvio, a pituita e capite defluente? ut Hipp. aph. 30. Sect. 7.

44. Cur omnia meraca alvi excrementa mala?

45. An curunculæ carnoſæ per alvum ejectæ, ab exeſis partibus extra inteſtina, ut Cardanus?

46. Cur facies Hippocratica minus periculoſa poſt alvi fluxum, quam ſi illa non præceſſit?

47. Fa-

47. Facies citrina, cum alvi fluxu & tumore duro dolente in hypochondrio dextro, cur malum?

48. Cur exſolutiones alvi repentinæ, præter rationes, in diuturnitate temporis conſumtis, una cum vocis tremula interceptione, pernicioſe habent. Hipp. a. 588. & 544.

49. An alvi fluxus in lochiis ſuppreſſis non ſupprimendus, quoniam lochiorum materiam evacuant?

50. An in omni morbo chronico, ut multi præcipiunt, dandum purgans?

51. Opiata quomodo laxant & conſtipant alvum?

52. An ſucci pancreatici auſteritas alvum conſtipatam facit?

53. Cur ex bilis inertia ſæpe ſegnior alvus?

54. An unius partis inteſtinorum ingreſſus in alteram, vel inteſtinorum nodus, alvum conſtipare valet?

55. Cur nephritici ſæpe alvo adſtricta laborant?

56. An obſtructio meſenterii poteſt alvum conſtipare?

57. Cur fœtus in utero materno non deponit alvum?

TRACTATUS NONAGESIMUS PRIMUS.

De Urinam Ducentibus.

I. QUæcunque medicamenta & auxilia faciunt, ut Lotium, tam in homine ſano, quam ægroto, fluat majore copia, quam ſi talia medicamenta non fuiſſent exhibita, διερητικὰ & ἐρητικὰ appellantur. *Definitio.*

II. Horum quia materia eſt multiplex, & electio debet fieri ſecundum morbos, qui vias urinæ aggrediuntur, proponemus 1. Diureticorum varias ſpecies; 2. Morbos dictarum partium. *Diviſio generalis.*

III. Urina copioſior fit 1. ſuppeditando liquorem tenuem aquoſum, tam ingeſtione, quam inhibitione evacuationis per ſudorem vel perſpirationem; 2. laxando vias urinæ & leniendo contractas; 3. reſolvendo maſſam pro natura concretionis; 4. movendo totam maſſam; 5. ſtimulando, præprimis urinæ vias, & humores diſponendo magis ad hanc, quam aliam evacuationem, *ſpecifica* propterea dicta. *Diviſio ſpecialis.*

IV. Mera aqua majori copia ingeſta urinæ quantitatem auget, ſed tunc ſimul urina minus tincta erit. Aquoſa hæc, ſi *acidula* ſunt, in multis morbis mirabilia præſtant. Ut in putredine, palpitatione, dolore, tremore, debilitate, inflammatione, bile putrefacta, lentore, particularum magnitudine aucta, ſiccitate, calore, ſiti, nauſea & vomitu, morbis acutis, eryſipelate, motu accelerato, febre, ventriculi inflammatione, impetu majore ad caput, ſopore, phrenitide, ſalivæ defectu & glutinoſitate, rheumatiſmo, calore corporis, horrore febrili, robore contractilitatis, aphthis, capitis dolore acutorum. *Aquoſa acidula ingeſta.*

V. Dum talis bibitur liquor, ſcopo eductionis per urinam, movendum eſt corpus, ut ingeſtus liquor ducatur ad renes: ſed quia tunc quoque æque facile determinatur ad cutem, eligendus eſt ambiens aer frigidior, qui diffiationem conſtipat. *Regimen.*

VI. Ut quoque copioſius fluat urina, conducit (III. 2.) viæ ſint laxæ, facile permittentes: quam ob rem præſcribuntur & applicantur emollientia & laxantia, forma potionis, fotus ad lumbos, & pubem, & clyſmatis, aut inunctionis. Talia cum ſucceſſu adhibentur in renum, ureterum, veſicæ & uretræ calculo; lumborum dolore, & calore; rigiditate & elaſticitate aucta; acrimonia; tuſſi; arthritide; cantharidum & vehementiorum diureticorum abuſu; peripneumonia; pleuritide; aſthmate ſicco; ſputo difficili; empyemate; urinæ acrimonia; denutatione viarum urinæ; phthiſi; raucedine; iſchuria; dyſuria; ſtranguria. *Laxantia & lenientia.*

VII. Medicamenta reſolventia (III. 3.), ſeu attenuantia, diſponentia liquores *Reſolventia.*

ad faciliorem humorum tranſitum per tubulos renales, non raro cient urinam. Hæc tamen omnia (T. LXXIX.) non indifferenter urinam quia movent, præcipua eorum delibabimus.

Salina. VIII. Salina diuretica triplicia ſunt: 1. Neutra (T. XXXVIII. 7.); 2. Alcalina (T. XXXVIII. 15. & 23.) 3. Acida (T. XXXVIII. 45.). Horum vires ex dictis patent.

Saponacea. IX. Saponacea quoque diuretica (T. XXXVIII. 24. ad 26.) & (T. LXXIX. 17. & 18.) prout ex oleo fixo aut volatili, ex ſale neutro, acido, alcalino fixo aut volatili componuntur, ad morbos varios diureſin exigentes adhibentur.

Moventia. X. Ut autem ſecernatur a tota maſſa ſanguinis urina, & ducatur extra corpus, quidam requiritur motus, qui eo ducit ſanguinem certo impetu, & pellit per urinæ vias, quare multa ex generali titulo moventium (T. LXXXIII.) diuretica fiunt; præprimis ſi ſimul prohibetur exhalatio per cutem.

Specifica. XI. Dum Medici abſolute præcipiunt diuretica, ſolummodo intelligunt medicamenta, quæ ſpecifica virtute magis urinam quam aliam evacuationem moliuntur: quæque majori copia vel diutius exhibita tandem urinæ profluvium, imo mictum cruentum, excitant; quemadmodum cantharides, & omnia fere inſecta. Multa ex his menſes quoque trudunt, imo abortum pariunt in gravidis: alia vero egregia ſimul ſunt pectoralia.

Uſus. XII. Ut conſtet, quænam horum omnium exhibenda ſint in urinæ morbis, præcipuos horum delibabimus: 1. urinæ ſuppreſſionem; 2. urinæ ſtillicidium & difficultatem; 3. urinæ profluvium & incontinentiam; 4. mictum cruentum. De reliquis urinæ vitiis actum eſt (T. XXXVI.).

Urinæ ſuppreſſio. XIII. Urina ſupprimitur, ſeu generatur ἰσχυρία, tribus generibus cauſarum, quæ ſpeciales exigunt curationes: 1. ex defectu humiditatis in maſſa ſanguinis; 2. ex motu languidiore, quam requiritur ad urinæ ſecretionem & propulſionem: 3. ex via urinæ compreſſa vel obſtructa: atque hoc in renibus, ureteribus, veſica & uretra.

Defectu liquoris a lentore. XIV. Cauſæ, quantitatem urinæ (T. XXXVI. 25.) minuentes, ſi majores fiant, tandem integre ſupprimunt evacuationem. 1. Sanguis eouſque condenſatus in *Lentorem* (T. XLI.), ut deſit humiditas pro urinæ ſecretione, uti in phrenitide, febre ardente, pleuritide, peripneumonia, & ſimilibus, peſſimum eſt ſignum: a diureticis validiſſimis etiam non procedit, imo potius ſupprimitur. Diluentia autem & reſolventia refrigerantia tunc urinam provocant.

A viſciditate. XV. 2. Humores quoque *inviſcati* (T. XL.), ut in leucophlegmaticis, pallidis & frigidis corporibus, non dimittunt quandoque urinam; inde fiunt ſtupidi, comatoſi, vertiginoſi, & tacite delirantes atque trementes. Præter generalem curationem (T. XL. 17.), ſpecifica diuretica, acriora reſolventia, & calefacientia ſunt adhibenda.

Ab Exitu aliunde. XVI. 3. Tandem deficit humor tenuis in copioſiore *evacuatione* per cutem; ſed præprimis in *Hydropicis*, colligentibus lympham in veſiculis: frequentiſſimum hoc in *pectoris hydrope* (T. XXXV. 28.), & valde malum eſt. Iſchuria ab aliqua evacuatione copioſiore minus periculoſa, quia derivatione ad renes facta facilius curatur: ſed in hydropicis, niſi reſolventibus & ſpecificis diureticis acrioribus referetur, brevi mortem inſtare declarat.

Motu languidiore. XVII. Motus languidior (XIII. 2.) in toto corpore, quemadmodum quandoque fit ſoporoſis, apoplecticis, pareſi laborantibus, laxitate & inertia ſolidorum, ante debilitate virium ſumma affectis, periculoſiſſimam iſchuriam producit, ſtimulantibus, & roborantibus reſerandam; 2. talis autem motus languidior in tubulis renalibus vel veſica, topica talia exigit. Si ex diuturniore urinæ retentione in veſica, deinceps reddi nequit, cathetere vacua tamdiu ſervanda eſt veſica, donec ejus villi tonum recuperaverint.

Viarum anguſtia. XVIII. Denique intercipitur urinæ exitus (XIII. 3.) tribus modis: 1. obſtructione in cavitate illarum viarum; 2. vitio in lateribus meatuum; 3. compreſ-

ſione

ſione externa, tranſitum intercipiente.

XIX. Urinæ meatus & receptaculum, a variis rebus intus hærentibus, oppleri poſſunt, ut urinæ tranſitus denegetur. Frequentiſſima omnium cauſa eſt *Calculus*, hærens in iſtis omnibus locis, inde *Nephritis vera* vocatur: quando autem a grumo, viſcido, pure concreto, caruncula enata, urina nimis craſſa, & multis alienis intercipitur tranſitus, *Nephritis notha* appellatur. *Obſtructio.*

XX. *Calculi* in urinæ viis frequens eſt generatio. Sana enim urina, ſi aliquoties ſtagnat in quodam vaſe, ad latera deponit cruſtam lapideam; omne quoque corpus ſolidum in veſica hærens incruſtatur: hoc quoque fieri videtur ad omnem urinæ viarum ſuperficiem muco orbatam. Quorum urina continet arenulas (T. XXXVI. 33.) multas, vel ad latera matulæ (T. XXXVI. 55.), brevi accreſcit cruſta, vel comedunt multa auſtera, & ducunt vitam ſedentariam, aut laborant podagra, illi calculo citius corripiuntur. *A Calculo. Ejus generatio.*

XXI. Calculus operatione chemica ſolutus præbet oleum fœtidum, ſpiritum urinoſum, ſal volatile, remanentibus cineribus terreis, inſtar calcis vivæ. *Analyſis Chemica.*

XXII. Calculus talis hærens in renibus, ſi aſperitate non irritat, diu latere poteſt ſine ullo ſigno, vel cum quadam perceptione gravitatis. Aſperior vero non raro lacerat vaſa & producit *mictum cruentum* (T. XXXVI. 12.), in quo ſanguis ob gravitatem poſt ſtagnationem fundum petit, quando ſimul adſunt grumi, multum muci, vel pelliculæ, quibus diſtinguitur ab urina rubra. *Hærens in renibus facit mictum cruentum.*

XXIII. Eadem irritatione infert calculus *lumborum dolorem*, qui plerumque protenditur ſecundum ureterum ductum, uſque ad pubem; poteſt corpus flecti ſine punctionis perceptione, quod non fit, ſi ex rheumatiſmo lumbi dolent: ſi autem lumbi dolent ex materia catarrhoſa, urina miculis ſcatere ſolet, atque obſervatur per alias corporis partes dolor vagus. *Dolorem lumborum.*

XXIV. Ob nervos renum, ex communi plexu venientes, multa ſymptomata fiunt per reliquum corpus; uti vomitus, nauſea, cardialgia, inappetentia, anxietas præcordiorum, quaſi cingulo cingerentur coſtæ inferiores, unde nonnunquam difficulter reſpirant; inteſtina non raro dolent, ut nonnulli putent *Colica* laborare, quod exercitatiſſimos etiam fallit, ſed *Crurum ſtupor* in nephritide frequentior. In viris quandoque teſtis lateris affecti retractio; in fœminis hyſterica paſſio; in gravidis dolores partus mentiri ſolent: in ſenibus tremores (T. XXII. 15. N. 11.) comprobant, dolores hos fieri a calculo. *Multa alia ex conſenſu.*

XXV. Calculus exitum urinæ intercipiens ex pelvi renum in ureteres, eam ita nonnunquam dilatavit, ut extra renem maxime promineat: aut hærens ad introitum *ureterum* in veſicam, tantam dilatationem fecit, ut ureter incraſſatus & dilatatus multarum unciarum liquoris redderetur capax; dum calculus per hos ureteres deſcendit, dolor pungens ſentitur tendere verſus pubem ex lumbis. Qui dolor, ſi oriatur poſt ſigna calculi renalis (22. ad 24.), certum judicium præbet calculi deſcenſus. *In renis pelvi vel uretere.*

XXVI. Signa, quæ calculi præſentiam in veſica denotant, non ſemper eadem: communia autem a Celſo graphice depinguntur. *Calculoſi his indiciis cognoſcuntur. Difficulter urina redditur, interdum etiam ſine voluntate deſtillat; eadem arenoſa eſt; nonnunquam aut ſanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur. Eamque quidam promtius recti, quidam reſupinati, maxime hi, qui grandes calculos habent; quidam etiam inclinati reddunt, colemque extendendo dolorem levant. Gravitatis quoque cujuſdam in ea parte ſenſus eſt; atque ea curſu omnique motu augetur. Quidam etiam cum torquentur, pedes inter ſe ſubinde, mutatis vicibus, implicant; feminæ vero oras naturalium ſuorum, manibus admotis, ſcabere crebro coguntur. Nonnunquam ſi digitum admoverint, ubi veſicæ cervicem is urget, calculum ſentiunt.* Optime autem cathetere & digito in anum immiſſo dignoſcitur, niſi accreverit lateri veſicæ vel pellicula tectus; tunc, vel ſi poroſus eſt, diu geritur ſine Iſchuria: ſed grandior pondus exhibet in veſicæ regione; irritando inteſtinum adjectum teneſmum, vel vaginæ adhærens dolores quaſi parturien- *In Veſica.*

turientium, excitat. Tandem crebra irritatione vesica quandoque convertitur in callum, & admodum incrassescit.

Uretra. XXVII. Si autem trudatur calculus minor in uretram, urinæ evacuationem intercipit; si sponte non exeat, vel eximi nequeat, injectione olei in uretram, clauso meatu urinario pone calculum, tentanda est evacuatio.

Ab alia obstructione. XXVIII. Quamvis obstruantur frequentissime urinæ viæ a calculo, non desunt exempla, pure, viscido concreto, grumo sanguinis, vel tuberculo excrescente transitum intercluſum fuisse.

Viarum contractione. XXIX. Latera meatuum (XVIII. 2.) tumefacta internam cavitatem vel angustiorem faciunt, quando urina minuta procedit; vel integre claudunt, quando fit difficillima Ischuria. Ita inflammatio vel scirrhus, aut quivis alius tumor in renibus, ureteribus, vel vesica, nata, sine ullo calculo, mortem intulerunt, nisi mictu purulento liberentur (conf. Hipp. a. 464.). Viæ autem spasmodice constrictæ, in hystericis, hypochondriacis, mobilitate laborantibus; vel ex consensu in capitis, colli, & ventris dolore, liberari solent multa urina crassa emissa. Denudata latera, quæ ab accedente urina constringuntur, & ita supprimunt urinam, lenia obvolventia exigunt.

Compressione. XXX. In partibus adjacentibus non raro fiunt tumores, qui uretram aut aliam partem comprimendo urinam intercipiunt: ita fœces duræ accumulatæ in crassis intestinis, fœtus in utero, perinæi, vel & uteri tumores, urinæ suppressionem fecere, nullis diureticis referandam.

Ruptione. XXXI. Denique viis ruptis, urinam in cavum ventris fundentibus, immedicabilis urinæ suppressio generatur.

Effectus. XXXII. Morbi provenientes ex suppressione: 1. dependent a causis urinam supprimentibus; 2. a copia & indole urinæ retentæ in viis urinæ; 3. ab urinæ admistione cum reliquo sanguine; 4. ab urina effusa in cavitatem ventris. Hæc autem omnia persequi nimis longum foret: facile autem ex his deducimus stuporem, paralysin, soporem, vertiginem, convulsionem, putredinem, cerebri corruptionem, acrimoniam, tremorem, vesicæ & ureterum distentionem & paralysin, multosque morbos cerebri & nervorum generari posse.

Curatio. XXXIII. Ex causis variis urinam supprimentibus facile unusquisque animadvertit, nullam generalem præscribi posse medendi methodum aut medicamentum in omni urinæ suppressione, quamvis nonnulli glorientur se tale possidere auxilium. Præcipua horum auxiliorum paucis attingemus.

Venæ sectio. XXXIV. In plethoricis, aut quando urina subsistit ab inflammatione renum & reliquarum partium, vel ex suppressa sanguinis evacuatione, *venæ sectio* reseravit urinam, quæ omnibus resistebat diureticis.

Purgans. XXXV. Medicamenta *alvum laxantia*, præprimis sub forma clysmatis iniecta, opitulantur nephriticis, liberando intestina a comprimentibus fœcibus, & fovendo adjacentes vias urinæ: fortiora autem purgantia, si calculus in itinere hæret, dolores augent.

Emollientia, laxantia, diluentia. XXXVI. *Emollientia* & *laxantia*, ex oleo amygd. dulc. althæa, symphyto majore, spermate ceti, butyro insulso, lacte dulci, ejusque sero, atque omnes potiones molles diluentes excellunt in calculosis, præprimis si postea corpus debeat moveri, ut mictus cruentus expectetur. Hæc omni forma exhiberi vel applicari possunt.

Diuretica & lithontriptica. XXXVII. *Diuretica* fortiora, & *lithontriptica*, de quibus multi gloriantur, quæ quidem nudo calculo applicata eum minime solvunt, plus damni quam boni adferunt, quoniam pellendo calculum intolerabiles inferunt dolores: sed in motu languidiore (17.), & obstructione a materia viscida (28), multi usus. Inter reliqua millepedes, sabina, aselli, ovorum cortices, hirci sanguis & urina, palmaria habentur: in morbis autem nervorum si urina supprimitur, præstantiora sunt terebinthinata, succinata, myrrhata, balsamica.

Motus corporis. XXXVIII. Non raro equitatio & ambulatio ischuriam obstinatissimam curavit,

vit, ſi materia viſcidior, & motus in viis languidior, non potuere propellere urinam.

XXXIX. Urina vero, ex conſenſu vel ſpaſmodica conſtrictione ſuppreſſa, anodynis reſeratur. *Anodyna.*

XL. Si reddatur urina guttatim, vel minore copia, aut cum moleſtia (XII. 2.), huic evacuationi varia impoſita ſunt nomina. Ita *urinæ ſtillicidium*, στραγγουρία; *urinæ difficultas*, aut ſi cum *ardore* emittitur, δυσουρία. Urina parcius procedit ab iiſdem, ſed levioribus cauſis, a quibus urina ſupprimitur (13. ad 39.), & eandem curationem exigit. Si φίμωσις vel præputii coalitus exitum remoratur, ſectione aut dilatatione via paranda: gonorrhœa affecti, ſi ſtranguria vel urinæ ardore laborant, conſolidantia exigunt: ex muci abraſione, olea mollia & mucilaginoſa ſanant: ſi autem acrimonia hæreat in eo ſucco, balſamica, reſinoſa, huic ardori medentur. *Urinæ difficultas.*

XLI. Copioſior omnis urinæ evacuatio (XII. 3.) non vocatur *urinæ profluvium* (T. XXXVI. 26.) ſeu *Diabetes*. Nam quæ fit copioſiore ingeſtione aquoſi, vel diminutis aliis excretionibus, huc non pertinet, ſed quæ oritur: 1. ex nimia reſolutione & colliquatione humorum; 2. ex tubulorum renalium laxitate nimis cito tranſmittentium; 3. ab oſcillatione quoque eorumdem tubulorum, aut quadam motus determinatione ad renes. Qui autem protinus urinam in veſica receptam emittunt ſine dolore, vel non ſatis diu retinere poſſunt, *urinæ incontinentia* laborant. *Urinæ profluvium.*

XLII. Quoniâm cuncta hæc explicata inveniuntur in Libro noſtro *de Inſenſibili Perſpiratione*, Cap. XVI. pauca addere ſufficiet. Maſſa reliqua corporis continuo, privata humore tenui, incraſſatur, vires debilitantur, extabeſcit corpus, & ſiccatur, intenditur ſitis, accenditur febris hectica. In pueris dentientibus, & laxatis tubulis renalibus, quandoque exit urina ſubdulcis (T. XXXVI. 22.). *Effectus.*

XLIII. Quamvis ab Auctoribus eadem ſemper præſcribatur medendi methodus, varia tamen eſſe debet. Nam ſi ex humorum Tenuitate vel Colliquatione fiat (T. XLIV.), Incraſſantia (T. LXXVII.) exigit. Ex tubulorum Laxitate (T. VI.), Roborantia (T. LVIII.) poſtulat. Ab Oſcillatione majore (T. XXV. & T. XLVI.), ex propriis titulis peti poteſt. *Cantharidum* aliorumque diureticorum abuſus, urinæ profluvium inducens, emendatur dilutione potionis emollientis, mucilaginoſæ & oleoſæ, ut obvolvatur acre diureticorum. *Curatio.*

XLIV. Ultimo huc refertur *mictus cruentus* (XII. 4.) qui ab omnibus cauſis, ſed validioribus, urinæ profluvium excitantibus, poteſt generari; quando tanta eſt tubulorum renalium dilatatio, ut tranſmittant ſanguinem. Cauſæ autem generales in ſanguinis fluxu (T. XXXII.) traditæ ſunt: unde quoque curatio peti poteſt. Frequentiſſima in renibus eſt cauſa, calculus deterens vaſa: nonnunquam renum interna ſuperficies admodum inæqualis inventa eſt in cadavere, poſt mictum cruentum, ſine calculo; quandoque autem calculis obſeſſa. Fluere poteſt ſanguis ex renibus, ureteribus, veſica, uretra, corporibuſque ſpongioſis. *Mictus cruentus.*

XLV. Præter generalem curationem (§. 43. & T. XXXII.), ſi fiat ex Diureticorum abuſu, potione multa eluendum eſt acre, dein molli & ſubadſtringente conſolidante medicamento conſtringenda vaſa. *Curatio.*

Calculus autem terens vaſa, ſi excitat mictum cruentum, obvolventia, mucilaginoſa, & oleaginoſa, exigit; quare ſperma ceti, cum oleo amygdalarum dulcium, compeſcuit nephritidem & mictum cruentum. Manna cum ſero lactis, & pauxillo ſucci limonum, attulit Sydenhamo levamen, ſi ſumeretur ante corporis exercitium, in calculoſis mictui cruento obnoxiis. Decoctum quoque ex radice ſymphyt. maj. egregias præſtitit vires.

XLVI. Ne decipiamur, cavendum, ne *urina rubra habeatur pro mictu cruento* (T. XXXVI. 12.); nam ſi rubedo urinæ dependeat a ſanguine admiſto, cum urina aliquantulum quieverit, in fundo congrumeſcet ſanguis, ſuperius remanebit urina pura. *Cautelæ.*

Ut

Ut cognoſcamus ex quanam parte profluat ſanguis, obſervandus eſt locus dolens, perfecta vel minus perfecta miſcela ſanguinis cum urina; num prius veniat vel ſubſequatur ſanguis.

Quandoque ſanguis prius concretus, ſpeciem vermis mentitur, dum exit.

Mictus cruentus, non raro criticus, in menſium & hæmorrhoidum ſuppreſſione, morbis acutis, plethora, & majori ſanguinis impetu. *Sanguinem mingere, raro quidem & ſine febre ac dolore, nihil mali ſignificat, ſed laſſitudinum ſolutio fit. Si vero ſæpius mingat, & aliquid ex his acceſſerit, malum eſt. Verum prædicere oportet, ſive cum dolore mingatur, ſive cum febre, fore ut inſuper pus mingat, atque ita dolores ac afflictiones quieſcant.* Hipp. a. 494.

Corollaria. XLVII. Ex præcedentibus deduci poſſunt.

1. An ſanguis in mictu cruento duci poſſit ab hepate ad renes, ut Sennertus?
2. An ſtranguria ab acido ſucco pancreatico?
3. An potus immutatus per urinam redditur in diabete?
4. Quomodo clyſmata mollia urinam ducere poſſunt?
5. Qua virtute manifeſta diuretica ſpecifica operantur?
6. An calculi concretum tertium ſalſum ex ſale volatili urinæ, cum acido ſtomachali oberrante, coagulatur?
7. An veſicæ calculus ſemper originem ducit ex renibus?
8. An calculus podagræ & renum ex eadem materia?
9. Cur calculus minor prima vice difficilius emittitur, quam major in aſſuetis?
10. Cur muci, ſanguinis, fœtentiſque urinæ cum multo ſedimento, tam frequens excretio in calculoſis?
11. Urina arenulis referta an ſemper calculi ſignum?
12. Quæ differentia inter cryſtallos & calculos urinæ?
13. Cur dolori lumborum cum urina ſuppreſſa, ſuperveniens frigus extremorum, aut ſudor frigidus, valde malum?
14. Cur in nephriticis cum urina tenui, ſi reddatur urina craſſa cum multo ſabulo, valde bonum?
15. Quibus in urina arenoſa ſubſident, an his veſica calculo laborat? Hipp. aph. 79. Sect. 4.
16. An calculus uretræ retropellendus, vel facta inciſione eximendus, ut homo liberetur a doloribus?
17. Quomodo anodyna & venæ ſectio fieri poſſunt diuretica?
18. Cur emetica, equitatio, ſaltus & nixus in calculoſis ſæpe inferunt mictum cruentum?

TRACTATUS NONAGESIMUS SECUNDUS.

De Perſpirabile Ducentibus.

Definitio. I. PRæſtantiſſimam & omnium minime debilitantem evacuationem, tam ex extremitatibus arteriarum, quam nervorum, factam, in Libro noſtro *De Perſpiratione Inſenſibili* deſcriptam, augentia medicamenta, διαφορητικὰ hodie ab omnibus Medicis appellantur.

Diviſio. II. In his deſcribendis, modi varii ſunt obſervandi, quibus copioſior fiat diffiatio: quare percurremus auxilia, quæ operatione diverſa hanc evacuationem augent. Huc referri poſſunt: 1. quæ eliciunt ex corporis peripheria; 2. quæ aperiunt poros; 3. quæ diluunt; 4. quæ reſolvunt humores; 5. quæ præparant liquores; 6. quæ moderantur impetum; 7. quæ movent.

1. *Eliciendo.* III. Materia perſpirabilis in corporis ambitu hærens ſponte non evolat, ſed vel abſorbetur (T. LXVIII.), vel diſcutitur (T. LXIX.). Prior modus in omnibus,

mnibus, posterior solummodo in viventibus corporibus procedit, quia requirit causam moventem. Sæpe hæc duo simul adhibentur, ut fiat discussio promtior & major.

IV. *Absorbentia* (T. LXVIII.), & siccantia (T. LXIII.), adhibentur ad perspirationem promovendam, in solidorum humiditate, tumoribus œdematosis, laxitate, inertia, motu languido, hydrope particulari, ut eliciatur in cute hærens liquor. *Absorbentibus.*

V. Si motus solidorum languidior in ambitu corporis non expellit, vel frigus nimis condensat ibidem liquores, *Discutientia* & *Calor* applicatus, volatilisans stagnantes liquores, cum levamine auferunt humores in recensitis (4.) morbis. Sed quia simul augent motum, & liquores versus cutem alliciunt, in multis morbis adhibentur. Ut in debilitate, tremore, paralysi, horrore, acrimonia acida, eruditate, podagra retropulsa, alvi fluxu, rachitide, minuta perspiratione præprimis in debilibus, arthritide vaga, mobilitate solidorum, acrimonia succi nervorum. Vix ullum est medicamentum sanitati magis conveniens, quam hoc in morbis chronicis. *Discutientibus.*

VI. Ut quoque facilior fiat exhalatio, quandoque aperiendi sunt pori (II. 2.). Quomodo autem *Aperientia* operantur, diximus (T. LXXXII.). Hoc ut fiat in poris cutaneis: 1. abstergentibus (T. LXXXI.) auferenda sordida cuti adhærentia; 2. laxando (T. LIX.) poros, si constricti sunt, ut sæpe in morbis acutis; 3. movendo humores (T. LXXXIII.) cum determinatione ad cutem, ut sæpe in chronicis, motu languido, inertia. *2. Aperiendo.*

VII. Quæ humidi copiam suppeditant, ut *Diluentia* (T. LXXVIII.) & *humectantia* (T. LXII.); augent quidem perspirationem, non vero detrahunt corpori pondus. Præstantissima sunt in motu aucto, densitate sanguinis, siccitate, febre ardente, variolis, spina ventosa, pruritu, & fere omnibus morbis acutis, aliisque, in quibus larga facienda est diaphoresis, sine diminutione totius massæ. *3. Diluendo.*

VIII. Ut liquor invisibiliter exeat, sæpe præcedere debet Resolutio (T. LXXIX.); quæ quoniam differunt in lentore, eruditate, viscido, & alia crassitudine, ea ex proprio titulo sunt petenda. Hæc igitur in quibusdam augent perspirationem, in aliis vero nihil præstant, imo damnosa sunt. *4. Resolvendo.*

IX. Alimenta ingesta, & humores absoluto munere, non statim apti sunt ad exhalandum: inde stomachica & intestinalia, quæ auxiliantur ventriculi coctioni, largiorem faciunt perspirationem. Et roborantia (T. LVIII.), subigendo cruda per totum corpus, perspirationem largiorem faciunt. *5. Præparando.*

X. In morbis acutis inflammatoriis, & motu humorum aucto, atque humoribus compactis ex vigiliis prægressis, anodyna, frigefacientia, & acida, egregia sunt diaphoretica. *6. Moderando impetum.*

XI. In morbis autem chronicis, inertia, laxitate, acrimonia acida, motu languido, morbis frigidis, valetudinariis, retropulsa materia, moventia (T. LXXXIII.), stimulantia (T. LXXXIV.), & calefacientia (T. LXXXV.), specifica complectuntur diaphoretica. *7. Movendo.*

XII. Ex præcedentibus deducuntur. *Corollaria.*

1. Quantum differunt absorbentia & discutientia ad promovendam diaphoresin?
2. An omnia diaphoretica minuunt corporis pondus?
3. Cur multa ex resolventibus vocantur diaphoretica?
4. Cur omnia aromatica diaphoretica censentur?
5. Cur stomachus perspirationis promtuarium?
6. Quomodo hypnotica minuendo motum tamen augent perspirationem?
7. An in omni casu anodynum est diaphoreticum?
8. Quantum differunt calida & calefacientia in proliciendo perspirabili?
9. Quomodo multa refrigerantia fiunt diaphoretica?

TRACTATUS NONAGESIMUS TERTIUS.

De Sudoriferis.

Sudorifera. I. QUoniam a nobis actum est Cap. XV. *in Insensibili Perspiratione* de sudore, paucis complecti possumus, quæ de *Sudoriferis* sunt dicenda.

Differunt a diaphoreticis. II. Non multum *Sudorifera* distant a *Diaphoreticis* (T. XCII.), nisi quod paulo sint potentiora, & propterea magis debilitent, & nonnulla mala excitent, quæ ex blando diaphoreticorum usu non erant expectanda.

Selectus. III. Sudoriferorum materies & modus excitandi quia differt, selectus faciendus in morbis, quidnam sit eligendum.

Calor. IV. Nam solus *Calor* externe communicatus, quovis modo quia fluidiores, volatiliores reddit humores, sudorem prolicere potest (T. LXXXV. 4. & 5. & T. LXXIX. 20.). Huc pertinent balnea, fomenta, semicupia, accensio alcoholis, æstuaria & similia. Quæ adhibenda, si vis vitæ instigata non valet expellere humores nimis viscidos; ut in hydrope, leucophlegmatia, paralysi, anasarca, tumoribus frigidis, frigore febrili; cavendum vero, si pars gelu fuit constricta, convertitur enim in sphacelum.

Calefacientia. V. *Calefacientia* non multum distare videntur ab actuali calore, sed quia suscitant calorem aucto motu vitali, non conveniunt iisdem morbis (vid. T. LXXXV.). Sæpe enim inferunt capitis dolorem, delirium, & alia capitis mala; atque in acutis inflammatoriis raro provocant sudorem. Sed quando malignus humor pellendus est ad corporis peripheriam, uti in multis morbis cutaneis, metastasi ad interiora, doloribus multis (T. XVII. 64.), acrimonia cruda acida, febribus (T. LII. 39.), antequam invadit paroxysmus, prohibita perspiratione, & multis morbis chronicis.

Anodyna. VI. Omnibus fere sudoriferis aliquid *Anodyni* admiscetur, uti constat ex Veterum compositionibus, quia inducto somno melius dimittuntur constricti cutis pori, & humores minus compinguntur.

Resolventia. VII. Qui vellet omnia *Resolventia* sudorifera recensere, integrum inveniret catalogum, uti ex proprio titulo (T. LXXIX.) constare potest. Si in morbis, quibus adhibentur *Resolventia*, sudor est excitandus, solummodo resolutus humor determinandus est ad cutem.

Acida. VIII. In morbis acutis inflammatoriis, calidis & putridis, acida sudorifera excellunt, præprimis si multo liquore diluta adhibentur.

Vena sectio. IX. In morbis quoque siccis, calidis, cum maximo impetu, pulsu duro frequenti, frustra multi fuere conati sudoriferis calidis prolicere sudorem; at instituta *venæ sectione* copiosus erumpebat sudor.

Specifica. X. Num inveniantur *specifica sudorifera*, multi dubitant, quoniam invenere ex datis iis sudorem non fuisse subsecutum. At vero experimenta ea nihil probant, quoniam idem in purgantibus & diureticis experimur: sæpe quoque exhibentur nimis parca dosi; vel dantur, quæ habentur specifica sudorifera, non vero talia sunt. Ex analogia sudorifera sunt admittenda, quoniam possidemus ad quasvis evacuationes specifica medicamina: quare vero non haberentur sudorifera specifica, nulla est ratio. Sed restat experimentis iteratis examinare, quænam vera sunt, inter recensita medicamenta, sudorifera.

Corollaria. XI. Ex antecedentibus patet.

1. An urinæ odor alius quam sudoris, quia ea aliquamdiu retinetur in vesica?
2. An parcior quam urina, quia guttatim colligi nequit?
3. Num sudor deliquativus in moribundis ex præcipitatione sanguinis & impedito reditu per venas?
4. An illi, quibus cutis circumtenditur, arida ac dura est, sine sudore moriuntur; quibus vero laxa ac rara, cum sudore moriuntur? Hipp. a. 98.
5. An specifica inveniantur sudorifera, ut lapis Bezoar?
6. An anodyna propulsione materiæ ad cutem fiunt sudorifera?
7. Quomodo purgantia possunt converti in sudorifera?

INDEX.

Primus numerus Tractatum, Secundus Paragraphum, Tertius Sectionem in Paragrapho, significabit.

A.

ABdomen vid. *Venter*.
Abjectio animi vid. *Animi triſtitia*.
Ablactatio. vid. *Lac*.
Ablatio *Cerebri*, *Cerebelli* vid. ſuis locis.
Abluens vid. *Diluens*.
Ablutio vid. *Clyſma in formulis*
Abortiva in *Uterinis*.
Abortus, in *Partu*.
Abortum faciens in *Uterinis*.
- - - cohibens in *Uterinis*.
Abraſio inteſtinorum in *Inteſtina* & *Excoriatio*.
ABSCESSUS.
Definitio 48. 1. Varietas 48. 2. Generatio triplex 48. 3. Curatio maturando 48. 4. determinando 48. 5. puris coctionem promovendo 48. 6. Signa maturitatis 48. 7. quando citius aperiendus 48. 8. per lanceolam 48. 9. per cauſticum 48. 10. quid agendum in abſceſſu aperto 48. 11. *Sinus* depurare 48. 12. *Corruptio* ſtagnantis 4. 13. *Exitus* per evacuationem 48. 14. in ſcirrhum 48. 15. per *Metaſtaſin* 48. 16. in *Parotidibus* 48. 17. quæ bonæ 48. 18. præveniuntur 48. 19. quæ malæ 48. 20. ad inferiora 48. 21. Curatio 48. 22. Pus in inferiore ventre 48. 23. in pectore *Empyema* 48. 24. vid. infra prævenitur Hæmorrhagia 32. 7. cur frequens liberat ſenes in morbis acutis 32. 25. 2. quomodo ſolvitur hæmorrhagia 32. 25. 4. prædicitur ex urina tenui, ſi craſſa evacuanda erat 36. 11. maxime in morbis inflammatoriis 36. 17. prævenitur urina multa craſſa 36. 26. prædicitur ex urina tenui & colorata 36. 29. pus reddit per urinam 36. 35. prævenitur multo ſedimento in urina 36. 49. prædicitur urina cruda 36. 54. in eo urina cruda peſſima 36. 54. qualis urina præſagit abſceſſum 36. 56. 24. pus ſtagnans putreſcit 37. 7. pus relictum in abſceſſu quid faciat 37. 17. 21. quamdiu pus in eo relinquendum 37. 17. 27. corrumpitur citius applicatis humectantibus 5. 4. 6. ex aucta circulatione 46. 11. emollientia quomodo promovent ruptionem 61. 6. 3. cur ſpleniis comprimendus 65. 17. 3.
Empyema definitur 48. 2. ejus Cauſæ 48. 24. Prædictio 48. 25. Detectio generalis 48. 26. in utroque cavo pectoris 48. 27. pectus pure plenum vel pus tenax 48 28. in uno latere pectoris pus 48. 29. bona ſigna 48. 34. mala ſigna 48. 35. recidiva 48. 36. Effectus & exitus 48. 37. Curatio 48. 38. per ſputum 48. 39. per urinam 48. 40. & 36. 35. per abſceſſum alium 48. 41. per thoracem 48. 42. Paracentheſi 48. 43. quid poſt hanc operationem agendum. 48. 44. paracentheſis vetatur 48. 45. poſt puris eductionem quid agendum 48. 47. corollaria de Empyemate 48. 48. evacuato pure fit pulſus debilis 20. 15. Laxantia diuretica exigit 94. 6. adhibenda Lenientia 80. 3. Balſamica 27. 2.
Vomica ex fragilitate & debilitate 5. 3. ex inflammatione quomodo generatur, exponitur 47. 17. cur poſt anxietatem, vigilias & ſopores 52. 59. 5. ex colico dolore fixo cum febre 17. 21. ex copia contenta facit dolorem 17. 42. prædicitur ex palpitatione 20. 14. ex pulſu undoſo 20. 22. cur prædicitur ex tremore in acutis 22. 15. 7. curatio ſi faciat debilitatem 23. 24. ſine levamine ex cruditate 29. 12. cur prædicitur ex frequenti horrore 29 16. 6.
Abſceſſus particularis vide *Pericardii*, *Partium infernarum*, *Hepatis*, *Crurum*, *Mediaſtini*, *pone Aures* vid. *Parotis*, *in Inguinibus* vid. *Bubo*.
ABSCISSIO ſæpe requiritur in nervo læſo 11. 5.
Abſcondium vid. *Arcanum in Medicamento*.
Abſolutorium in *Medicamento*.
ABSORBENTIA & ABSORPTIO. Definitio 68. 1. abſorbentia liqueſcentia 68. 2. non liqueſcentia 68. 3. horum uſus externus 68. 4. & internus 68. 5. in quibus morbis 68. 6. operandi modus 68. 7. corollaria 68. 8. augent perſpirationem 92. 3. cohibent putredinem 37. 16. ſcirrhum indurant ne abeat in cancrum 37. 16. inflammationem in ſcirrhum convertunt 47. 18. Abſorbentia acida & eorum uſus 38. 57. an recte curent tormina in recens natis 30. 18. 31. non ingrediuntur vaſa lactea 38. 57. abſorptionem impedientes cauſæ 35. 3. & 35. 20. ſunt Siccantia 63. 4. incraſſant 77. 11. Diſcutientia quid faciant 69. 8. *Teſtacea* an curant omnem convulſionem 77. 22. 7. cur curant eam 68. 8. 8. quando in alvo laxiori adhibenda 90. 159. abſorptio alvum conſtipat 90. 165.
Abſorbentia vaſa vid. *Vaſa*.
ABSTERGENTIA. Definiuntur 81. 1. *Mundificantia* quæ dicuntur 81. 2. abſtergentium varia genera 81. 3. Abluentia 81. 4. Corrodentia 81. 5. Stimulantia 81. 6. Calefacientia 81. 7. Roborantia 81. 8. Diſcutientia 81. 9. Adſtringentia 81. 10. Conſolidantia 81. 12. Antiſeptica 81. 12. Antipuetica 81. 13. Pectoralia 81. 14. Diuretica 81. 15. Uterina 81. 16. Purgantia 81. 17. Hepatica 81. 18. Aperientia 81. 19. *Sapones* 81. 20. ex *alcali fixo* 81. 21. ex *alcali volatili* 81. 22. *Saponacea* varia 81. 23. aceſcentia ſaponacea 81. 24. emollientia 81. 25. corollaria 81. 26. ſal medicatus Tachenii abſtergit 38. 7. ſal alcali fixum abſtergit 38. 15. adhibentur in oris viſciditate 40. 13. in ſinu abſceſſus 48. 12. in empyemate aperto 48. 44. in ſputo & pure tenaci 48. 47. *Sapones* 38. 26. quomodo ſiccant 63. 9. 2 ſæpe præcedere debent

bent Conſolidantia 65. 5. Maturantia quando adhibenda 76. 6. motum minuentia 86. 6
Abſterſivæ plantæ ſaponem naturalem præbent 38. 24. lacteſcentes præbent ſal inſtar nitri 38. 4.
Alcaleſcentia quænam ea ſunt 38 56. quare vocantur 38. 17. quæ ſponte in alcali vertuntur 38. 28. tales ſunt omnes humores noſtri 38. 56.
Alcalia definiuntur 38. 10. cur fiunt acerrima cum calce viva 38. 31. 6. pura cum acidis puris effervescunt, ſed impura cum impuris acidis fermentant 38. 47. productio etiam ex aceti fæce 38. 17. quæ cum, & quæ ſine effervescentia acidum ſubigunt & horum cautelæ 38. 61. cum abſorbentibus melius curant acidum 68. 6. cur miſcenda terreis in glutinoſo acido 77. 22. 20.
Alcalia fixa definiuntur, & eorum Origo, & ratio denominationis 38. 11. Productio ex nitro 38. 11. ex ſale tartareo Tachenii 38. 12. hujus dotes 38. 13. uſus externus 38. 14. & internus 38. 15. calcinata cum calce viva acerrima fiunt 38. 14. perperam dicuntur urinoſa 38. 11. non effervescunt cum ſanguine ſano 31. 9. 5. ſolvunt fibras 1. 12. nulla ex putrefactis 37. 4. vix in ſanguine deteguntur 31. 10. 7. Eſcharotica ſunt 38. 10. ſaporem præbent urinoſum 38. 10. cum oleo expreſſo vel deſtillato faciunt ſaponem 38. 25. raro generant acrimoniam alcalinam 38. 17. non generantur in nobis 38. 27. quomodo generantur ex nitro 38. 31. 3. an non ad nervos perveniant 38. 31. 4 cur tanti uſus in podagra 38. 31. 5. cur minori copia comparantur ex vetuſta, quam recenti herba 38. 31. num nativa vel artificialia 38. 31. 8. num fieri nequeunt ex ſale acido 38. 31. 9. volatilia fieri poſſunt, ut in ſapone ex alcali fixo cum oleo volatili 38. 31. 10. an ſunt nativa plantarum 38. 31. 11. cur majori copia comparantur ex tecta quam aperta combuſta planta 38. 31. 12. quæ differentia in minori & vehementiori combuſtione 38. 31. 13. num talia inveniantur in nobis 31. 31. 14. ab acidis in ſalem neutrum convertuntur 38. 41. hoc fit cum effervescentia 38. 41. valent in ventriculi viſciditate 40. 15. & humorum viſciditate 40. 17. in polypo 42. 9. in vermibus 17. 54. cur minus valent in calli generatione quam acida 60. 8. 7.
Alcalia volatilia ex ſanguine deſtillato 31. 9. 8. & putrefacto 31. 9. 12. ex putrefactis omnibus 37. 4. promovent putredinem 37. 7. Effectus horum non multum differunt a putredine 37. 10. quam nephritidem ſanant 36. 56. 20. fiunt putredine 37. 5. curant acrimoniam muriaticam 38. 9. Eſcharotica ſunt 38. 10. *Urinoſa* dicta ex odore & ſapore 38. 16. ex omnibus animalibus & earum partibus deſtillatione producuntur 38. 17. ex quibus præprimis animalibus 38. 17. generantur majori vi ignis 38. 18. comparantur ex putrefactis animalibus 38. 18. & vegetabilibus 38.19. ex fuligine 38. 20. deſtillatione ex quibuſdam plantis 38. 21. ex ſolo nitro mineralium 38. 22. horum ſalium virtutes 38. 23. virtutis differentia dependet ab alio adhærente 38. 23 cum oleo deſtillato vel preſſo fit ſapo 38. 25. cum alcohole fit Oſſa Helmontii 38. 25. acrimoniæ alcalinæ cauſa 38. 27. generantur in nobis 38. 27. duplici modo 38. 28. quinque claſſes cauſarum alcali producentes in nobis 38. 29. quomodo fiunt ex nitro 38. 31. 2. num talia in nobis inveniantur 38. 31. 14. num combuſtione producta probent in nobis præextitiſſe 38. 31. 15. ab acidis in ſal-neutrum Ammoniacale convertuntur 38. 45. acida convertunt in ſal neutrum 38. 61. cur medentur dolori diuturno 45. 69. 31. motu aucto generantur 46. 11.
Sapo & *Saponacea* reſolventia diuretica ſunt 92. 9. laxant 59. 8. cur admiſcentur diluentibus 78. 10. 5. reſolvunt 79. 17.
Acida in aucto motu cum craſſitudine 46. 21. in debilitate ex lentore 23. 21. ſedant motum 25. 4. ex vegetabilibus naturalia ſunt 38. 31. artificialia 38. 34 e ſucco expreſſo 38. 35. e ſucco concreto 38. 36. ſolvunt lentorem 41. 10. ſi ex aceſcentibus 41. 12.
Alcalina naturalia 38. 24. artificialia 38. 25. vires horum 38. 26. ex oleo vel reſina cum alcali fixo 38. 3. exſtinguunt acidum auſterum 38. 61. in humore crudo juvant 39. 10. curant crudum reſolvendo 39. 10. horum abuſus hydropis cauſa 35. 16. in viſciditate ventriculi 40. 15. & humorum 40. 17. quam curant inteſtinorum lævitatem 40. 19. 18. cur vermes expellunt 40. 19. 19. minuunt attractionem 49. 22. curant humorum gravitatem 45. 37.
Sapo niger 38. 25.
- - - *Sapientum* 38. 25.
- - - *Starkeianus* 38. 25.
Abſterſivæ plantæ in *Abſtergentia*.
Abſtinentia a potu vid. *Potus*.
Abundantia ſanguinis vid. *Sanguis*.
- - - humorum vid. *Humores*.
Acacas vid. *Morbus benignus*.
Acamatos vid. *Sanitas*.
Acari vid. *Animalcula cutanea*.
Accelerata circulatio vid. *Motus major*.
Acceleratus motus vid. *Motus major*.
Acceſſio vid. *Morbi principium & morbi paroxyſmus*.
Acceſſus mutuus vid. *Attractio*.
- - - fibrarum vid. *Fibra*.
Accidens vid. *Morbi ſymptoma*.
Accurtatio fibræ vid. *Fibra*.
Accuſatio vid. *Indicatio in Curatio*.
Acedia in *Curatione incuria*.
Acerbum vid. *Auſterum in Adſtringens*.
Acerides vid. *Emplaſtrum in Formulis*.
Aceſcentia vid. *Acida*.
Aceſis vid. *Curatio*.
Aceſtos vid. *Morbus ſanabilis*.
Acetum in *Acida*.
Achlys vid. *Oculus*.
Achores vid. *Favus*.
Achroi vid. *Cachexia*.
ACIDA definiuntur 38. 32. naturalia ex vegetabilibus 38. 33. ex aceſcentibus fructibus horæis 38. 34. ex ſuccis plantarum 38. 35. ex ſuccis concretis 38. 36. ex farinoſis dilutis 38. 37. ſucci ſtillantes acidi 38. 38. ex vino 38. 39. ex tartaro 38. 40. ex lignis deſtillatis 38. 41. exaltatio & ſuppreſſio 38. 42. ex animalibus

bus 38. 43. ex mineralibus 38. 44. Effectus acidorum 38. 45. ex mineralibus 38. 46. experimenta cum acidis 38. 47. conveniunt inflammationibus 47. 20. refrigerant in calore 49. 15. an falſum, nonnulla curare convulſiones 30. 18. 29. quam colicam curant 30. 18. 30. fiunt ſudorifera 93. 8. minus valent in calli generatione, quam alcalia 60. 8. 7. mineralia coagulant 77. 19. ex farinoſis 77. 17. quando miſcenda diluentibus 78. 6. cantharidum antidota 83. 43. 15.

Acidula ad fallendam ſitim hydropicorum 23. 12. urinam ducunt 91. 4.

Acefcentia definiuntur 38. 48. eorum catalogus 38. 34. ad 39. ſunt acidæ acrimoniæ cauſa 38. 49. quomodo in acutis producunt ſaporem falſum 38. 69. 2. in motu majore febris 52. 44. in nauſea & vomitu febrili ex putredine 52. 47. in typho ex inflammatione viſcerum 52. 47. quando diluentibus miſcenda 78. 6.

Spirituoſa cohibent putredinem 37. 3. ex alumine, nitro, ſale marino cum alcali fit ſalis regeneratio 38. 13. deſtruunt nigredinem atramenti 38. 47. ſolvunt lentorem 41. 12.

Acida ſaponacea in *Abſtergens*.

- - - terrenis abſorpta vid. *Auſterum in Adſtringens*.

- - - acrimonia vid. *Acrimonia acida*.

Acidum reſiſtens vel curans vid. *Acrimoniæ acidæ curatio*.

Acineſia vid. *Paralyſis*.

Acmaſtica febris vid. *Febris*.

Acme vid. *Morbi ſtatus*.

Acor vid. *Acida*.

Acos vid. *Curatio*.

Acoſmia vid. *Cachexia*.

Acouſtica vid. *Auris medicamenta*.

Acraſia vid. *Cachexia*.

Acria vid. *Stimulantia*.

Acribes vid. *Morbus legitimus*.

ACRIMONIA definitur 45. 46. Origo 45. 47. admiſtio noſtris humoribus 45. 48. manifeſta & latens & in nobis nata 45. 49. manifeſta enumeratur 45. 50. duplex in ea actio 45. 50. ex non acribus fit 45. 51. Cauſæ 45. 52. Diviſio 45. 53. Effectus 45. 54. effectus diſtinctio 45. 55. effectus generalis 45. 55. ex aucto motu vitali 45. 57. in ſucco arteriarum 45. 58. in ſucco nervorum 45. 59. Curatio generalis 45. 61. auferendo 45. 62. diluendo 45. 63. obvolvendo 45. 64. corrigendo 45. 65. obtundendo 45. 66. derivando 45. 67. motum compeſcendo 45. 68. corollaria 45. 69. quæ arguunt acrimoniam 32. 4. hæmorrhagiæ cauſa 32. 3. & 4. hydropis cauſa perrodendo vaſa 35. 19. generatio ſtagnatione ex humore blandiſſimo 31. 10. 11. ex crudo mutato humore 39. 7. ex laxitate ſolidorum 6. 3. omnis non auget motum & calorem 17. 9. doloris cauſa 17. 40. cauſa multiplex 17. 43. curatio 17. 43. & 54. qualem pulſum facit 20. 34. ex majori calore 49. 13. palpitationis cauſa 28. 9. humores acres enumerantur in convulſione 30. 14. mucilaginoſa exigit 77. 13. qualia diluentia exigit 78. 5.

Acrimonia acida ex qua materia oriatur 38. 48. ex ingeſtis 38. 49. defectu virium corporis 38. 50. Effectus in ventriculo 38. 51. in inteſtinis 38. 52. in ſanguine 38. 63. in nervis 38. 64. Curatio in primis viis Vomitorio & Purgante 38. 54. Antacidis 38. 55. Diæta 38. 56. acidum Abſorbentibus 38. 57. Diluentibus 38. 58. Obvolventibus 38. 59. Obtundentibus 38. 60. Immutantibus 38. 61. Subigentibus 38. 62. Curatio in ſanguine 38. 65. Sudoriferis & Diaphoreticis 38. 66. Diureticis 38. 67. Topicis 38. 68. corollaria 38. 69. ex laxitate ſolidorum 6. 3. eligenda glutinoſa animalium ad curandam 45. 64. doloris algidi cauſa 17. 9. an doloris punctorii cauſa in pleuritide 17. 11. an doloris oſteocopi cauſa 17. 15. qualem pulſum facit 20. 34. ex minori motu 21. 3. ex menſium ſuppreſſione 34. 22. reddit urinam albam & craſſam 36. 8. roborantibus curatur 5. 3. & 4. in ſanguine quomodo curatur abſorbentibus 68. 5. cur obtunditur 74. 6. 3. nocent mucilaginoſa 77. 14. exigit compingentia, 77. 5.

Acrimonia alcalina deſcribitur 38. 27. Origo 38. 28. ex noſtris humoribus 38. 29. Curatio 38. 30. corollaria 38. 31. an doloris rodentis cauſa 17. 13. urina coloratior ex putredine 36. 10. vix ex alcali fixo, ut plurimum ex alcali volatili 38. 27. curatur farinoſis, oleribus, mucilaginoſis, glutinoſis 45. 64.

Acrimonia frigida deſcribitur 45. 60. cur curatur diaphoreticis 45. 69. 29. ex defectu virium roborantia exigit 49. 18.

Acrimonia tenuis hæmorrhagiæ cauſa 32. 10.

Acrimonia volatilis abripitur ſiccantibus 63. 7.

Acrimonia particularis vid. ſequentia: *Muriatica*, *Aromatica*, *Alcalina*, *Bilioſa*, *Salina*, *Faucium*, *Cutis*, *Inteſtinorum*, *Ventriculi*, *Oculorum*, *Aurium*, *Pulmonis*, *Renum*, *Cutis*, *Bilis*.

Acriſia vid. *Morbi criſis*.

Acrochordon vid. *Tumor calloſus*.

Acromphalum vid. *Umbilicus*.

Acropathos vid. *Morbus magnus*.

Acrothymion vid *Tumor calloſus*.

ACTIO corporis deſtruit acidum 38. 62.

Debilis & languida acidæ acrimoniæ cauſa 38. 49. a diluentibus 38. 58. effluxu humorum 2. 5. in cruditate 39. 6. hydrope 35. 37. ex humiditate 14. 2. 3.

Actuale & activum vid. *Medicamentum præſervatorium*.

Actualis ignis vid. *Ignis*.

Acuſticum vid. *Auris*.

Acuties morbi vid. *Morbi acuties*.

Acutiſſimus morbus vid. *Morbus*.

Acutus morbus vid. *Morbus acutus*.

- - - dolor vid. *Dolor*.

ADDUCTIO & COMPACTUS. Definitio 12. 1. Cauſæ 12. 2. Effectus 12. 3. corollaria 12. 4. Curatio 12. 5. ex motu muſculorum 18. 68. ſolida in callum convertit 1. 15. ſanguinem rubrum facit 31. 21. cur auget robur 3. 5. 2. auget rigiditatem 4. 3. curat laxitatem 6. 6. 1. & elongationem 6. 6. 4. facit elaſticitatem 7. 6. facit robur 9. 2. curat elongationem 11. 5. modica ad conſolidationem requiritur 65. 4.

Adelphixia & adelphixis vid. *Morbi conſenſus*.

Aden

Aden vid. *Glandula*.
Adephagia vid. *Fames*.
Adeps vid. *Pinguedo*.
Adglutinans in *Conſolidans*.
Adhæſivum in *Conſolidans*.
Adiaphoria vid. *Senſus*.
Adiapneuſtia vid. *Perſpiratio*.
Adipoſus panniculus vid. *Panniculus*.
Adipſia vid. *Sitis nulla*.
Adoleſcentia vid. *Juvenis in Ætas*.
Adſcenſus molis vid. *Suffocatio*.
Adſtrictivum vid. *Adſtringentia*.
Adſtrictorium vid. *Adſtringentia*.
Adſtricta alvus vid. *Alvus adſtricta*.
